FULGENTII
OPERA

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1
Estante 7
Plúteo 4

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex Con.tus S. Aug.ni de monte Georgio ad exp.m Jris

OPERA Fulgentij Fulleri

DIVI FVLGENTII
AFRI, EPISCOPI
RVSPENSIS.

Librorum multorum accessione, quæ versa pagina exprimuntur, locupletata.



COLL. SOCIET. IESU. BIBLIOTHECA
ASSISTENT. HISPAN.

ANTVERPIÆ,
Apud Christophorum Plantinum, Architypographum Regium. 1574.

Cum Priuilegio Reg. Maiest. ad sexennium.

Subsig. de la Torre.

Ex Bibliotheca Augustiniana Vallisoletana.

Universidad de Deusto
Biblioteca

OPERVM BEATI FVLGENTII, INDEX.

* *Vita beati Fulgentij.*	*Pag.* 13.
Ad Monimum, libri tres.	65.
Contra Arrianorum obiectiones.	148.
Ad Trasimundum regem, libri tres.	177.
De fide ad Donatum.	297.
* *Ad quæstiones Ferrandi Diaconi.*	314.
De incarnatione & gratia Iesu Christi.	363.
* *De fide ad Petrum.*	437.
* *Ad Euthymium libri duo de remissione peccat.*	490.
Epistolæ septem.	561.
Sermones ad populum quinque.	649.
* *Item alij quinque.*	669.

Stellulâ signata, in hac editione, operibus D. Fulgentij recenter accesserunt.

DE OPERIBVS DIVI FVLGENTII, PRÆFATIO IOANNIS *Molani, ad Candidum Lectorem.*

SAnctus Præsul & Doctor Fulgentius, sub Trasimundo Wandalorũ Rege claruit, anno Domini quingentesimo, Ruspensis Ecclesiæ in Africa Episcopus. Cuius nomẽ vt semper fuit in Ecclesia celeberrimum: sic quoq; eruditionis eius scripta, & à sacris Concilijs honorificè sunt recitata, & in Dei Ecclesiis venerabiliter lecta: nec vnquam de vllius erroris macula respersa. Cæterùm mei instituti non est, laudare hîc beati Fulgentij vere fulgentem & copiosam eruditionẽ, fidei confessionem, vitæ sanctitatem. Sed pro operis ratione, breui Præfatiuncula declarandum erit, quænam diuus Fulgentius scripserit: & quid in hac operum eius editione sit præstitum: nihilque in ea Fulgentio asscribi, nisi quod citra omnem hæsitationem ab ipso beatissimo Episcopo sit conscriptum.

II. De libro vitæ sancti Fulgentij.

ET quidem ante ipsa opera, Vita sanctissimi Auctoris est posita, prout eam graui stylo eius discipulus ad Felicianum successorẽ ipsius in episcopatu, aut (quod potius arbitror) in monasterij regimine, scripsit. De cuius tàm auctore, quàm auctoritate, nemo dubitabit, qui eam perleget: imo id sentiet quod Beda; qui Kal. Ianuarij, natalẽ referẽs B. Fulgentij, eius vitam virtutibus plenam haberi testatur. Quod igitur in Cypriano & Augustino, Præfatio habet, *vbi iã tu presbyter habitus.*

Africanis Patribus, obseruatum videmus,vbi operum tomis vita auctorum præponitur,à discipulis conscripta, hoc etiam circa Fulgẽtium Afrum obseruandũ videbatur,in hac nostra editione, etsi in omnibus prioribus,Norimbergæ, Coloniæ, & Basileæ editis exẽplaribus,desideraretur. Vsus est autem Ioannes Vlimmerius Regularis,Louanij ad S. Martinum professus, primùm domestico Codice manuscripto,vnde hanc historiam descripsit. Deinde contulit eam cum exẽplari manuscripto monasterij fontis beatæ Mariæ prope Arnhemũ. Denique adhibuit editionem Domini Surij,qui eandem tomo primo edidit,ex manuscripto volumine monasterij sancti Pauli, siue Rubeæ vallis,prope Bruxellam.

III. De libris Fulgentij,ad Monimum,ad obiectiones Arrianorum,ad Trasimundum, & ad Donatum.

POst vitam autem Auctoris,primo loco ponuntur libri aliquot, qui citra omnem controuersiam semper eius sunt habiti. Ij sunt, libri tres ad Monimum, quorum ipsemet auctor meminit in epistola quinta ad Eugyppium:liber respõsionum ad decem obiectiones Arrianorum, cuius in vita fit mentio capite vigesimo. Rursus, libri tres ad Trasimundum regem, de quibus præclarum elogium est in citatæ vitæ capite vigesimo tertio. Denique ad Donatum liber,de fide orthodoxa. Opinatur autem Ioannes Vlimmerius ad hunc librum pertinere illud capitis vigesimi sexti, *Scripsit eodem tempore Carthaginensibus epistolam sublimi exhortatione perspicuã, vbi pene cunctos dolos & fallacia blandimenta, quibus infelices animæ ad mortem seducebantur,*

bantur, grauissima conquestione digessit. Hoc enim eo loci ad marginem est annotatum.

IIII. De responsione ad quæstiones Ferrandi.

DEinde subiungũtur alij libri quatuor, de quibus nobis particulatim quædam notãda sunt. Inter eos primus est,*Responsio diui Fulgẽtij ad quinq; quæstiones Ferrandi diaconi*. Qui liber,etsi nunc primùm ex manuscripto codice Gemblacensis bibliothecæ in lucem prodeat, certo tamen esse ipsius Fulgentij facilè aduertet,qui in eius eruditione ac libris est versatus. Idemque Isidorus testatur in libro de viris illustribus. Sic enim scribit, capite de Fulgentio: *Ad Ferrandum quoq;,ecclesiæ Carthaginensis diaconum, vnum de interrogatis quæstionibus scripsit libellum*.

V. De libro, qui inscribitur, De incarnatione & gratia Domini nostri Iesu Christi.

HVnc libellum sequitur *liber diui Fulgẽtij de incarnatione & gratia Domini nostri Iesu Christi*. Quem ante annos aliquot in membranis bibliothecæ Parcensis monasterij reperit præstantissimus Theologus Ioannes Hesselius, dum ibidẽ sacram Theologiam profiteretur. Itaque eius beneficio liber eruditissimus, cum nusquã antea editus esset, à Bartholomęo Grauio,Typographo Louanensis Academiæ,datus est in publicum. Meminit autem huius operis sanctus Isidorus. Nam inter Fulgentij opera nominat librum de sacramento incarnationis Domini nostri Iesu Christi. In Cõcilio verò Hispalensi secundo,non tantum citatur liber: sed præterea quinque diuersa loca inde recitantur, vt

nullum dubiũ relinquatur de libri huius auctore.

Sed dices fortaſsis. Apparet ex initio libri eum non ſolius eſſe Fulgentij, ſed ſedecim Africæ epiſcoporum, inter quos Fulgentius decimus quartus recenſetur: itaq; non tam eius dicẽdum eſſe, quàm etiam reliquorũ. Verum prorſus euaneſcit hæc occurrens dubitatio, ſi meminerimus quid in vita B. Fulgentij ſcriptum ſit, Capite 20. Sic enim in ea legitur: *Huic etiam, quandocunque tranſmarinis literis de fide, vel de diuerſis quæſtionibus, interrogabantur epiſcopi, reſpondere ab omnibus imponebatur. Ita ſicut ſanctæ memoriæ Aurelius, Carthaginenſis eccleſiæ antiſtes, inter ſua priuilegia meruit, vt literas ex Africano Concilio dãdas, ipſe ſolus ſcriberet: ſic iſte meruerat, vt literas ex illo* (Byzaceno) *Concilio dirigendas ſolus ipſe dictaret. Sexaginta quippe, & eo amplius, epiſcopos, tunc catena ligabat exilij, quorum lingua & ingenium beatus Fulgentius epiſcopus fuit.*

VI. De libro cuius titulus eſt, De fide ad Petrum.

LIbro de incarnatione ſubiungitur *liber de fide ad Petrum Diaconum*, ſiue *Regula veræ fidei*. Qui liber antehac titulo beati Fulgentij nunquam eſt editus; ſemper vero ſub nomine ſancti Auguſtini, in tomo tertio operum eius. Sed nihil hîc temere actum eſt. Liber enim omnino videtur eſſe D. Fulgentij, tum ex amicitia & familiaritate, quam habuiſſe S. Fulgentium cum Petro Diacono, conſtat ex libris de incarnatione & gratia Chriſti: tum ex libro Bertrami de Corpore & Sanguine Domini, in quo citatur ſub nomine Fulgentij. *Audiamus*, inquit, *quid B. Fulgentius in libello de fide dicat. Firmiſſime tene, & nullatenus dubites*, &c. Præterea S. Iſidorus

dorus in catalogo, & Honorius Auguſtodunẽſis in Chronicis, aſſerunt Fulgentium ſcripſiſſe regulam veræ fidei. Eamq; Ferrandus Diaconus ab eo petit, in ea epiſtola qua quinq; quæſtiones proponit. Dictus autẽ titulus libro de fide ad Petrum aptiſsime cõuenit. Taceo interim ſtyli & dogmatũ affinitatẽ, quã cũ reliquis D. Fulgẽtij ſcriptis habet, vt in ſententia de pœnis infantiũ, qui ſine baptiſmate moriuntur. De eis enim in libro de fide ad Petrũ, & in altero libro de incarnatione, conformia loquitur.

VII. De libris duobus ad Euthymium.

ACceſſerunt præterea poſt librum de fide, libri duo de remiſsione peccatorũ ad Euthymium, qui etſi hactenus editi non fuerint, ac proinde nec cogniti, lectos tamen nemo Fulgẽtij eſſe negabit. Meminit huius operis diſcipulus ſancti auctoris, eius vitam deſcribens. Ait enim Capite 26. *Tunc etiam de remiſſione peccatorum conſulenti Euthymio viro religioſo, duobus libellis ſine mora reſpondit*. Significat autem vocula (tunc) Fulgentium hos libros ſcripſiſſe in Sardinia, quãdo ibi cum ſexaginta & eo amplius epiſcopis, catena exilij ligabatur.

VIII. De epiſtolis.

Poſt libros ponuntur epiſtolæ ſeptem.

I. de cõiugali debito, & voto cõtinentiæ coniugũ.
II. ad Gallam, de ſtatu viduarum.
III. ad Probam, de virginitate & humilitate.
IIII. ad eandem, de oratione. Quam etiam Ferrandus mitti petit.
V. ad Eugyppium abbatem, de charitate.
VI. ad Theodorũ ſenatorẽ, de cõuerſione à ſeculo.
VII. ad Venantiam, de pœnitentia.

Certum est tamen multas Fulgētij epistolas nobis intercidisse. Discipulus enim beati Fulgentij, iam iam citato capite, *Familiares*, inquit, *epistolas, in quibus tamen spiritualis ædificatio continetur, & ibi apud Sardiniam commanentibus, & in Africa degentibus, & Romanis, præcipue Senatoribus, viduisque ac virginibus, quarum fama laudabilis habebatur, frequenter direxit: Ad Probam, virginem Christi, de ieiunio, & de oratione, duos libellos cōscripsit.* Idem præterea scribit, capite vigesimo, Fulgentium in Byzaceno Concilio, suoque in exilio, multas publici tractatus epistolas confeciſſe. Præter istas quoque, si quis fortè ex episcopis plebem suā corrigere vel monere voluisset, ad beatū Fulgentium accessisse, & per ministerium linguæ eius officiū suæ dispensationis impleuisse. Ex his manifestū est beati Fulgentij multo plures extitisse epistolas, quàm modo extent. Inter eas autem desideramus etiam ad Ioannem Tharsensem episcopum scriptā, in qua de malefico quodam iudici non tradendo, plenissimè disputatum meminit Ferrandus diaconus, in ea epistola ad quam Fulgentius respondet.

IX. De tractatibus, siue sermonibus.

HAbuit etiam Fulgētius multos populares tractatus, seu homilias. Vnde in vita eius legitur, capite vigesimo nono: *Plurimos ecclesiasticos sermones, quos in populis diceret, scribendos dictabat.* Item apud Isidorum: *Composuit & multos tractatus, quibus sacerdotes in ecclesijs vterentur.* Ex his tamen multa nondnm extant. Nam hactenus in operibus Fulgentij quinque tantum sermones habuimus: & in hac editione non plures quàm totidem accesserunt.

X. De

X. De Mythologiarum libris tribus omissis.

HAbent autem quædam Fulgentij edita exemplaria post sermones, beati Fulgentij libros tres Mythologiarum, ad Catum presbyterū Carthaginensem. Sed in his libris nihil est aut beato Fulgentio, aut quoquam Theologo dignū, vt non immerito eos Dominus Cochlæus sciens omiserit, qui primus Norimbergæ Fulgentij opera edidit. Aduertat etiam Lector in impressis exemplaribus non nostro Fulgentio, Ruspensi episcopo, eos inscribi, sed Fulgētio episcopo Carthaginēsi. Quanquam ego opus ipsum nullius arbitrer esse aut episcopi, aut theologi, nam in bibliotheca Gemblacensis monasterij memini me has Mythologias vidisse sub nomine cuiusdam Placiadis Fulgentij, quē non aliud quàm Grammaticū fuisse suspicor.

XI. De libris Fulgentij contra Faustum, nondum editis.

VErum vt ex prædictis cōstat, multos tractatus & epistolas sancti Fulgentij nondum extare: ita etiam latere speramus, & non prorsus intercidisse libros quosdam, quos nondum vidimus, ab eo tamen editos esse constat.

Legimus, inquit Isidorus, *de gratia Dei & libero arbitrio libros respōsionum septem. In quibus Fausto, Galliæ Regiēsis vrbis episcopo, Pelagianæ prauitati consentienti, respondens, obnititur eius profundā destruere calliditatem.* Nos quidem Fausti duos libros habemus, ab Erasmo Roterodamo, cui calliditas Fausti imposuit, sub nomine catholici scriptoris editos. Sed septem libros diui Fulgentij, quos contra eos scripsit, adhuc desideramus. Quare vt hi diligen-

tius quærantur, addam alterum testimonium, quo ipsius auctoris discipulus hos libros nobis commendat. *Ita erat*, inquit, *notior omnibus gentibus, vt duo libri quos Faustus episcopus Galliarum cõtra gratiam subdolo sermone composuit, fauens occulte Pelagianis, sed Catholicus tamen volens videri, Constantinopoli offensi à plurimis fratribus, ad B. Fulgentium probandum dirigerentur. Quibus, ne occultum serperet virus, septem libris ipse respondit, plus laborans exponere quàm conuincere: quia dubios eius sermones exponere, hoc erat delirantis argumenta conuincere. Magnus plane huius operis labor, mercedem debitam cito suscepit. Mox enim vt est dictatio ipsius finita, protinus est longissimæ captiuitatis catena disrupta.* In vita Fulgẽtij ca. 26.

XII. De alijs Fulgentij libris, non editis.

SVnt & alia sancti Fulgentij opera, quæ non extant. Sequitur enim apud Isidorum: *Legimus & librum de sancta Trinitate, ad Felicem notarium directum. Extant & duo eius libri de veritate prædestinationis, ad episcopos missi, in quibus demõstrat quod gratia Dei in bonis voluntatem humanam præueniat, & quod Deus quosdam prædestinationis suæ munere iustificãs præeligit: quosdam vero in suis reprobis moribus occulto quodam iudicio derelinquit. Est & liber altercationis eiusdem, qua de fide cum Trasimundo rege idem Fulgentius disputauit.* Hæc ille. Nihil tamen ex his omnibus nũc extat, nisi fortassis per librum altercationis intelligat libros tres ad Trasimundũ, aut respõsionem ad decem obiectiones Arrianorũ.

Constat præterea, plura ipsum edidisse, quæ non extant. Capite enim 23. vitæ, dicitur opus scripsisse aduersus Pintam, episcopũ Arrianũ: & ca. sequẽti, dicitur edidisse Cõmonitorium de Spiritu sancto, ad Abragilam presbyterũ. Desideramus quoq; alia nonnulla, quorũ mentio fit in capitibus 26. & 29. Nec Concilium habemus Byzacenũ, cuius lingua & ingenium beatus Fulgẽtius episcopus fuisse asseritur. Itaq; quod olim à S. Isidoro scriptum est, id in nos potius cõpetit, quàm in illum. *Sors*, ait, *melior, cui delicias omnium librorũ eius præstiterit Deus.* Cap. 10.

XIII. Quid in Fulgentij editione Vlimmerius præstiterit.

CÆterum Ioannes Vlimmerius Louanienſis, vt apud Martinẽses nostros discipulus fuit Martini Lipsij & Ioannis Costerij, sic etiam in Patrum libris corrigendis & eruendis, eorum diligentiam imitatur. Sane ad Fulgentij editionem non parum ab eo est collatum: Adiecit enim ex Gemblacensi bibliotheca, librum ad quæstiones Ferrandi, item duos libros de remissione peccatorum, qui antea nondum editi erant. Addidit etiã ex manuscriptis codicibus, vitam auctoris, per eius discipulum scriptam. Libros prolixiores in capita diuisit: sacræ Scripturæ loca diligenter notauit: & vitiata quædam loca subsidio veterum codicum emendauit.

Ac proinde ab eo scribẽda fuisset in Fulgẽtium Præfatio. Sed cum ex Amstelredamo, vbi sacris virginibus præest, eam ob diuersas curas nõ mitteret, à me verò, cui librorum visitatio cõmissa est, scribi optaret; ego vicariam meam operam, neque eius reuerentiæ, neque Christophoro Plantino Regio architypographo, id ipsum requirenti, negare volui: quoniam Præfatiũculam aliquam necessariam esse iudicabam. Itaq; hoc nostrum scriptum, quasi extemporaneũ, à beneuolo Lectore, candidè accipi velim. Louanij, Anno 1573. die 6. Septemb.

S. ISI-

S. ISIDORVS, HISPALENSIS EPISCOPVS, IN LIBRO DE VIRIS ILLVSTRIBVS, CAP. XXXI.

FVlgentius Afer, Eccleſiæ Ruſpenſis epiſcopus, in confeſſione fidei clarus, in diuinis ſcripturis copioſè eruditus, in loquendo quoq; dulcis, in docendo ac diſſerendo ſubtilis, ſcripſit multa. E quibus legimus, de gratia Dei & libero arbitrio libros reſponſionum ſeptem. In quibus Fauſto, Galliæ Regienſis vrbis epiſcopo, Pelagianæ prauitati conſentienti, reſpondens, obnititur eius profundam deſtruere calliditatem. Legimus & eius librum de ſancta Trinitate, ad Felicem notarium directum: librum quoque regulæ veræ fidei: & alia de ſacramento incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Extant & duo eius libri de veritate prædeſtinationis, ad epiſcopos miſſi, in quibus demonſtrat quòd gratia Dei in bonis voluntatem humanam præueniat, & quòd Deus quoſdam prædeſtinationis ſuæ munere iuſtificans, præeligit: quoſdam verò in ſuis reprobis moribus occulto quodam iudicio derelinquit. Eſt & liber altercationis eiuſdem, qua de fide cum Traſimundo Rege idem Fulgentius diſputauit. Ad Ferrandum quoque, eccleſiæ Carthaginenſis diaconum, vnum de interrogatis quæſtionibus ſcripſit libellum. Compoſuit & multos tractatus, quibus ſacerdotes in eccleſijs vterentur. Plurima quoque feruntur ingenij eius monimenta. Hæc tantum expretioſis doctrinæ eius floribus carpſimus. Sors melior, cui delitias omnium librorum eius præſtiterit Deus. Claruit ſub Traſimundo, rege Wandalorum, Anaſtaſio Imperatore regnante.

VITA

VITA BEATI FVLGENTII EPISCOPI RVSPENSIS, A' QVODAM EIVS DISCIPVLO CONSCRIPTA, AD FELICIANVM EPISCOPVM, SANCTI FULGENTIJ SVCCESSOREM.

PROLOGVS.

OMNIS noui teſtamenti fideliſsimus diſpenſator, in quo loquitur Chriſtus, ſancte pater Feliciane, vt exemplo ſuo credēdum ſibi facile perſuadeat, operum bonorum curam maximam gerit, & quicquid alijs faciēdum dicit, ipſe primitus facit. Sine cauſa quippe nititur docere ſapienter, niſi vixerit innocēter. Duo igitur Eccleſiæ Catholicæ Doctoribus neceſſaria iudicantur: vita bona, & ſana doctrina. Vita enim bona, commendat ſapienter docentem: doctrina ſana, ornat benè viuētem. Vita bona, facit amabilem: doctrina ſana, laudabilē. Vita bona, continuò creditur imitandā: doctrina ſana, nunquam iudicatur eſſe repudianda. Vita bona, tollit occaſiones detrahētibus: doctrina ſana, reſiſtit contradicentibus. Propterea mihi diutiſsimè B. Fulgentij pontificis, tui ſcilicet præceſſoris (à quo ſimul nutriti ſumus) & nomen & gratiam cogitanti, dum frequēter ante oculos cordis mei magiſter egregius verſaretur, dolebam tanti viri ſolatio caruiſſe populos Aphricanos. Et quamuis ille gaudijs cæleſtibus oblectandus ad meliora migrauerit: apud nos tamen modò ſimilem deeſſe doctorem ſapientiæ eius, benè conſcius ſuſpirabam. Dabatur ſanè flebili recordationi quædam reſpiratio: quoties dulciſsimos Libros eius, aut Epiſtolas, aut quos edidit populo præſente Sermones, vel ego legebā, vel legentes alios audiebam. Veruntamen in illis præclaris opuſculis ingeniū viri, ſapientiamq; poſſe agnoſci, tacitus cōſiderābam: cuius autē iuſtitiæ, probitatis, & miſericordiæ fuerit, & quomodo laudabiliter vitam ſuam (quod tu bene

Duo doctoribus catholicæ Eccleſiæ neceſſaria: vita bona et ſana doctrina.

D. Fulgentius præceſſor Feliciani epiſcopi.

bene nosti) cum familiaribus suis transegerit: sicut docuit viuens, scire plerosq; non dubitabam, latere tamẽ plurimos sentiebam. In posterum verò, ne obliuione longa, conuersationis eius bona nescirentur, semper & vehementius formidabam. Dixi ergo diu cogitans, Ecce fulget B. Fulgentij sana doctrina, quoniã legũtur ab omnibus libri eius. Quasi ipse loquitur, quãdo codex eius titulatus nomine, legitur: quî autẽ fiet, vt similiter nota sit omnibus vita eius bona? Quamdiu viuunt adhuc, qui nouerunt eum, vel à certissimis testibus aliquid de eius virtutibus audierunt, potest illi præsens memoria verum testimoniũ perhibere. Quid aget ventura progenies? Quid in transmarinis partibus longe constituta fideliũ turba? Cùm peruenerint ad notitiam lectionis, in qua idem beatissimus Pontifex absens loquitur, & mortuus viuit, admirabuntur profecto sapientiã: vnde cognoscẽt innocẽtiam? Sicut ergo clara est eius doctrina, sic clarior fiat etiam vita: loquamur & narremus fratribus nostris quomodo tãtus põtifex vixerit. Nec timendum est, ne minore facũdia Sacerdotẽ, qui per vniuersas orbis ecclẽsias magnum nomen obtinuit, ego faciã paruum. Cuiuslibet enim sit meriti oratio mea, nec augere poterit tãti viri merita, nec minuere: sed proficere tãtummodo ad testimonium charitatis, in qua illi semper inhærere desiderans, salutiferis eius monitis, ad suscipiẽdam professionẽ monachorũ cõuersus, in illo paruissimo Monasterio quod sibi apud Sardiniã pro Christi nomine relegatus effecerat, vbi iã tu presbyter habitas, diebus ac noctibus ante eũ positus vixi, quãdo me super mel & fauũ dulciora cęlestis eius eloquij flumina frequenter irrigabãt: Et nisi sterilitas arentis ingenij præpediret, cẽtesimum fructũ gleba nostri pectoris attulisset. Sed indignus ego de tanta plenitudine vix exiguã capere valui portionem. Tuæ tamẽ paternitatis orationibus fretus, libelli præsentis laborem suscipere cogitaui: in quo omnia quę memoriter nobis audientibus ipse referebat, & illa insuper quæ oculis nostris adspeximus,

ximus, aut iam positi in doctrina illius quẽadmodum sint gesta non ignoramus, breuiter explicabo: notam falsitatis incurrere nullatenus timens, cuncta quippe senilem tuam paternitatem minime latent. Nec tibi nunc aliqua quasi nescienti dicuntur: sed tuo potius testimonio confirmanda simpliciter digeruntur.

CAPVT I.

*Beatus igitur & verè Fulgentius, nobili secundum carnem genere procreatus, parentes habuit ex numero Carthaginensium Senatorum. Annus deniq; eius nomine Gordianus, dum rex Hunericus & * Gensericus memoratam Carthaginem victor inuadens, Senatores plurimos imò cunctos, amissis omnibus bonis, ad Italiam nauigare compelleret, inter cæteros etiam ipse impositam peregrinationem libenti voluntate suscepit, volens saltem facultatibus perditis, non perdere libertatem. Post cuius obitum, duo ex filijs eius, spe recuperandæ hæreditatis, Aphricanam prouinciam repetẽtes, manere tamen intra Carthaginem minime potuerunt, domo propria donata sacerdotibus Arrianis. Sed possessionibus suis ex parte per authoritatem Regiam repetitis * Bysantium perrexerũt. Ibiq; in * Tellepte ciuitate vnus eorũ nomine Claudius, ex coniuge nomine Marriana, Christiana scilicet & honesta fœmina, istum, cui tanta gloria debebatur, fœliciter genuit, eumq; statim quasi præscia qualis esset futurus, Fulgẽtium nominauit. Quẽ religiosa mater moriente celeriter patre Græcis literis imbuẽdum primitus tradidit: Et quãdiu totũ simul Homerũ memoriter reddidisset, Menandri quoq; multa percurreret, nihil de Latinis permisit literis edoceri: volẽs eũ peregrinæ linguæ teneris adhuc annis percipere notionẽ, quo facilius posset victurus inter Aphros locutionẽ Græcã, seruatis aspirationibus tanquã ibi nutritus exprimere. Nec fefellit matrẽ piã * cauta promissio.* Genus Fulgentij.

* Geisericus. Vide lib. 1. D. Victoris de persecutione Vandalorum.

* Bythyniam
* ad Byzacium
* Lepte Marriana.

mater Fulgentij. Fulgentij institutio.

* causæ

Sic

Sic enim, quoties ei Græcè loqui placebat, post longam * desuetudinem locutionis eius et lectionis, non inconditis sonis verba proferebat, vt quasi quotidie inter Græcos habitare putaretur. Literarum proinde Græcarum percepta scientia, Latinis literis (quas magistri ludi docere consuerunt in domo) edoctus, artis etiam Grammaticæ traditur auditorio: magnitudine ingenij cuncta sibi tradita memoriter & veraciter retinens. Inde tamen domesticorum negotiorum vrgente necessitate cito sublatus, paternæ domus gubernationem suscepit adolescens, ita se maternis imperijs subdens, vt ibi quoque Christi existeret imitator, de quo sacra Euangelia contestantur, Et erat subditus illis, id est, parentibus. Gaudebat venerabilis mater, & præclara indole sapientis filij mœorem viri amissi consolabatur. Cœperat in illa familia esse, qui amicis obsequium beneuolus redderet, inimicos rationabiliter repelleret: Seruos mansuetus & seuerus regeret & corrigeret, patrimonium diligens coleret, sublimioribus potestatibus charissimus fieret. Cuius rei gratia, crescente per singulos dies fama eius, repentè Procurator ordinatur, hinc initium sumens imperandi, & consulendi, ac gubernandi quàm plurimos.

* consuetudinem

Paternam domũ gubernat Fulgentius.

Luc. 2. g

Procurator ordinatur.

CAPVT II.

ACcepta tamen hac potestate, dum clementer vtitur, & neminem lædere pro ingenita sibi * pietate desiderat, atque in exigendis pensionibus crudelitatem iubetur exercere, cœpit secularium negotiorum grauis apparere sarcina, & displicere felicitas vana: paulatimq; laudabili patientia succedente, vitæ spiritalis amor exurgere, desiderium lectionis insuper & orationis indefessum crescere studium. Monasteriorum proinde suauissimos greges frequentius visitans, seruorum Dei mores propositúmque discebat. Inter

* bonitate

Felicitas monachorum.

Inter abstinentes, nulla esse gaudia seculi, sed nulla esse etiam tædia sentiebat. In summa abstinentia viuentes, videbat neminem calumniatorem timere, sed se inuicem diligere. Considerabat etiã multos adolescentes perpetuæ continentiæ deditos, ab omni posse abstinere concubitu. Talibus apud semetipsum cogitationibus fluctuabat, atq; in hæc verba prorumpens: Cur obsecro, aiebat, sine spe futurorum bonorum laboramus in seculo? Quid nobis aliquãdo præstare poterit mundus? Si gaudere desideramus, licet sit melius bene flere, quàm malè gaudere: quanto melius tamen gaudent quorum sic in Deum tranquilla est conscientia? quos minimè terret exactoris improbi violentia, qui nihil timent nisi peccata, nihil agunt nisi vnde possunt diuina implere mandata: Non fatigantur publicis excursibus, non damna rei familiaris coguntur aut flere miserabiliter, aut timere deformiter. Operantes manibus suis, nõ adversantur vtilitatibus alienis, viuunt inter sese pacifici, sobrij, mites, humiles, atque concordes. Nulla illis cura libidinis: imò magna solicitudo & iugis custodia castitatis. Imitemur tam laudabiles viros, arripiamus hanc benè viuendi constantiam. Sit nobis vtile quod reuelante gratia meruimus meliora cognoscere. Abijciamus pristinos mores, & mutemus labores. Nitebamur prius inter amicos nobiles apparere nobiliores: nitamur modò inter seruos Dei pauperes effici pauperiores. Si coacti sumus exigere debitores, conemur modò conuertere peccatores. Solet etiam de publicis exactoribus efficere Christus Dominus noster magistros Ecclesiæ: de telonio enim vocatus est Matthæus, vt Apostolus fieret. Neque nos istius exactoris honori personam conuenire credimus nostram. Sed si ille depositio officio exactionis, accepit officium prædicationis: mihi non licebit, post depositam procurationem, pœnitentis

Matth. 9. Marc. 2. Lucæ 5.

Deus, refugium nostrum.

assumere lamentationem? Refugium nostrum, Deus est. Nulla de ætatis imbecillitate nascatur excusatio: potens quippe Deus est, qui dat continentiam tantis adolescentibus, quos videmus in Monasterijs viuere, mihi quoque peccatori similem gratiam donare.

CAPVT III.

Meditatur monasticæ vitę complexum.

POst hæc verba diutius in suo pectore ruminata, decreuit spiritu sancto reuelante, secularibus omnino renunciare delitijs, & illius vitæ socius fieri quam laudabat: prius tamen cogitans, ne subita mutatio mẽtem simul corpusq; perturbans, inter ipsa cõuersionis initia, grauissimum sibi vel impedimentum vel scandalum gigneret. Occultè arripuit rara exercere Ieiunia: dehinc paululum progrediens, antiquorum sodalium tentabat vitare consortia. Segregatus frequenter à turbis, in possessione propria, nescientibus omnibus, parentibus & clientibus, quasi propter actionis laborem tristis sedebat, & ibi orabat, legebat, ieiunabat: epularumq; immoderatam copiam minuebat, ad balneas penitus non accedens. Et sub ipsa adhuc professione laica, plenus iam monachus conuersabatur. Stupebant omnes qui nouerant eum, & tam delicati viri mirabilem parcimoniam, causamq; mutationis huius interpretabantur ex angustia natam pusillanimitatis. Apud illum verò per singulos dies amor sanctæ professionis, & mortificationis impensior cura crescebat. Aliquando igitur vbi omnia quæ sibi dura videbantur expertus, adiutorio gratiæ spiritalis voluntati suæ sensit suppetere facultatem, beati Augustini exponentis triceſimumſextum Psalmum disputatione commonitus & compunctus, publicare suum statuit votum: mutare gestiens habitum, ne vel amicabiliter ad se venientes pati cogeretur cum quibus diu seculariter vixerat. Cogitabat autem

D. Aug. expositionẽ in Psal. 36. legẽs, Fulgẽtius cõuertitur.

*vir prudentissimus conuersionem sui cordis sibi soli vtilem futuram, si latere potuisset: publicatam verò, multis alijs exemplum bonum dimittendi peccata pristina præstituram. Quis enim mediocris aut pauper fieri monachus erubesceret: dum Fulgentium videret * gemini fastus, arrogantia recedente, duras abstinentiæ vias patientiæ gressibus ambulantem?*

* genuini

CAPVT IIII.

Ad Faustum Episcopũ se confert.

FVit autem tunc temporis Episcopus quidam laudabiliter prædicandus, nomine Faustus, qui pro fide Catholica non longe à cathedra sua iussus fuerat relegari. De multis enim sacerdotibus hoc Hunerici tyranni persecutoris astuta malignitas ordinauerat, vt iuxta patriam propriam peregrinationis incommodum sustinentes, ad negandum Deum facilè flecterentur. In eodem proinde loco vbi relegatus tenebatur, Monasterium sibi construxerat, in quo spiritaliter viuens, apud omnes Christianos honorabilis habebatur. Ad hunc ergo sanctus Fulgentius, quippe ei notissimus, alacriter venit, eiq; votum sui cordis fideliter indicauit. Ille autem sciens secularem omnino iuuenem, verebatur talia credere pollicenti, dicens ei: Quare fili mentiris, vt seruos Dei fallere delecteris? Tu ne eris monachus, aut antiquam delitiarum tuarum consuetudinem sic repente mutabis, vt escarum vilium negligentior apparatus, & vestium sordidarum tuum animum non offendat abiectio? Prius est, vt sis saltem laicus minus delitiosus, & tunc forsitan credibile putabo, quòd renunciare seculo aut velis, aut valeas. Ad hæc ille iuuenis magis ac magis inflammatus, repellentis manum suppliciter osculatus, sic oculis in terram depositis precabatur: Potens est, domine pater, dare volenti facultatem, qui nolenti tribuit voluntatem. Permitte me

*tantum tuis inhærere vestigijs, aperi mihi ianuam monasterij, præbe sanctæ ædificationis adiutorium, fac me vnum de discipulis tuis: & Deus nouit quomodo me liberet ab iniquitatibus meis. Hæc audiens beatissimus senex, grauissimum putauit supplicantem diutius spernere. Tandem flexus ad consentiendum, mane, inquit, nobiscũ fili sicut vis, experiamur paucis diebus, vtrum verbis facta concordent. Vtinam superfluus sit timor meus, & professio tua inueniatur stabilis. Postquam igitur supplici consensum præbuit sanctus Faustus Episcopus, sonuit illicò per affines & notos, Fulgentium monachum factum. Gratulabantur boni, confundebantur mali. Quosdam faciebat vita eius transacta in delitijs, desperare: quosdam singularis ingenij notissima scientia * magnum aliquid suadebat de profectu eius velociter sperare. Quidam verò familiares eius, quibus ab infantia charissimus amicus & fidelissimus fuerat, eum imitari cupientes, ipsi quoque seculum contempserunt, & se monasteriorum gregibus mortificata voluntate iunxerunt.*

D. Fulgẽtius fit monach'

* magni

Imitãtur alij exemplũ eius.

CAPVT V.

*AVdit hoc mater referentibus multis ad consortia monachorum fugisse Fulgentium, totiusq; domus regendæ atque gubernandæ curam penitus dimisisse, nec omnino iam posse de tali proposito reuocari. Turbatur, expauescit, & amoris nimij desiderio concitante, quasi iam Fulgentius moreretur, quamuis bene moreretur, qui sic moriebatur, cælum nimijs lamentationibus pulsat, & sicut solent matres in funeribus filiorum, modum nescit habere lachrymarum. Rapitur inconsideratis cursibus ad monasterium furibunda, contumelijs & conuitijs sanctum Faustum nihil dubitans aggreditur. Redde, inquiens, filium matri, redde dominum seruis. Sacerdotes semper multa beneficia viduis præstant, quare nunc domus viduæ per te perit? Cui * patienter respondebat Episcopus: Si tu mihi filium tulisses, ego te mulier deberem quantum dolor imperaret arguere, modo tu mihi iustè contumeliam facis, quia ego tibi filium tuli. Quando enim tibi displicet, quia seruiturus est Christo, benefacis contumelias inferens Fausto. Sub his etiam sermonibus æquanimiter tollerans & affabiliter arridens, videndi saltem filium nullam prorsus dat licentiam. Illa sciens quantum diligeretur à filio, magnis ante ianuam monasterij clamoribus eiulabat: Et Fulgentij nomen frequentius inclamans, desolationem suam miserabiliter allegabat. Hæc prima beatum Fulgentium tentatio multis * vicibus impulit, dum suam genitricem, quam semper amauerat, cui maxima deuotione seruierat, audiret suis auribus flere: Sursum tamen corde positus, audiebat & non audiebat: Nec illius preces aduertere dignum putabat, quia pietatem solitam religiosa crudelitate vincebat. Ibi iam futuræ patientiæ in laboribus multis exemplum fidelissimum præbebat, & similis ebrio per spiritalem gratiam factus, vtrum mater esset, quodammodo ignorabat. Hic eum beatus Faustus Episcopus ex toto corde conuersum primitus approbauit, & cum gaudio cæteris fratribus dixit: Facile poterit hic iuuenis tollerare quemcunque imposuerimus laborem, qui potest maternum iam despicere dolorem. Illa mater dum se plangere sæpius, nec ad se filium prodire cognosceret, in eodem loco eum iam non esse credebat: quia si ibi esset, non ferre posse dolorem matris adhuc virtutis eius nescia putabat. Sæpe ergo iens ac rediens, & episcopo molestias, & filio plurimas afferebat insidias, donec tædio victa propriam reuerteretur ad domum.*

Mater ei' proposito excruciatur.

* sapienter

Matri illũ videndi copia negatur.

* viribus

Constantia Fulgẽtij.

CAPVT VI.

* credibilẽ Abstinẽtia eius incredibilis

BEatus ergo Fulgentius supra * humanum modum laboribus abstinentiæ se cruciabat, sine vino & oleo manducans & bibens, sic parcè & tenuiter, vt inediæ magnitudo siccatam corporis cutem fatiscere diuersis vlceribus cogeret: ac superducta quam dicunt impetigine delicati corporis pulchritudo fœdaretur. Putabant plurimi tunc beatum Fulgentium sub occasione ipsius infirmitatis aut recessurum simul à proposito sanctitatis, aut reddendum deinceps tepidum, ne vel regulæ communis parcimoniam custodiret. Ille verò contra spem omnium, misericordiæ Dei præuenientis auxilio * gubernatus, ex infirmitate corporis ampliores animi vires capiebat, & tanto abstinentior, quanto debilior, de salute perpetua iugiter cogitabat: Salutem verò corporis arbitrio Domini committebat, hoc plerisque dicens: Scimus omnes ex epulis vitam solere seruari, non sanitatem posse conferri. Nam vt sanetur infirmitas, si explenda videtur gulæ cupiditas, quare infirmantur etiam illi qui comunius lautioribus quotidie saginãtur? Tolerabat ergo infirmitatem patienter, exercebat abstinentiam satis humiliter.

* gubernatus,

Proficiẽdi desiderium.

Paruum namque putans omne quod faciebat, de die in diem melior fieri gestiebat. Hoc propositum cordis eius miserator & misericors Deus adiutorio superni inuaminis fulciens, velociter ei corporalem restituit sanitatem.

CAPVT VII.

TVnc animus viri sapientis altiori pietate commotus, cùm tota mente mundum sibi crucifigeret, & ipse mundo crucifixus, iter rectum à iuuentute sua, sicut scriptum est, ambularet: portionem substantiæ propriæ, quamuis haberet fratrem iuniorem nomine Claudium, per donationem soli contulit matri, vt à matre

Thren. 3.

postmodum, si bene seruisset, donaretur & fratri. Sic salubri consilio superbiam iunioris fratris edomare desiderans, vt qui nolebat esse humilis propter pietatem, disceret propter hæreditatem: mater quoque post discessum dulcissimi filij, cuius iam non poterat * obsequio lætificari, eius meruisset beneficio consolari. Quantas tunc ibi vniuersi laudes & gratias Domino retulerũt? cùm viderent beatum Fulgentium seculari cupiditate calcata, rebus quas distrahere & donare pauperibus non poterat, ne offenderet bonam matrem, renuntiasse penitus, vt Christum inuenire mereretur doctorem. Finita iam erant cuncta quæ eum in conuersionis primordio videbantur affligere.

* præsentia

CAPVT VIII.

SEd quia hæc vita nunquam potest sine suis tentationibus præteriri, nascitur rursus talis persecutio fidei, quæ sanctæ memoriæ Faustum Episcopum cogeret per diuersas latebras commigrare, nec in ipso monasterio iugiter sineret requiescere. Tunc beatus Fulgentius timens aut in illo loco solus remanere, aut de loco in locum frequentius transmigrare, consulto prius Episcopo Fausto, vicinum monasterium petijt: vbi paucis, sed simplicibus fratribus Felix nomine Abbas præerat, amicus eius ab adolescentia, cum quo semper etiam laicus familiariter vixerat. Tunc igitur eum Felix Abbas cum gaudio suscipiens, imparemq; se eius virtutibus sciens, & nomen & potestatem ei tradidit Abbatis. Ille plenus studio humilitatis, * recusabat priuilegium potestatis. Et post multa certamina pietatis, ex consensu totius congregationis, passus violentiam charitatis, vix consentit esse collega boni consortis. Ita duo viri sanctissimi diligentes æqualiter Deum & proximum, ambo moribus similes, ambo meliores proposito, conuersatione æquales, vnus

Persecutio fidei catholicę

* excusat

Coabbas Fulgentius.

scientia superior, iugum bonum gubernandæ congregationis excipiunt. O quàm felix seruorum Dei numerus fuit, quibus cœperat præesse Fulgentius. O quantum fulgebat illud monasterium, cui dispensator permanserat Felix. Dabant sibi mutuis nominibus etiam ipsi non minoris laudis auspicium. Felix vocabatur Fulgentius viam Domini currens, & fama crescente Fulgentij, capiebat fructum sui culminis Felix. Vnus tamen eorum, beatus videlicet Fulgentius, docendis fratribus peculiariter vacabat: alter, in quotidiano ministerio sollicitius laborabat. Superuenientibus fratribus, vnus Verbum Dei singulariter prædicabat: alter hospitalitatem diligenter præparabat, & hilariter offerebat. Nihil alter sine consensu alterius faciens: sed sic ambo cæteris erant imperantes, vt sub vnius se regula crederent constitutos. Ita dum timebat Fulgentium offendere Felix, Felicémque Fulgentius, mortificatis voluntatibus propriis, vterque viuebat: & de fratrum quibus consulebant vtilitate laudabiles, & de mutua quam sibi reddebant inuicem subiectione sublimes. Quis istius affectus explicare possit loquendo virtutem? Quos quieta pax adunauerat, nec bella valuerunt feralia separare.

CAPVT IX.

Cogitur fugam capessere.

SEd cùm subito Barbaricæ gentis prouincia turbaretur incursu, videntes salutem temporalem fugæ præsidio vindicandam, labores ilico perferendæ peregrinationis excipiunt, limatoq; consilio procul abscedunt, vbi nulla belli nascentis opinio construendi monasterij præberet integram facultatem. Promouent igitur castra spiritalia duces inclyti cælestis exercitus, & per ignotas Aphricæ regiones monachorum suorum caterua comitante pariter gradiuntur, vbique gaudium facientes

*cientes bonis, inuidiam malis. In territorio deniq; Siccensi dum cogitant certas sedes statuere, regionis fœcunditate delectati, virorum etiam fidelium * deuotione susceptí, Presbyter quidam sectæ Arrianæ in fundo Gabardilla perfidiam prædicans, cui nomen quidem inter homines Felix, sed voluntas aduersus Deum semper infelix: natione Barbarus, moribus sæuus, facultatibus potens, Catholicorum persecutor acerrimus. Hic beati Fulgentij nomen in illis regionibus clarum fieri sentiens, reconciliandos multos quos occultè deceperat, suspicabatur. Nec virum dignum sacerdotio, verè adhuc esse monachum credidit, sed eum sub habitu monachi, sacerdotis officium implere putat. Et reuera sacerdotis officium laudabiliter etiam tunc implebat, non tantum aliquos reconciliando, sed omnes quos attingere poterat, ad reconciliationem salutaribus monitis inuitando. Cuius sermo dulcis & rectus, quia dura quoque corda molliebat. Nec immerito hunc presbyterum sic timere pro sua perfidia compellebat. Arripit igitur presbyter, insani furoris stimulis concitatus, seruos Dei crudeliter persequi, & per omnes vias custodibus * deputatis ambulantium simpliciter obsidet itinera. Necessarium quippe fuerat athletas fortissimos voluntarijs abstinentiæ laboribus ad omnem tollerantiam præparatos persequentium paululum tradi manibus: vt martyrialis agonis participes effecti, illata discerent supplicia tollerare, probaturi quid profecissent, si flagellis membra omnia dissipantibus à fide vera minime defecissent. Nescientes ergo cogitationes maligni serpentis, habentesq; fiduciam conscientiæ, nihil timentes, ambo simul gradiebantur secum loquentes.*

* fauore

Felix, presbyter Arrianus, Fulgẽtio infestus.

* distributus.

CAPVT X.

ET ecce subito quasi violentia sæuissimæ tempestatis inuadit incautos, diuidit iunctos, ligat diuisos &

sos, & feralibus vinculis oneratos perducit ad presbyterum vinctos. Efficiuntur subitò sine crimine rei, sine belli sorte captiui. Quibus enim fugientibus nihil nocere potuerunt Mauri, pœnas ingerunt Arriani. Tunc antequam tenerentur, Felix Abbas paucos solidos, vnde fratrum sustentabatur inopia, simpliciter vbi metus* suaserat proiecit, & custodiendos Dei seruis, ipsi Deo committit. O diuini singularis potentia miraculi. Nemo valuit solidos illos proiectos aspicere, nullus permissus est victum pauperum pauperibus tollere: sed illi soli qui sic probandi fuerant, tenentur, ligantur, ad presbyterum perducuntur. Quibus ore terribili violentus presbyter intonat: Cur ex vestris regionibus occultè venistis Christianos reges euertere? Bene enim miser Christianos reges esse dicebat, in quibus Christum Regem regum miserabiliter exsufflauerat, & quos filium patri æqualem negare similis Antichristo docuerat. Illis ad hæc veracissimæ responsionis verba parantibus, inferri præcepit verbas primitus. Igitur Felix Abbas vehementi charitate commotus, parcite, ait, fratri Fulgentio, qui non potest tormenta perferre: Nolite istum cædere inter vestras manus forsitan moriturum: Conuertatur in me vestra crudelitas, ego scio quid confitear, in me est omnis causa. Tunc dilectionis admiratione stupefactus, remoueri paulisper beatum Fulgentium iubet, atque illum grauius cædi ministris sæuissimis imperat. Tunc hilari animo Felix Abbas verberibus subditur. Dolorem quippe cum gaudio sustinebat, quia beatum Fulgentium nihil adhuc pati videbat. Ecce qualis fuit beatus Fulgentius circa amicos, vt vsq; ad mortem diligi mereretur. Ista quippe charitas beati Felicis, vitæ illius sanctæ magnum perhibet testimonium. Neq; enim salutem suam pro illius salute despiceret, nisi sibi primitus & multis vtilem iocundumq;

*inuaserat

Sistuntur Arriano presbytero.

Mira crudelitas Arriani hæretici.

Vehemẽs charitas Felicis Abbatis.

Cæditur Felix.

dumq; sentiret. Imitentur vtrosque qui placere Deo desiderant. Alios doceat beatus Fulgentius sic viuere inter fratres, vt amentur: foueantúrque vt in summis necessitatibus adiuuandi etiam, si periculum non defuerit, iudicentur. Sumant alij de bono facto Felicis Abbatis exemplum, melioribus fratribus & in Dei timore plus proficientibus, omnem gratiam bonæ voluntatis impendere. Quando enim talis charitas inter fratres fuerit, qualis inter sanctissimos viros fuit, vis totius tentationis superatur; inimicorum verò pertinacia continuò frãgitur: quamuis sæuissimus presbyter etiam tunc de Felicis Abbatis iniuria minime satiatus, nec beato Fulgentio parcendum putauit.

CAPVT XI.

BEatus verò Fulgentius, vir omnino delicati corporis, vtpote ex familia natus illustri, violentos impetus fustium repentini doloris acerbitate crescente, vix tollerans, sicut ipse nobis postea referebat, cogitauit presbyteri furentis insaniam vel mollire si posset, vel certe paululum donec recrudesceret auocare, quo facilius inter ipsas moras inueniret spatium respirandi, ne continuata pœna omnino intollerabilis fieret. Dico aliquid, si loquendi potestas tribuitur, dum cæderetur exclamat. Tunc presbyter putans eum confiteri velle, iubet quiescere cædentes, & sic adhuc ad flagella suspensum loqui præcepit quod volebat. Vbi dum beatus Fulgentius eloquentiæ solitæ sermonibus blandis suæ peregrinationis est narrare aggressus historiam, presbyterum facit attonitum, diuq; nimia verborũ suauitate delinitum, penè totius crudelitatis reddit oblitũ. Miratur presbyter beati Fulgentij facundiam, probat sapientiam, magnúmq; aliquem virum coniiciens, erubescit inferre violentiam. Sed ne suis proderet suam superatam

Verberatur etiam Fulgent.

peratam fuisse sæuitiam, cædite ait iterum fortiter, & multiplicatis flagellis lacerate verbosum. Etiã me puto seducere cogitat, longóq; inanis fabulæ circuitu quid conficere moliatur ignoro. Recrudescit iterum manus * vesana tortoris, flagellisq; innumeris beatus Fulgentius exaratur. Tandem presbyter de illata cæde confusus, virorum laudabilium merita sentit, nec apud se eos tenere diutius ausus est, sed deformiter decaluatos, ablatis etiam omnibus vestimentis, ex domo sua nudos inanésq; proiecit. Sed nec illa decaluatio viris sanctissimis turpitudinem, nec nuditas attulit confusionem: * quia tollerata propter * amorem religionis iniuria primæ iam confessionis decorauerat ornamento, superna gratia fulciendos. Processerunt itaque de domo presbyteri tanquam de loco glorioſi certaminis, insignis victoriæ laureis coronati. Reuersiq; per campum vbi fuerant capti, solidos quos Abbatem Felicem proiecisse diximus, integro ibi numero seruatos inueniunt, & quasi ex diuina manu restitutos hilariter accipiunt, agentésq; ineffabiles Deo gratias, qui consolatur humiles in omni tribulatione eorum, reuertuntur ad proximos fratres. Huius autem crudelissimi facti detestabilis opinio cunctam simul mœstificat regionem, nuntiatur etiam Carthagine fama. Inter alios quoque Arrianorum episcopus dolet mactatum graui cæde beatum Fulgentium. Et quia parentes eius cognitos habebat idem episcopus, ipsumq; beatum Fulgentium singulariter adhuc laicum dilexerat, aduersus presbyterum suæ religionis & parœchiæ qui author cædis extiterat, grauiter commouetur, vindicare beatum Fulgẽtium parans; si querelam de memorato presbytero deponere voluisset. Sed beatus Fulgentius multis vt hoc faceret suadentibus, non licet, ait, in hoc seculo vindictam quærere Christiano. Nouit dominus quomodo seruorum suorum

* sæua

Post crudelia verbera, cum summa ignominia dimittuntur.

* quos

* odium

rum defendat iniurias. Iste presbyter si grauissimi sceleris inter homines me agente receperit vltionem, patientiæ nos apud Deum perdimus retributionem: maximè quia multos paruulos scandalizare poterit, si episcopi Arriani iudicium qualiscunque peccator tamen catholicus & monachus quæram. Nolens ergo retribuere mala pro malis, & vitam suam necessariã sciens bonis, ne quam forsan hæreticorum violentiam denuò paterentur, ex illa prouincia rursus egrediuntur, & ad vicina prouinciæ suæ loca celeriter regrediuntur, eligentes vicinos potius habere Mauros, quàm pati molestissimos Arrianos.

CAPVT XII.

IVxta ciuitatem proinde quæ * Ididi nuncupatur, fundare monasterium incipiunt: vbi paruo tempore domino seruientes insistebant operibus charitatis, donec subitò beatus Fulgentius Ægyptiorum Monachorum vitas admirabiles legens, Institutionum simul atque Collationum spiritali meditatione succensus, memoratas terras naũigio petere statuit: duabus videlicet ex causis, vt vel ibi deposito nomine Abbatis, sub regula viueret in humilitate: vel districtioris abstinentiæ legibus subderetur. Et quia desiderium suum impediri poterat publicatum, quærit primitus occasionem proficiscendi Carthaginem: dehinc veniens ad ipsius mœnia ciuitatis, vno tantum fratre, cui nomen erat Redemptus, socio peregrinationis electo, nauim conscendit Alexandriam petiturus: nullos forte sumptus tantæ peregrinationi necessarios secum ferens, sed in Deo qui diues est spem suam firmiter ponens, suauiter canebat cum Dauid: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. Ventis itaque flatu prospero consequentibus, Syracusanum feliciter contingit portum, Deiq; summi prouidentia

* Ydidi

Fulgent. meditatur profectionẽ in Ægyptũ.

Psal. 22.

Appellit Syracusas

S. Eulalius Syracusanus episcop⁹.

uidentia gubernante ductus est ad hanc ciuitatem, vbi tunc Ecclesiam Catholicam beatus Papa Eulalius gubernabat, vir eximiæ sanctitatis, admirabilis hospitalitatis, perfectissimæ charitatis: in cuius corde thesaurus sapientiæ spiritalis absconditus, multos talentorum dominicorũ negotiatione ditabat. Virtute enim discretionis super omnia decoratus, monachorum professionem singulariter diligebat, habens etiam ipse monasterium proprium, cui semper adhærebat, quoties ab ecclesiasticis actibus vacabat. Ad hunc igitur beatus Fulgentius veniens, inter alios peregrinos hospitalitatis officio libenter excipitur, neque tamen diu latere permittitur. Mox enim, sicut moris est in conuiuio sacerdotum, dum de diuinis rebus ortus est sermo, virum singularis scientiæ locutio sua continuò prodidit. Intellexit Episcopus ex ornatu sermonis, & responsionum moderatione, sub monachico habitu magnum latêre doctorem: distulit tamen eundem vel quis esset, cúrve aduenisset, conuiuis præsentibus inter epulas quærere. Post prandium verò cum meridianis horis ante vesperam in domo sua deambularet, Episcopus per fenestrã respiciens, obseruantem sibi sicut cæteros beatum Fulgentium vidit. Quem continuò peculiariter vocans, de Institutionibus ait et Collationibus loqui cœperas, cùm pranderemus: Affer obsecro mihi codicem si portas. Ille sine mora iussis obediens codicem detulit, in quo quid contineretur verbis proprijs iussus exponit. Admiratur sanctus Eulalius scientiam iuuenis, & tali hospite delectatus, cur ex Aphrica venerit, diligẽter inquirit. Ille metuens arrogantiæ notam, si desiderium suum fateretur, incurrere: Parentes, inquit, meos requiro, quos illis in partibus viuere peregrinos audiui. Verè enim parentes suos requirebat, quorum suauissimos mores imitari cupiebat. Intellexit Episcopus responsum non manifestum, totiúsque itineris eius per alterum fratrem qui fuit simplex, inuestigat causas. Ibi tunc beatus Fulgentius salubriter proditus, veritatem simpliciter confitetur: Iturum se ad vltimam Thebaidæ regionis eremum dicit, vt illic sicut lectio monebat mundo mortuus viueret, vbi maior abstinentium numerus assumptioni suæ nullum gigneret impedimentum, sed fortè potius præberet exemplum. Rectè facis, respondit Episcopus, cupiens meliora sectari, sed scis quoniã Deo sine fide impossibile est placere. Terras ad quas pergere concupiscis, à communione beati Petri perfida dissensio separauit. Omnes illi monachi quorum prædicatur mirabilis abstinẽtia, non habebunt tecum Altaris Sacramenta communia. Quid ergo proderit affligere ieiunijs corpus, vbi solatijs spiritalibus indigebit anima, quæ multo melior est corpore? Reuertere fili, ne vitæ melioris intuitu, periculum rectæ fidei patiaris. Ego etiã quondam iuuenis antequam me pontificalis honoris gratia præueniret indignũ, diu cogitaui sanctissimæ huius professionis in ipsius prouinciæ monasterijs adimplere propositum: sed hæc causa me prohibuit assumpta perficere. Consentit beatus Fulgentius monentis patris consilio salutari, suæq; intentionis feruore depositio, suadetur ibi apud Syracusam paucis mensibus degere, sancto Eulalio præbente victum & hospitium congruum. Sed quia bonæ mentis indoles nunquam vacat, charitatis opera semper exercens, in ipso paruissimi hospitij quod acceperat habitaculo, cœpit hospitalitatem multis superuenientibus exhibere peregrinus, & alterius indigens solatio consolãdos suscipere peregrinos. Miratur sanctus Eulalius affluentem sancti animi libertatẽ, magnoq; gaudio saginatur, dum per manũ beati Fulgẽtij, cui victũ quotidianũ, nihil habẽti, ministrabat, alimẽta ministrari non habẽtibus videret, & si fas est dicere, compa-

Monasterium S. Eulalij.

Heb. 11.

Cõmunio Romanæ Ecclesiæ.

Hospes hospitalitatẽ exercet.

comparatione minorum crescere solere maiores, quamuis esset sanctus Eulalius in pauperibus gubernandis omnino perfectus, opera tamen beati Fulgentij considerans, de die in diē plus misericors efficiebatur & largus.

CAPVT XIII.

Rufinianus Episcopus.

PEracto itaque præsentis hyemis tempore, cura vehemēs beatum Fulgentium commouet, Episcopum quendam Rufinianum nomine, qui persecutionis violentiam fugiendo declinans ex Byzaceno Concilio nauigarat, ibiq; prouinciæ Siciliæ vicinus in quadam breuissima commorabatur insula, vitam monachi laudabiliter gerens, videre indifferenter: vt eius admonitione secundo firmatus, quid facere deberet, agnosceret. Hoc autem volebat, non quia Eulalio pontifici minus credebat, sed in rebus dubijs vtilissimum semper esse multorum consilium sentiebat. Per multos itaque pedestris labores itineris ad illum Siciliæ veniens locum, cui plus propinquior illa insula fuerat, vbi sanctus Rufinianus episcopus habitabat, modica nauicula deportatus, sacerdoti venerabili velociter præsentatur: A quo similiter ne in Ægyptum proficisci perseueraret admonitus, redire protinus ad proprium monasterium, neque tamen Apostolorum memoriam prætermittere statuit. Occasione igitur nauigij felicioris inuenta, Romam venit, & authorum secularium consono semper ore laudatam, caputque mundi veraciter appellatam, festinus ingreditur ciuitatem. Fuit autem tunc in vrbe maximum gaudium, Theodorici Regis præsentia, Romani Senatus & populi lætificante conuētum. Vnde contigit vt beatus Fulgentius, cui mundus olim fuerat crucifixus, postquam sacra Martyrum loca veneranter circuiuit, omnésque seruos Dei, quorum in breui capere notitiam potuit, humili obsequio salutauit: in

Romam petit religionis ergo.

Theodoricus 2. in Italia Gorthorum Rex.

Martyrū sacra loca inuisit Fulgētius

loco, qui Palma Aurea dicitur, memorato Theodorico Rege concionem faciente, Romanæ curiæ nobilitatem, decus, ordinémque distinctis decoratum gradibus adspectaret, & fauores liberi populi castis auribus audiens, qualis esset huius seculi glorioſa pompa cognosceret. Neque tamen in hoc spectaculo aliquid libenter intuetur, neque nugis illis secularibus superflua illectus delectatione consensit, sed inde potius ad illam supernam Hierusalem feliciter desiderandam vehementer exarsit: salubri disputatione præsentes sic admonens, Fratres, quàm speciosa potest esse Hierusalem cælestis, si sic fulget Roma terrestris? Et si in hoc seculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem: qualis honor & gloria & pax præstabitur sanctis contemplantibus veritatem?

CAPVT XIIII.

*MVlta his similia beatus Fulgentius illo die salubriter disputauit, & iam toto corde monasterium suum reuisere cupiens, ad Aphricam velociter per Sardiniam nauigauit: vix credentibus præ nimio gaudio monachis suis beatum Fulgentium rediisse. Nesciebat planè sancta fraternitas, quid primitus ageret, vtrum de absentia patris quæreretur, an potius de præsentia lætaretur. Nullus tamen ausus est eum quia discesserat culpare: sed cuncti potius satagebant pro reditu eius gratias Deo agere. Iunguntur seruorum Dei gaudijs etiam laici, lætantur omnes honesti ac nobiles viri, quòd beatus Fulgentius Aphricanæ Ecclesiæ doctor prædestinatus, non diu defuisset transmarinis regionibus occupatus. Certatim deniq; singuli properant ampliora præbere solatia * charitatis, quibus foueretur animus reuertentis. Offertur denique à quodam, nomine Syluestro, bene Christiano, & prouinciæ * Byzan-*

* pietatis,

* Byzacenæ

tinæ primario, locus aptus monasterio fabricãdo, cuius gleba pinguis ac fertilis, instituendis hortis optabili fœcunditate cõgrueret, & quod plus eligendum videbatur longè adhuc à furore bellico cõstitutus, quietissimæ pacis securitatẽ plenissimã daret, honestis plurimis per vicinas possessiones cõmanentibus: Quorũ frequens oblatio transactionẽ facillimã monachis promittebat: vt regnũ Dei quærentibus, nulla cura secularis transactionis obstreperet. Libenter itaq; B. Fulgẽtius hominis religiosi deuotã susciplens oblationẽ, sine mora in loco sibi cõcesso monasteriũ fundat, plurimosq; ad conuersionẽ pijs monitis inuitando monachorum numerum multiplicat, & magnæ congregationis efficitur Pater. Quãuis sanè spiritalia meditari iugiter concupiscceret, ampliori tamen sollicitudine discẽdi compellitur, otium sanctũ quærens ex dilectione veritatis, negotia multa susciplens, ex necessitate charitatis. Vnde victus aliquãdo contẽplatione meliorũ, lectioni & orationi tantũ vacare desiderãs, cogitauit diu quomodo sarcinã præsentis oneris abiceret, & sub aliorũ regimine ipse potius cõstitutus, sub regula viueret, quàm viuendi regulã cæteris traderet, secundũ præceptũ Domini magis vtile iudicans imperãtibus obedire, quàm obedientibus imperare. Cogitanti verò ea diutius, talis subitò sententia nascitur: Est in medio vadosi maris * sinu, monasteriũ Viuecensi littori proximũ, Venne sensi autẽ maxima ex parte contiguũ, vbi neq; hortos colere, paruissimi scopuli limes sinit angustus, neq; ligni, vel potabilis aquæ consolatio saltẽ ministratur exigua: sed rei vtriusque per breuissimas naiculas quotidie sufficientia præparatur. In hoc monasterio rigidi propositi disciplina antiqua seruatur ab infantia sua: plurimis vsq; ad decrepitã senectutẽ sanctissimè ibi viuẽtibus, sanctæq; professioni opera congruæ laudabiliter exercẽtibus. Vbi tũc duo presbyteri peculiares

Cõstruit fundatq; monasterium.

* situm monasterium Vincensi lit.

liares & meritò mirabiles, & immaculatæ senectutis honore venerabiles, Abbatis officio fungebãtur: nunquã de cœnobio recedentes, sed ecclesiasticæ dignitati multos viros idoneos nutrientes. Ad hoc ergo monasteriũ clam B. Fulgentius proficiscitur, ibiq; in cõgregatione tã maxima nomẽ deponit Abbatis: Et adunatus multitudini monachorũ, fulget quidem super cæteros mirabili scientia, eloquentiaq; speciali: sed subijcitur omnibus, laudabili humilitate atq; obedientia singulari. Memor quippe illius euangelicæ sententiæ, qua Dominus noster dicit: Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me: omnes suas mortificat voluntates, ieiunijs, insuper orationibus, vigilijs, & abstinentiæ vacãs, totumq; se cũ vitijs & concupiscentijs secularibus crucifigens, manibus suis etiam delectabiliter operabatur. Nam & scriptoris arte laudabiliter vtebatur, & palmarum foliis flabellos sæpissimè contexebat. Cui operi etiã cùm fuisset Abbas, in suo monasterio vacabat: lectioni autẽ in cellula frequenter coram fratribus insistebat, apud omnes amabilis, honorabilis, & iocundus.

Clã aliud petit cœnobium, posito Abbatis nomine.

Ioan. 6.

Exercitia sancti Fulgẽtij.

CAPVT XV.

SEd quãta in eodem monasterio lætitia, tãta in illius discessu exorta est repente tristitia. Gaudebant isti qui eum susciplebant, dolebant illi qui amiserant. Nascitur inter eos noua pugna charitatis. Isti nouũ socium tenaciter amplectũtur, illi antiquum patrem reddi sibi suppliciter deprecabantur: Isti se ornari de præsentia eius, illi de absentia deficere confitentur. Beatus verò Fulgentius magis volens discere quàm docere, cõsentit hic esse vbi fuit inferior: & trepidat illuc redire, vbi cũctis possit esse superior. Tunc Abbatis Felicis & omnium fratrũ quos reliquerat dolor ex necessitate consiliũ sumens, patrocinio sancti Fausti episcopi Insulanos monachos pulsat. Ille protinus episcopali auctoritate

Humilitas sancti viri.

suum esse monachum Fulgentium allegat, sibique reddi, & vbi ipse iusserit viuere debere confirmat. Minatur excommunicationem contradicentibus, ipsum verò Fulgentium, nisi consentiat, inobedientibus similem pronunciat iudicandum. Quid multa? Deponitur rursus beatus Fulgentius ad monasterium proprium, subire præcipitur Abbatis officium. Et ne iterum à desiderio spiritali mutabilis fieret, repente eum sacerdos consecrat presbyterum: vt Abbatis & Presbyteri decoratus officio, nec monasterium relinquere, nec in alia ecclesia posset ordinari. Victus igitur, & honoris compedibus vinctus, cœpit iam beatus Fulgentius æquanimiter monasterium suum regere, famáque crescente laudabili, super omnes Aphricæ prouincias innotescere, in ipso autem * Nuntorum territorio tanquam proprius Episcopus honorari, paratis omnibus, quandocunque facultas ordinandi episcopum concessisset, beatum Fulgentium primum sacerdotem vocibus & mentibus petere, nec alterum nisi beatum Fulgentium sibi consecrari permittere. * desiderium deinde populorum Deus videbat, ipsum quoque beatum Fulgentium non latebat.

Cogitur redire ad Abbatis officium.

Presbyter consecratur Fulgentius.

* Vinterã

* Desiderium.

CAPVT XVI.

Interdicto Regio non licet ordinare Episcopos.

SEd quia tunc regalis authoritas episcopos ordinari prohibuerat, nec viduatis plebibus prouidere pastores licebat: securus interdictionis huius tẽpora transigebat, superfluum iudicans honorem fugæ præsidio recusare, quem nec dare alicui fas erat, nec accipere. Postquam verò sacra turba pontificum, qui remanserant, communicato inter se cõsilio definierunt aduersus præceptum Regis in omnibus locis ordinationes celebrare pontificum: cogitantes aut Regis iracundiam si qua forsitan existeret mitigandam, quo facilius ordinati in suis locis vel plebibus viuerent, aut si persecutionis violentia

lentia nasceretur, coronandos etiàm fidei confessione quos dignos inueniebant promotione, ministerium verò suum facilius impleturos, atque inter ipsas tribulationes propriis plebibus solatia * præbituros: Fit repẽte communis assumptio, Presbyteros, diaconos, & si quos inueniret electio rapere, benedicere, cõsecrare, certatim in locis singulis properantibus, ne in tali studio aliquis aut tardus aut nouissimus inueniretur. Tunc B. Fulgentius eligentium vota velociori præueniens fuga, latebris incertis absconditur, nec quæsitus vllatenus inuenitur. Plebs ipsius loci vbi fuerat monasteriũ constitutum, differre sũa prorsus electionẽ, donec inueniret B. Fulgentium, cogitabat: Verũtamen timens ne dum diu B. Fulgentius quæritur, fama hæc Carthaginem perueniret, atque inde rursus Regalis interdictio nasceretur: ita compellente festinationis necessitate suadentur sibi de suis clericis alterum quærere. Sic per multa loca vbi B. Fulgentius aut prius aut solus electus est, postquam minime potuit inueniri, dedit alijs honoris summi licentiam. Repleta iam fuerat prouincia Bizacena nouis sacerdotibus, & penè vix paucarum plebium cathedræ remanserant destitutæ. Regis quoque commota sæuitia, cunctos iam decreuerat exilio mancipandos, in ipsum primitus ordinatorem, id est, Primatem, nomine Victorem, procedente sententia, qui iam à seruis regis exeuntibus captus, ad Carthaginem ducebatur. Et omnino succedente maiore tristitia, versa fuit in publicos luctus ordinationis assumptæ latitia. Tunc occultis nuncijs edocentibus transisse tempus faciendæ ordinationis, beatus Fulgentius putans cathedras quàm maximè proximas episcopos habere proprios, ipse rursus monasterij sui congregationem gubernare reuertitur, nihil dubitans, neque formidans, sed omnino pontificalis dignitatis se euasisse sarcinam gaudens.

* præbituros:

Fugit episcopatum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

VEruntamen altiori consilio Deus noster prædestinata perficiens, cui dederat docendi salubriter facultatẽ, doctrinæ salutaris dare iã volebat authoritatẽ, ne deesset fidei catholicæ cõtra Arrianos fidelissimus prædicator. In tẽpore ergo tribulationis abscõdere * voluit vas electionis: per quẽ implere disposuerat officiũ prædicationis. Erat adhuc Ruspe nobile oppidũ, clarissimis habitatoribus prorsus illustre, cui nullus fuerat episcopus ordinatus: quia diaconus quidã Felix nomine, qui ambire voluerat honorẽ põtificis, repudiatus, in illo loco nec ipse merebatur, nec alterũ recipere patiebatur. Frater quippe eius germanus amicus procuratoris, per potẽtiam secularis actionis ministrabat vires ambitionis. Dolor honestorum ciuium mẽtes vehementer angebat, cur soli remãsissent sine patre spirituali, qui videbãtur super cæteros excellere nobilitate carnali. Tum repente fama verax dolẽtibus nuntiat, B. Fulgentium quẽ tot loca primo sacerdotio iudicauerant dignũ, nullatenus tẽpore ordinationis inuentũ, remãsisse presbyterũ: gloria maiore vestitũ, quòd honoris superioris sic cal cauerat appetitũ. Illis quibus displicebat superbus ambitor, placet iste laudabilis excusator. Consentitur ab omnibus, istũ sibi esse seruatũ, propterea minimè tãtis plebibus ambiẽtibus ordinatũ. Nesciẽte igitur B. Fulgentio, Victor Primas in itinere petitur a Ruspẽsibus: & vicinis episcopis ordinãdi Fulgẽtium licẽtia datur. Tunc aggregata violentæ multitudinis manu, repente B. Fulgẽtius, dolẽs oculos, in cella propria reperitur: Inuaditur, tenetur, ducitur, & pontifex esse, nõ rogatur, sed cogitur. Inde ad Episcopum, qui admonitus fuerat ordinationẽ celebrare, perductus, ignoti populi cõstituitur pater: ita vt in illo propheticũ illud copleri videretur oraculum: Populus quem nõ cognoui seruiuit mihi. Nimis autẽ gratissimus viri sapiẽtis aspectus, & fauo-

* noluit

Felix diaconus ambitiosus.

Cogitur Episcopatum Ruspensem suscipere

Psal. 17.

res

res populi suffragãtis augebat: & à quocunq; tũc videbatur incognitus, humilitate vestitũ blandus, modestoq; incessu venerabilis habebatur. Cum verò loqui quippiã cogente interdũ ratione voluisset, in ore eius omnis turba pẽdebat: ex locutione familiari considerãs qualis esset spiritalis magistri futura doctrina. Propter quod ex omnibus possessionibus vbicunq; trãsibat, populus cõfluxerat ad fauendũ Ruspensi Ecclesiæ, quanto serius, tanto meliorẽ confitẽtes prouenisse Pontificem. Diaconus porro videns suæ ambitionis conatus vanissimos defecisse, quod solũ remanere deluso poterat, sauit, & tardus innumeris denijs cõgregatis, veniẽti filio pacis, scãdalũ (sicut sacer loquitur Psalm.) iuxta semitã ponit. Viã igitur per quã veniebat Dei seruus electꝰ, obsedit ambitor infestus: sed vbiq; simplicibus subuenit Christus. Nec impediri potest ab homine sacerdotis electio, quam nõ præcedit ambitio. Nescio quo sancti spiritus admonẽtis imperio per alterã viã populus qui præcedebat ambulauit, & B. Fulgẽtium dũ adhuc hostis sedet in via, super suam cathedrã collocauit. Celebrata sunt eodẽ die Diuina solenniter Sacramẽta: & de manibus B. Fulgẽtij communicãs omnis populus lætus abscessit. Quod postea diaconus audiẽs, diuinæ volũtati, licet tardius, cessit. Hũc illico reuertentẽ B. Fulgẽtius benignè, affabiliter, clementerq; excepit: ita vt eum postea presbyterũ ordinaret. Sed vltionẽ debitã diuina iustitia demõstrauit omnino velociter. Etenim ipse diaconus iam presbyter intra annũ mortuus, & procurator ei consentiens, ad penuriam est redactus. Dederunt enim pœnas tẽporalis audaciæ, quibus potẽs est Deus præparare in futuro gratiã cælestis indulgẽtiæ. Nos istud propterea vel commemorãdum putauimus: vt ostenderemus hinc B. Fulgẽtio maiorẽ creuisse circa singulos authoritatẽ, dum cognoscerent in istis vigilasse diuinã seueritatem.

Felix diaconus pulsus sæuit in Fulgentium. Psal. 139.

Diuina celebrat solenniter sacramenta.

CAPVT XVIII.

SVscepit interim beatus Fulgentius episcopatum, sine aliqua ambitione, cum maxima deuotione: manente in contradictores diuina vltione. Nec ita factus est episcopus, vt esse desisteret monachus: sed accepta Pontificis dignitate, professionis praterita seruauit integritatem. Seruata verò professionis integritas, plus ornauit Pontificis dignitatem. Nunquam denique pretiosa vestimenta quæsiuit, aut quotidiana ieiunia prætermisit, aut conditos suauiter cibos vel inter hospites manducauit, aut discumbẽdo saltem requiescere & resoluere rigidum propositum voluit: sed vna tantum vilissima tunica, siue per æstatẽ, siue per hyemem patienter indutus, Orario quidem, sicut omnes episcopi, nunquam vtebatur: pellicio cingulo tanquam monachus *vtebatur. Sic studio humilitatis ambitionem vestium fugiebat: vt nec ipsa calciamenta suscipiens clericorum, vilissimis caligis in tempore hyemis, aut caligulis in tempore æstatis vteretur. Intra monasterium sane interdum soleas accipiebat: frequenter nudis pedibus ambulabat. Casulam pretiosam vel superbi coloris, nec ipse habuit, nec monachos suos habere permisit. Subtus casulam nigello vel lactinio pallio circundatus incessit. Quando temperies aëris inuitabat, solo pallio intra monasterium est coopertus. Scapulis verò nudis nunquam à nobis visus est: nec deposito saltim cingulo somnum petiuit. Suæ autem* conscientiæ, Deo teste, fiduciam gerens, in qua tunica dormiebat, in ipsa sacrificabat: & tempore Sacrificij, mutanda esse corda potius, quàm vestimenta dicebat. Huic beatissimo sacerdoti nullus aliquando extorsit cuiuslibet generis carnes accipere: sed sola simpliciter holera, ptisanas, & ouа, quàm diu fuit iuuenis, sine oleo: postquam verò senuit, superfuso oleo manducauit: ideo oleum persuasus

Honores non illi mutant mores.

Vestitus eius.

*cingebatur.

*continẽtiæ,

Carnibus perpetuò abstinuit.

*suasus accipere, ne caligo prævalens oculorum, lectionis impediret officium. A vino autem semper sanus abstinuit. Si quàdo verò compellente infirmitatis necessitate vino modico vti cõpulsus est: calicibus plenis aqua, superfundens quippiam meri, nec saporis eius nec odoris iocunditate fruebatur. Antequam vigiliæ nuntiarentur à fratribus, ipse semper corde & corpore vigilãs, aut orabat, aut legebat, aut dictabat, aut cuicunque spiritali meditationi solus vacabat: quia se per diem filiorum ecclesiæ necessitatibus occupari iugiter sciebat. Ad agendas cum seruis Dei vigilias interdum descendebat, sed priuatas apud se vigilias, studijs quibus dixi, multo laudabilius exercebat.

CAPVT XIX.

IN nullo autem loco visus est sine monachis habitare: propter quod à ciuibus Ruspensibus hoc primum beneficium ordinatus episcopus postulauit, vt fabricãdo monasterio locum congruum darent. Tunc ex pluribus ciuibus obedire festinãtibus optimo sacerdoti, quidam nomine Postumianus, Christianissimus, & inter suos nobilissimus ciuis, agellum proprium fideliter obtulit, non longe ab ecclesia constitutum: vbi pinis surgentibus in excelsum, speciosi nemoris virebat amœnitas. *Excepit beatus Fulgentius libentissime locum, cuius etiam necessaria ligna futuræ fabricæ conspiciebat: protinúsque beatum Abbatem Felicem venire velocius persuasit cum maxima pene totius congregationis multitudine: nisi quod paucissimos fratres in illo monasterio dereliquit, quibus vnum è fratribus, nomine Vitalem, præposuit. Tali verò charitatis lege monasteria vtraque* præcipiens viuere: vt quasi non fuissent locis diuisa, sic füissent vnanimitate coniuncta: si quos autem nouos monachos vel in isto vel in illo monasterio

Nusquã degit sine monachis.

*Accepit

*præcipiebat vnus:

Christus acquireret, tempus inter se conuersionis, ordinemq; seruaret. Et si quando ad se vidēdos iubentibus duntaxat prioribus venirent: non vt hospites, sed quasi vnius congregationis homines susciperentur. Beati verò Fulgentij episcopi prouisionibus communiter gubernati, patrem spiritualem simplici venerarentur affectu: sic beato Fulgentio singula disponente, ne susceptā regendorum sarcina clericorum, consolationem perderet monachorum.

CAPVT XX.

Protrudi tur in exilium.

INterea repentè diriguntur ministri regalis furoris: vt detentus etiam ipse cum cæteris, in exilium Sardiniam confessor Christi nobilis truderetur. Abductus ergo velociter, licet doleret ecclesiam suam nullis adhuc eloquiorum suorum monitis eruditam, remansuramq; protinus destitutam: sapiēter tamē tristitiam gaudio maiore vincebat, quod tā gloriosæ confessionis esse particeps inchoabat. Comitātibus ergo monachis simul & clericis, magister egregius vtriusque professionis, exit flentibus omnibus laicis, de cathedra honoris ad locum beati certaminis: paratus fidem catholicam mente libera voce fori, coram Regibus & potestatibus confiteri. Suscepit eum Carthago venientem, fructumq; notitiæ eius in paucis diebus fideliter gustans, multa obtulit munera: quæ beatus Fulgentius monasterio illi quod fabricari delegauerat, profutura mandauit. Ipse verò nauim crucifixo corde & corpore nudus ascendit: habens secum plurimas diuitias scientiæ singularis, quibus omnes, vbicunque veniebat, indesiciente largitate pascebat. Inter alios sane episcopos cū quibus exilium commune susceperat, tempore ordinationis erat inferior: sed patientiæ & charitatis virtute non inferior. In rebus enim dubijs, vbi quammaxime consilium petebatur, si quando inter se cōfessores beatissimi de communi

muni vtilitate tractabant, vltimus quidem sedebat: veruntamen ipsius sententiam primas vel omnes qui primatē sequebantur, audire & facere cupiebant, quānis ille nihil per inanem gloriam sibi vindicans, deferret honorem congruum prioribus suis. Si enim cogebatur respondere consulentibus, erat paratus eis semper obedire iubentibus, nec præsumebat extorquere aliquid nolentibus. Post deliberationis autem longissimas moras, quicquid diffinitio communis inuenerat, eloquenter allegandum sensibus cæterorum, beato Fulgentio dimittebatur. Huic etiā quandocunq; Transmarinis literis de fide vel de diuersis quæstionibus interrogabantur episcopi, respondere pro omnibus ab omnibus imponebatur. Ita sicut sanctæ memoriæ Aurelius Carthaginensis ecclesiæ antistes, inter sua priuilegia meruit, vt literas ex Africano concilio dandas ipse solus scriberet: sic iste meruerat, vt literas ex illo concilio dirigendas solus ipse dictaret. Sexaginta quippe & eo amplius episcopos tunc catena ligabat exilij, quorum lingua & ingenium beatus Fulgentius episcopus fuit. Propterea quandocunque rescribebant consulētibus, episcoporum nomina cunctorum dicebātur in titulo: sed solius beati Fulgentij sermo tenebatur in stylo. Præter istas quoque publici tractatus epistolas, si quis forte ex ipsis absentē plebē suā corrigere vel monere voluisset: ad beatū Fulgentium accedebat, & per ministerium linguæ eius officium suæ dispensationis implebat. O mirabilē virum, non sibi soli, sed omnibus natum. Sola eum Ruspēsis ecclesia doctorē meruerat: & pars maxima Concilij * Byzantini de ipsius sermone viuebat. Quicunque in qualibet sacerdotum exulātium plebe tentabat inquietus existere, vel episcopi proprij iussa contēnere: beato Fulgētio dictāte sic corripiebatur absens, vt satisfactionis remedium quærens, enauigato mari cōtinuò fieret præsens

Eius sententiam quanti fecerint Episcopi

Nomine omnium Episcopotū redditur respōsa literis.

Sexaginta Episcopi exules. Vti videre licet in libro suo, De Incarnatione & gratia & lib. arbitrio.

Efficacia scriptorum Fulgentij.

* Byzacenf

sens: & per ipsum B. Fulgentiũ cuius eloquentiam senserat excommunicatus, impetraret veniam salubriter humiliatus. Ipse namque B. Fulgentius erat vltor, ipse intercessor: cum collega vltor, pro ministro intercessor. Ab ipso procedebat gladius, vnde superborum ceruix dura caderetur: & per ipsum rursus benevolentiæ medicina præbebatur, donec supplicum fratrum pusillanimitas sanaretur. Inter ipsa planè primordia gloriosi exilij, monasterium congregare, paucos secum ducens monachos, minime potuit: sine fraterna tamen congregatione vitam ducere nescies, coepiscopos suos, Illustrem scilicet & Ianuarium, habitare secum persuasit volentes. Quibus vnico seruiens charitatis affectu, similitudinem magni cuiusdam monasterij monachis & clericis adunatis sapienter effecit. Erat quippe eis communis mensa, commune cellarium: communis oratio, simul & lectio. Nullus se super alterum *violenter efferebat, neque propriis fratribus amplius aut peculiarius consulebat: nisi quod magis illi monachi qui beatum Fulgentium sequebantur, districtioris abstinentiæ regulam custodientes, nihil omnino proprium possidebãt, nec inter alios clericos, clericorum more viuebant. Talis erat beati Fulgentij eruditio, quæ spiritalibus monitis ita subiectorum sibi corda transferret à terrenis voluptatibus ad spiritales cælestesq; delitias, vt boni propositi manente censura, non seducerentur infirmorum fratrum inertia, nolentium imitari quæ quotidie ante oculos eorum gerebantur exempla. Quis illius habitationis digne explicet laudes? Domus illa tũc *Caralitanæ ciuitatis oraculum fuit. Illuc enim veniebat afflictus, percipere remedium consolationis, ibi gerebantur inter discordantes pacis & concordiæ pacta fidelia, diuinam volentibus audire lectionem, diligentius ministrabat ibi dominus plenissimæ expositionis ædificationem.

Monachi & Clerici simul degunt.

* insolenter

* Caralitanæ.

Delectabat nobiles viros, si fieri posset quotidie beatum Fulgentium cernere disputantem, libebat indigentiam sustinẽtes inde petere suppliciter eleemosynam corporalem, vnde doctrinam quoque sumerẽt spiritualem. Frequenter enim beatus Fulgentius quos multa largiendo de temporali fame liberabat, renunciare seculo, sapienter ammonendo, faciebat: Et quamuis nihil habẽtes, habendi voluntatem contemnere suadebat, ita cupidus semper acquirendi ad cœnobia fraternitatis, vt quamuis omnia omnibus nosset esse: monachorum tamen professioni sociare cunctos & optaret & vellet. Hæc fama per dies singulos crescens, Carthaginensis quoque ecclesiæ populos ad maiora gaudia prouocabat: & certissimis testibus ex illa prouincia venientibus beatum Fulgentium commendabat absentibus.

CAPVT XXI.

INterea Trasamundi Regis aduersus religionem catholicam mens implacabilis, & ira terribilis, inter asperas persecutiones subdolasq; factiones, quibus æqualẽ Deo patri negare Christum Catholicos nũc terroribus cogebat, nunc promissionibus inuitabat: sub intentione plus decipiendæ multitudinis, simulare cœpit rationem se simpliciter inquirere Catholicæ religionis, reperiri neminem putans, cuius posset in suis erroribus assertione conuinci. Proponebat denique multarum ineptarum tendicula quæstionũ, & si quis ei respondere voluisset, aut despiciebat, aut repellebat, imò quasi patienter audiens, satis sibi non posse fieri iactabat. Et reuera quis enim homini tam obdurato corde valuisset lumen ostendere veritatis? Efficiebat tamen plurimos religiosos, audaces fidei suæ constantia, per occasiones à Domino præparatas studiosi Regis conuincere blasphemias. Dicitur tamen requirenti diutius, quis plenissime pos-

Persecutio regis Trasamũdi.

mè posset testimonijs euidentibus vindicare veritatem Catholici dogmatis,* inter episcopos exulatos esse beatum Fulgentium: cui nihil deesset in scientia, plurimum redundaret in gratia, qui sapienter & eloquenter roganti Regi satisfaceret. Protinus Rex probare cupiens sacerdotem, cui generaliter testimonium bonum tota religionis nostræ perhibebat ecclesia, seruum strenuum celeriter dirigit. A quo sine mora ductus atque perductus, peruenit Carthaginem lætus: vbi tanquam fidelissimus dispensator, erogandi talenta sibi credita reperiens occasionem, cœpit in hospitiolo proprio venientes ad se Catholicos orthodoxos diligenter* erudire: rationem reddēs quomodo pater & filius & spiritus sanctus, manente trium personarum differentia, Deus vnus à fidelibus prædicetur. Tanta autē fuit beato Fulgentio facundi sermonis suauitas, tanta in vultu eius micabat hilaritas: vt certatim fideles vniuersos sancta charitas traheret, vel interrogare doctissimum virum, vel audire, quoties ad interrogata* respondēret. Ille verò verbum Dei sine inuidia tabescente cōmunicans, occurrebat interrogationibus omnium, neminem despiciens, nullum iudicans improbum, paratus etiam ipse, si cui forte Deus per spiritum sanctum melius reuelasset, audire vel discere, tenere, sequi, approbare: sub officio doctoris humilitatem discipuli benignus & mitis exercens. Vnde contigit, vt multo doctior & seipso melior fieret: lucra Christo maiora perquirēs. Alios enim iam rebaptizatos, errorem suum plangere docebat, & reconciliabat: Alios autem, ne suas animas pro terrenis commodis perderent, admonebat. Et quos iam perditioni proximos sentiebat, ita blandis sermonibus leniebat, vt propter eius beneuolentiam verecundarentur cogitatam implere malitiam, reuersiq; velociter agerent pœnitētiam. Confortati alij verbis eius, & doctrinæ eius

* esse inter episcopos exulantes beatū Fulgentium.

Trasamūdus accersit Fulgētium.

* docere:

* respondebat.

Fructus doctrinæ S. Fulgētij.

næ eius sale conditi, redarguebant Arrianos hæreticos cum omni fiducia. Sic mirabili gratia factum fuit, vt per vnum sacerdotem, cuius sapientiam rex voluerat experiri, sapientum numerus apud Carthaginem cresceret: & per ministerium persecutoris, fides catholica incrementum potius, quàm defectum acciperet.

CAPVT XXII.

HÆc omnia Rex per occultos nuntios discens, egregij sacerdotis ingenium, sapiētiam, doctrinam, fidem, pietatem, mansuetudinem, continentiam probat: & conuenientem famæ suæ præconijs, talem esse qualis prædicabatur agnoscit. Dicta proinde quædam, veneno perfidiæ plena, legenda ei celeriter dirigit, responsionem sibi flagitans reddi. Suscepit hæc doctissimus pontifex: & longissimæ narrationis ineptias per obiectionum capitula diuidēs: responsiones subiecit breues, probabiles, necessarias: authoritate testimoniorum graues, & totius rationis lumine radiantes. Quas cum multis sapientibus viris diu multúmque collatas, & ad populi fidelis notitiam perductas, Regi quoque longa expectatione suspenso tradidit ingerendas. Quas Rex ille barbarus intentissimè perlegens, quia nunquam prædestinatus fuerat ad salutem, laudat sapientiam, miratur eloquentiam, prædicat humilitatem, neque tamen meretur intelligere veritatem. Carthaginensis autem populus triumphi spiritalis interpres, propositiones Regis fuisse conuictas læto murmure confitetur: & Catholicam fidem semper esse victricem, coniunctis beati Fulgentij laudibus gloriatur.

Responsion. D. Fulgētij ad decē Obiect. Arrianorum.

CAPVT XXIII.

ADhuc tamē Rex virum doctissimum probare desiderans, de alijs eū quæstionibus rursus interrogat: & inter-

& interrogationem suam semel tantum beato Fulgentio præcepit legi, neque meditandi, neque describendi tribuens facultatem. Timebat enim ne verba eius conuincenda sicut prius sermonibus eius insererentur: totiusq; iudicio ciuitatis, victus esse iterum probaretur. Beatus verò Fulgentius semel sibi lecta vix *recolligere prævalens, respondere differebat: sed respondere eum Rex magis ac magis imperabat, responsionis arguens moras, & cautelam viri sanctissimi diffidentiam iudicans. Vnde idem pontifex discretionis virtute subnixus, ne qua forsitan per populum mendacia spargerentur, quibus fingeretur aut nõ potuisse, aut noluisse beatum Fulgentium regalibus quæstionibus obuiare, tres libellos mirabiles facit: vbi memoratum Regem simpliciter alloquens, totius quæstionis seriẽ quam tenui auditu perceperat, latè reuentilabat, docens animam rationabilem Christo Domino in susceptione carnis minime defuisse. Tunc Rex admiratione maxima repletus, nihil est amplius interrogare ausus: nisi quod vnus ex episcopis eius, Pinta nomine, quasi respondere conatus, tacere potius noluit, quàm respondere aliquid potuit. Cui tamen illico beatus Fulgentius, alterius operis, quod aduersus Pintam titulauit, disputatione veridica restitit: Et in prima defensione sua victos aduersarios, temerè satis ostendit repetisse certamen.

*recolere

Lib. tres ad Trasamũdum Regem.

Liber D. Fulgẽtij aduersus Pintam Episcopum Arrianum: qui non extat.

CAPVT XXIIII.

De spiritu sancto interroganti presbytero Abragilæ per Commonitorium paruissimum testimonia protulit plura: docens eum cum patre & filio vnum Deum simpliciter confitendum. Cuius etiam commonitorij sententias, inter vtrumque illius temporis opus ordinauit oportere describi, legentibus omnibus fidelibus catholicis & mirantibus, erubescentibus Arrianis, & dolore

Lib. seu Cõmonitorium eiusdem De spiritu sancto ad Abragilã presbyterorũ

dolore contra ipsum murmurantibus: donec malæ suggestionis occasione reperta, volẽti eum Regi intra Carthaginem diutius retinere, diceretur ab impijs & malis hominibus: Sine causa Rex laboras: nihil tua diligentia proficit. In tantum quippe iam doctrina Fulgentij episcopi prævaluit, vt de sacerdotibus tuis reconciliet aliquantos: proinde nisi cito subueneris, religio nostra deficiet: & quicunque à nobis est baptizatus homousion, iterum prædicabit publicè reconciliatus, nec si persecutionem volueris concitare, timeri poterit Regalis sæuitia: Multum quippè confortat, stabilésque facit omnes episcopos Fulgentij præsentia.

CAPVT XXV.

Suggerentibus talia Rex quasi magna necessitate cõstrictus, assentit: & beatum Fulgentium rursum ad exilium Sardiniæ reuocare compellit. Intempesta igitur nocte, (sic enim Rex fieri delegauerat) ad nauim B. Fulgentius populo ignorante perducitur. Sed contrario flatu resistentibus ventis, super litus tantas passus est moras, vt per dies plurimos omnis penè illuc ciuitas conueniret, & de manu eius valefaciens communicaret. Ibi autem prophetica gratia per spiritum sanctum repletus, Iuliateo viro religioso nimis afflicto, grauitérque pro discessu beati pontificis ingemiscenti: Diutius, ait, flere noli, cito reuertemur ad vos, Catholicæ ecclesiæ libertate reparata videbitis nos. Hoc autẽ quæso secretum sit apud te: quod nimia charitas indicare cõpulit me. Sic sollicitè semper beatus Fulgentius iactantiam fugit: nec in donis spiritalibus humanam gloriam quæsiuit, testimonio conscientiæ suæ contentus, & sola misericordia Dei fretus. Vnde etiam *mirabilia facere nunquam delectatus, hanc gratiam dari sibi nullatenus desiderauit. Sed si quando petebatur pro infirmis

Iterũ relegatur Fulgẽtius.

Prædicit celerem reditum suum.

*miracula

d & labo-

& laborantibus, vel necessitatem temporalium tribulationum tollerantibus Dominum deprecari, preces suas sub hac deuotione fundebat: Scis Domine quid animarum nostrarum saluti conueniat. Poscentibus ergo nobis quod monet necessitas, hoc misericordia tua concedat, vnde spiritalis non impediatur vtilitas. Oratio igitur nostræ humilitatis, si expedit tunc exaudiatur: vt voluntas tua feliciter compleatur. Et frequenter quidem Deus omnipotens oranti sacerdoti suo multa concessit: Sed ille nihil propriis tribuens meritis, eorum potius fidei pro quibus exaudiebatur omnia deputabat, neque sibi, sed illis concessum hoc esse dicebat.

CAPVT XXVI.

*SED ne diu moras longissimas faciamus, vnam eius sententiam de faciendis mirabilibus inseramus. Mirabilia, aiebat, non conferunt homini iustitiam: sed hominum notitiam. Quisquis autem hominibus fuerit notus, nisi fuerit iustus, ad æterna perueniet supplicia condemnatus. Ille verò qui misericordiæ cælestis * opera iustificatus, in conspectu Dei solius vixerit iustus: etiam si parum sit hominibus notus, beata sanctorum gaudia percipiet coronatus. Vir igitur mirabilis timuit habere laudem de mirabilibus: quamuis ampliora quotidie miracula faceret exhortatione sanctissima multos infideles credere, multos hæreticos reconciliari, multos pessimis moribus deditos, continentiæ faciens leges excipere, dum per eius saluberrima monita sobrietatem discerent ebrioſi, castitatem sectarẽtur adulteri, distribuere omnia pauperibus auari rapacésque docerentur: & mutato proposito superbis humilitas, litigiosis pax, inobedientibus obedientia fieret dulcis. Talibus plane mirabilibus beatus Fulgentius piam operam semper dedit: quibus secum comi-*

* ope

comitantibus, in omni loco & tempore glorioſus, fauẽte aliquando sereni aëris tranquillitate Sardiniam reportatus, exultantium coepiscoporum lætos animos reddidit, ipsámque prouinciam cui tantorum præsentia sacerdotum tribuebat ornatum, præsentiæ suæ luce fecit splendidam: concurrentibus vndique Christianis hominibus, cum gaudio videre athletam Christi fortissimum, qui certamine singulari sæuientis impetum Regis fregerat, ad diuina castra rediſſe insignibus laureis adornatum, & antiquis commilitonibus iunctum, tanto amplius singulis exhibuisse laudabiliter humilitatem, quanto sciebat suam plus enituisse virtutem: memor sine dubio scripturæ monentis, Fili, quanto magnus es, humilia te in omnibus: & coram Deo inuenies gratiam.

Redit in Sardiniã cũctis lætantibus.

Eccl. 3.

CAPVT XXVII.

NOluit plane iam beatus Fulgentius in priore domo multis fratribus comitantibus diutius habitare: sed iuxta Basilicam sancti martyris Saturnini, procul à strepitu ciuitatis vacantem reperiens locum, Brumasio Calaritanæ ciuitatis Antistite venerabili prius sicut decuit postulato, nouum propriis sumptibus monasterium fabricauit. In quo quadraginta & amplius fratribus congregatis, disciplinæ cœnobialis ordinem custodiuit illæsum, nemini dans licẽtiam professionis sanctæ regulam præterire, sed principaliter hoc obseruandum monachis tradens, vt nullus eorum quicquam proprium sibi vindicaret, sed essent omnibus omnia communia. Dicebat enim frequenter, nec debere nec posse monachum iudicari, cui voluntas habere pristinatum peculium persuaserit. Vt enim monachus lautioribus forsitan cibis vtatur, interdum cogit infirmitas corporis: vt autem cupiat in quamlibet exiguis rebus iuris proprij dominium vindicare, superbæ volũta-

Nouum construit monasteriũ exul Fulgent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

voluntatis & auaræ cupiditatis euidens testimonium est. Distribuebat plane ipse cum summa discretione seruis Dei necessaria vitæ subsidia: singulorum vires infirmitatemq; considerans. Veruntamen quibuscunque plus cæteris consulebat, eos humilitatem custodire amplius admonebat: dicens eis, de substantia communi quisquis aliquid plus accipit, omnium fit debitor quorum est illa substantia, porro debitorem sola iuuat humilitas. Sic efficiebat, ne quis scandalum pateretur, quando vni propter infirmitatem plus dare videbatur. Erat quoque ei nimia sollicitudo præuenire cunctorum monachorum petitiones: ante tribuendo quicquid tribuendum cuilibet vel necessitas, vel ratio manifesta monstraret. Si quis autem præsumpsisset priusquam acciperet petere, negabat ei continuò, etiã si mereretur accipere: dicens monachos debere ijs quæ acceperint esse contentos. Cæterum qui sibi plus quam indigeant petunt, desideriis adhuc carnalibus seruiunt, & omnino non perfectè de cælestibus cogitant, quamdiu quid sibi necessarium sit ipsi sibi quia non possunt negotiando, petendo saltem prouidere festinant. Illos quoque veros esse monachos dicebat, qui mortificatis voluntatibus suis parati essent nihil velle aut nolle: sed Abbatis tantũmodo consilia vel præcepta seruare. Propterea sine suo consilio nec cum fratrem qui præpositi gerebat officium, sinebat aliquid agere. Laborantes fratres, & opera carnalia indefessis viribus exercentes, lectionis autem studium non habentes, minus diligebat: nec honore maximo dignos iudicabat: In quo autem fuit scientiæ spiritalis affectus, etiam si virtute corporis destitutus operari manibus nunquam posset, peculiariter habebatur dilectus & gratus. Amabat autem quando coram fratribus disputabat, si quis ei quæstiones proposuisset acerrimas, in quibus excellentissimo laboraret ingenio: licebátque generaliter omnibus fratribus etiam natura simplicibus, parúmve intelligentibus vnde vellent interrogare: nec prius quam satisfactum sibi confiterentur, rationem reddere, victus tædio vel labore, cessabat. Erat enim maxima ei & mirabilis gratia, corripere inquietos, corde tranquillo: ita vt tũ magis quãdo putabatur ab alijs vehementer irasci, summa in eo vigeret regnaretq; placiditas: & sine perturbatione perturbato similis esset: multos male agentes salutari impetu perturbabat. Odiens enim vitia, diligẽs homines: tam diu seuerus apparebat, quamdiu disciplinæ spiritualis vtilitas exigebat. Alias autem circa singulos ita mansuetus fuit, & communis & facilis, vt neminem fratrum puro nomine clamitaret: neque cum typho secularis dominationis aliquibus quamuis paruulis imperaret.

Veri monachi qui sint.

CAPVT XXVI.

*Scripsit eodem tẽpore Carthaginensibus epistolam, sublimi exhortatione perspicuam: vbi penè cunctos dolos & fallacia blandimenta, quibus infelices seducebantur animæ ad mortem, grauissima conquestione digessit. Tunc etiam de remissione peccatorũ consuleti Euthymio viro religioso, duobus libellis sine mora respondit. Testimonia quoq; prædestinationis, & gratiæ differentias cupientẽ nosse, salubriter disputãs docuit. Iam familiares epistolas, in quibus tamen spiritalis ædificatio continetur, & ibi apud Sardiniam commanentibus, & in Africa degentibus, & Romanis, præcipuè Senatoribus, viduisque, ac virginibus, quarum fama laudabilis habebatur, frequenter direxit. Ad Probam virginem Christi, de Ieiunio & Oratione duos libellos cõscripsit. Ita erat notior omnibus gentibus: * vt duo libri quos Faustus Episcopus Galliarum contra gratiam*

Quæ scripserit Fulgentius.
Epistolã ad Carthaginẽs. puto eã esse quã ad Donatum habemus.
Lib. 2. de Remissione peccatorum ad Euthymium.
Lib. de prædestinatione & gratia.
Epistolæ familiares.
Epistola ad Gallã viduam.
Epistola ad Theodorũ Senatorem
Ad Probã lib. 2. Contra duos libros Fausti epist. scripsit S. Fulgẽtius septẽ libros.

* cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

gratiam subdolo sermone composuit, fauens occultè Pelagianis, sed Catholicus tamen volens videri, Constantinopoli offensi, à plurimis fratribus, ad beatum Fulgentium probandum dirigerentur. Quibus, ne occultum serperet virus, septem libris ipse respondit: plus laborans exponere quam conuincere, quia dubios sermones eius exponere, hoc erat delirantis argumenta conuincere. Magnus plane huius operis labor, mercedem debitam cito suscepit. Mox enim vt est dictatio ipsius finita, protinus est longissimæ captiuitatis catena disrupta. Mors enim Trasamundi Regis, & mirabilis bonitas Hilderici regnare incipientis, Ecclesiæ Catholicæ per Africam constitutæ libertatem restituens, Carthaginensi plebi proprium donauit Antistitem: cunctisq; in locis ordinationes pontificum fieri, clementissima authoritate mandauit.

Hildericus Rex Catholicus.

CAPVT XXIX.

BEatus itaque Fulgentius postquam sapienter expugnasset Pelagianos, lætificatos meruit videre Catholicos. Inde secundum quod per eum spiritus sanctus prædixerat, reuersus est Carthaginem cum omnibus consacerdotibus, vnde solus exierat. Inuenit lætos, quos reliquerat mœstos. Inuenit nimia exultatione feruentes, quos reliquerat persecutionis violentiam sufferentes. Inuenit habentes spiritualem patrem, quos reliquerat dolentes ecclesiam matrem. Inuenit expectantes secum gaudio, quos reliquerat gementes in tædio. Tanta autem fuit deuotio Carthaginensium ciuium, beatum Fulgentium reuisere cupientium: sic vniuersus populus expectabat ardenter, quem viderat in conspectu suo pugnasse viriliter: vt alijs episcopis ante ipsum descendentibus, silens multitudo super litus staret: oculis & mentibus inter omnes episcopos beatum

Redeunt exules Episcopi.

tum Fulgentium (quem familiariter nouerat) quærens, & eum à cunctis nauibus expetens. Vbi verò facies eius apparuit, immensus nascitur clamor: altercantibus omnibus quis primo salutaret * agnoscendus, quis caput benedicenti supponeret, quis extremis vel saltem digitis mereretur tangere gradientem, quis videre vel oculis procul stantem. Resonabat enim diuina laus ex omnibus linguis. Ad sancti quippe Agilei basilicam sequens populus & præcedens, confessorum beatorum triumphum nobilem celebrabat. Multitudo autem maxima populi, beatum Fulgentium quem plus cæteris honorabat, concurrens alacriter, comprimebat: donec * sancta quorundam Christianorum prouisio rotam in circuitu faciens æstuanti, liberum præberet iter in medio transeunti. Probare tamen adhuc Dominus cupiens virorum fidelium charitatem: copiosis imbribus ambulantes mirabiliter inundauit. Et quis opera * charitatis enarrare valeat, absque dispendio veritatis? Immensa pluuia neminem terruit, aut obsequium sacerdoti religioso præbere prohibuit: imò potius velut benedictione cælesti desuper descendente, tantum fides nobilium creuit, vt planetis suis super beatum Fulgentium gratanter expansis, repellerent imbres, & nouum tabernaculi genus artificiosa charitate componerent: imitatores eorum effecti, qui prioribus temporibus Saluatori super pullum asinæ considenti, & Hierosolymam venienti, vestimenta sua (sicut euangelium loquitur) in via sternebant. Tale quippe aliquid & isti faciebant: qui propriis indumentis beati Fulgentij nudum caput vnanimiter protegebant. Vix ergo appropinquante vespere, sanctæ memoriæ Bonifacio episcopo repræsentati, benedixerunt omnes & laudauerunt communiter Deum. Tunc beatus Fulgentius, per omnes vicos Carthaginensis ciuitatis

* agnoscendum,

* cautè

* pietatis.

Fulgẽti honorificentissimè & susc ipitur & deducitur. Matt. 21.

Ardens deuotio populi Catholici

ubicunq; transibat manibus & oculis demõstrabatur: laudibusq; innumeris prædicabatur. Postquam verò domos omnium diligentium se petitus visitauit, benedixit, & gaudere dignatus cum gaudentibus, qui prius fleuerat cum flentibus, cunctorum desideria satiauit, valefaciens fratribus, egressus de Carthagine, per omnes prolixi itineris vias gaudia maiora reperiẽs, in occursum suum populis vndiq; tendentibus, cum lucernis & lampadibus & arborum frondibus, reddentibus gratiam ineffabili Deo, qui beatum Fulgentium mirabiliter in conspectu omnium fecerat gratiosum. Per ecclesias tanquam proprius Episcopus suscipiebatur: & sic de reditu eius omnis * Byzatina prouincia velut plebs vna gaudebat. Quem obsecro gloriæ huius non attolleret magnitudo? Beatum tamen Fulgentium ad * maioris humilitatis studium prouocauit. Veniens namq; cum gloria populari, dignitatem pontificis priuilegio specialis venerationis accumulans, postquã cathedram sedit, inter monachos adhuc habitare desiderauit. Et ne videretur Abbatis Felicis aduentu suo minuere potestatem imperandi monachis, omnem sibi ademit voluntariè facultatem, non suam, sed alterius volens ipse quoque sequi voluntatem. Et qui adhuc monachus dispensationem susceperat fratrum, iam Episcopus dominari noluit in proprio monasterio: sic sollicitè cauens, ne Felicem contristaret Abbatem: vt exhibens superuenientibus hospitalitatem, si quando vel multiplicari panem, vel aliquid amplius exhiberi necessitas expetisset, Abbatis primo Felicis consilium requisisset. In omni deniq; Concilio * Byzantino, de rebus maioribus ipse primus consulebat: in monasterio proprio, de rebus minimis Abbatem Felicẽ * simpliciter consulebat. Parum fuit beato Fulgentio verbis & operibus hanc humilitatem sequi ac retinere, nisi per scripturã quoq; firmaret,

* Byzacena. Oblata gloria redit Fulgẽtiũ humiliorem. ô rara virt⁹.

* maius.

* Byzaceno

* suppliciter.

firmaret, nihil se in illo monasterio proprium vindicare, nec pro potestate, sed pro charitate inter monachos habitare. Considerãs enim prouidus, ne quod serui Dei simplices præiudicium postea paterentur: obicem contradictionis in hac scriptura successoribus suis apposuit, quia vtilitati monachorum seruientium Deo nihil præposuit. Emit tamen iuxta ecclesiam domum, cui fabricandæ curam maximam diligenter impendit: ne futuro successori suo deesset hospitium. Clericorum verò si qua defuerunt ministeria reparans, probatos sibi multos ex fratribus monachis ad ecclesiasticam militiam transtulit. Ibi quoque charitati cõsulens, vt dum pene omnes clericos ex illo monasterio ordinat, antiquæ familiaritatis monente notitia, nulla lis aliquãdo inter monachos & clericos ventilaretur. Summam quoque diligentiam præbuit, ne quis clericus ambitiosis vestibus ornaretur: ac negotijs secularibus occupatus, ab officio ecclesiastico diutius vagaretur: iubens omnes non longe ab ecclesia domos habere, manibus proprijs hortum colere, psallendiq; suauiter aut pronuntiandi curam * impendere. Per singulas septimanas omnes clericos ac vidnas, & quicunq; potuisset ex laicis, quarta & sexta feria statuit ieiunare: quotidianis * ieiunijs, matutinis & vespertinis orationibus adesse præcipiens omnes. Aliquantos inquietos verbis, aliquãtos verberibus coercebat, quos culpa manifesta flagellari coegerat. Ita vitia cunctorum salubri disputatione mordebat, vt nullius interserens nomen, omnes cogeret metuere: & latentia quoq; peccata salubriter timendo deserere. Veruntamen quomodo inter prosperos clericos minorem posset habere cautelam, qui diuturnas etiam finitimarum plebium rixas, & contentiosa certamina dirimebat? Ipse denique Maximianensis animositatem plebis, ordinatum sibi Episcopum recipere nolentis, salubri ad-

Monachos ministerijs ecclesiasticis adhibet.

* maximã gerere.

* vigilijs.

monitione sedauit: debitumq; finem grauissimo scandalo statuens, cuncta inter eos modestè & salubriter pacificans ordinauit. In concilio quoque * Viuecensi, iudicio sacerdotum omnium qui conuenerant Episcopo cuidam nomine Quodvultdeus, qui priorem se illius existere confirmabat, antepositus & prælatus: ipso die & tempore tacuit, nec authoritatem concilij excusando minuere voluit. Sed vbi post Concilium dolere sensit episcopum, timens propter suum honorem generare fratri scandalum, melius iudicans per charitatem se fieri minorem, quàm sine charitate maiorem: Suphetani posteà concilij glorioſum respiciens adesse conuentum, precem supplicem coram omnibus fudit, vt sibi rursum se volente Quodvultdeus Episcopus præferretur: vt nomine suo posterius recitato, lætus deinceps viueret consacerdotis animo reconciliato.

* Vincensi

Vide hic insignem eximiam q; huius tanti viri humilitatem.

Mirati sunt Episcopi humilitatem talia postulantis, nec contristare voluerunt offerentem Deo sacrificium humilitatis, ad custodiendam spiritus societatem in vinculo charitatis. Vbi sunt nunc illi quibus eminendi super cæteros dominantur affectus, qui se etiam suis prioribus anteponunt, indebita sibi priuilegia vindicantes? Ecce beatus Fulgentius, nec primatum, quem meruit, defendere voluit: quia sine charitate prior esse alicui minime concupiuit. Catholicæ Ecclesiæ singularis magister & doctor, * licet inter varias occupationes hic in Africa parum vacaret, plurimos tamen ecclesiasticos sermones, quos in populis diceret, scribendos dictabat: & vbicunque sermonem faciebat, omnium animos demulcebat: Nec inanes & vanissimos plausus, sed compunctionem generans cordis. * Expectauit enim eum sanctæ memoriæ Bonifacius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis apud Burnos Ecclesiam dedicans, duobus diebus se præsente tractan-

* quãlibet

Plurimas scripsit homilias, ac habuit sermones ad populum.

* Adspectauit.

tractantem: quoniam tantum delectatus est audire verbum Domini de ore eius, vt donec ille sermonem finiret, ipse terram lachrymis irrigaret, gratias agens Deo, cuius gratia semper in Ecclesia Catholica summos excitat præclaróſque Doctores. Multa iam reuersus de exilio nouem & decem libris Fabiani mentientis falsa gesta conuincens, de veritate prædestinationis & gratiæ libellos tres confecit: Aliáque multa digessit: quæ si quis scire voluerit, in eius monasterio veraciter scripta reperiet.

Libri tres de veritate prædestinationis & gratiæ, cõtra Fabianũ.

CAPVT XXX.

NObis autem iam tempus est dicere, quomodo post omnia bona opera sua requieuerit, ad cæli regna translatus. Ante annum fermè quàm de isto seculo raperetur, profunda cordis compunctione permotus, reliquit subitò ecclesiasticas occupationes. Et de ipso quoque monasterio suo secretò recedens, ad Insulam * Cirtinam paucis comitantibus fratribus nauigauit: vbi in quodam breui scopulo, cui nomen est Chilmi, vbi iam monasterium fabricari mandauerat, lectioni & orationi & ieiunijs vacans, veluti sciret appropinquare sibi nouissimum diem, sic ex toto corde suo pœnitentiam gessit. Et quamuis tota vita eius, ex quo monachorum professionem cõuersus ex toto corde suscepit, pœnitentiæ fuerit tempus: in hac tamen Insula multo amplius ac multo diligentius, inchoanti similis membra sua mortificauit, & in conspectu solius Dei fleuit. Inde iam plurimis de absentia sacerdotis murmurantibus, charitatis necessitate constrictus, iterum descendit ad monasterium suum consueta hominibus religiosis exhibere solatia, laboréſque durissimos pro vtilitatibus proximorum longanimiter sustinere. Non multi autem fluxerant dies:

Sub mortem vel maximè sedat pœnitentiæ.

* Circinã.

& ecce

& ecce seruum fidelem bonus dominus requirebat. Incidit enim repente in corporalis infirmitatis acerrimas passiones: vbi septuaginta propè diebus ægritudine fatigatus, hoc solum frequẽter dicebat: Domine, da mihi modò hîc patiẽtiam, postea indulgentiam. Nec ab isto sermone * aliquantulum cessauit: siue dolor affligeret, siue febris incenderet, siue lassitudo dissolueret. Persuadentibus autem medicis vt lauacris balnearibus vteretur: Nunquid balneæ, inquit, facere poterunt, ne homo mortalis expleto vitæ suæ tempore moriatur? Si verò proximam mortem nec aquarum calidarum possunt fouenta repellere: cur mihi obsecro persuadetis, vt rigorem diu seruatæ professionis in fine dissoluam? Sic salutem suam supernæ voluntati fideliter credẽs, postquam se sensit sine aliqua dubitatione dissoluendum, vocans vniuersos clericos suos præsentibus monachis, alloquutus est eos dicens: Ego, fratres, animarum vestrarum saluti prospiciens, molestus apud vos forsitan & difficilis extiti: Et ideo obsecro vos, vt ignoscat mihi quisquis aliquid dolet. Et si forsitan seueritas nostra modum trãsgressa est debitũ: orate ne mihi hoc Dominus imputet ad peccatum. Cúmque talia beato Fulgentio lachrymosis singultibus exprimẽte, cuncti simul super genua eius caderent, semper bonum, semper affabilem, pro omnium salute, sicut decuit, inuigilasse clamantes: Num. 27. Prouideat ergo vobis, ait, Dominus Deus meus pastorem dignum se. Tunc imperato silentio, paululum requieuit. Et deinde pauperum curam gerens, requisita summa pecuniæ, de qua fidelissimus dispensator quotidie egentibus ministrabat, totum iussit expendi: per seipsum memoriter recolens viduarum, pupillorum, peregrinorum, cunctorúmque illic indigentium nomina, quibus quid singillatim daretur propria deliberatione constituit: hæredes in hoc seculo non habens, hæreditatem

Precatio Fulgẽtij in summis & acerrimis doloribꝰ.

* aliquãdo

Fulgẽtius moritur distribuit omnia pauperibus.

tem tamẽ huius benevolæ sollicitudinis pauperibus derelinquens. Sed nec suos clericos debita benedictione fraudauit: ipsorumq; paupertati misericorditer consulens, ac secretè omnia præordinans, orans iugiter, & intrantes singulos benedicens, vsq; ad extremam horam sana mente permansit. Postremo die Calendarum Ianuariarum post peractã vesperam, beatum spiritum feliciter in manus Domini tradidit, annum sui Episcopatus agens vicesimumquintum, vitæ autem totius sexagesimumquintum, sicut multis ante fratribus morti proximus indicauit. Ipso autem die sanctum corpus eius sepeliri minime potuit: sed in Oratorio monasterij cõstitutum, tota nocte illa in Psalmis, Hymnis, & canticis spiritualibus vigilare monachos simul & clericos inuitauit. Mane verò postquam multitudo maxima populorum de locis finitimis ad exequias venit, sacerdotum manibus ad ecclesiam ciuitatis, quæ secunda dicitur, vbi etiam reliquias Apostolorum constituerat, deportatus, sortitus est honorabile monumentum. Primus plane in eadem Basilica pontifex poni meruit: vbi nullum mortuum neque sacerdotem, neq; laicum sepeliri, consuetudo sinebat antiqua. Sed magna vis dilectionis remouebat impedimentum consuetudinis: ambientibus vniuersis ciuibus, & cum summa deuotione quærentibus, vt vbi vir sanctus & Deo amabilis fuerat consecratus, ibi orationibus singulorum semper etiam localiter videretur adiunctus. Probauerãt quippe sæpius, quanta bona illis oratio beati Fulgentij præstiterat, & quanta mala repulerat: sicut postea manifestis indicijs euidenter apparuit, quãdo non post plurimos dies * accersitionis eius, inimica gens Maurorum Ruspense territorium repente vexauit: rapinis, cædibus, incendijs, multa deuastans, atque intra ipsos ecclesiæ parietes quos inuenire potuit iugulans. Quis beati

Moritur S. Episcopus.

Eius honorificũ monumẽtum.

* decessionis

Mauri Ruspẽse territoriũ populantur.

beati Fulgentij gratiam non miretur? Quamdiu vixit, furorem belli ciuitas illi cõmissa non sensit. Et cùm totæ penè prouincia captiuitatem sustineret horribilem: Ruspa fuit incolumis, propter sacerdotem venerabilem, cuius vita propriis ciuibus murus fuit. Nec hoc interim prætereundum silentio iudicaui, quod dum ei successor idoneus quæreretur, discordantibus laicis & clericis, annum prope integrum prolixitas contentionis exegit: & illo die sanctitas tua super cathedram eius sedit, quo ipse defunctus est. Ornari quippe hoc priuilegio meruit prima solẽnitas eius depositionis: vt multo amplius venerabilis fieret per gaudia tuæ ordinationis. Vis autem nosse, quomodo nõ fortuitis motibus ista prouenerunt, sed illius orationibus demonstrantur esse concessa? Recole visionem fidelissimam beati Pontiani episcopi Thenitani, quã sic ipse narrauit: Eunti mihi secundum præceptum Datiani primatis, vt Ruspensi ecclesiæ eligeretur Antistes, idem beatissimus Fulgentius per tempus quietis apparuit: & affabili sicut solebat aspectu salutans amicabiliter, quo, inquit, nunc sanctitas tua velociter ambulat? Cui respondi, vt episcopus Ruspensi ecclesiæ eligatur. Ille verò subridens, iam, inquit, ordinatus est. Nónne apparet illius orationibus fuisse perfectum, quo est visitante prædictum? Qui ergo confirmationem nouerat necdum electi vel ordinati, orando scire meruerat. Votis itaque continuis & fideli deuotione semper optamus, vt gloriæ illius factus particeps in æternum, non indignus tanto præcessore, fœliciter viuas: operisq; huius, de perfectione nobiscum gratias Domino agas: & pro his quæ minus fortè dicta sunt eloquenter, ab omnibus sapientibus lectoribus veniam petas.

PRO-

PROLOGVS BEATI FVLGENTII EPISCOPI Ruspensis, in tres libros ad Monimum.

GRATIAS ago Domino, quod de bono thesauro cordis bona proferre non desinis: Et lingua Eucharis, quæ in bono homine abundat, puritatem tui cordis insinuat. Quæ licet diuinitus concessis eloquentiæ fluentis exuberet, non tamen tantum credo sermonibus exprimi, quãtum scio cordis tui penetralibus contineri. Diuino etenim igne succensus, sic nobis iugiter compateris, vt etiam illas tribulationes, quæ licet acciderint nobis, Domino tamen adiuuante fuerunt superatæ: Tu sic eas pro nobis penè semper pateris, vt quotiens eas corde reuolueris, totiens eas pati quodammodo compellaris. Ecce quãtum boni charitas habet. Ecce quantã laudem corã Deo & hominibus possidet. Vt dum dolet quod accidit illi quẽ amat, frequentius recordando, magis ipsa sustineat. Hoc ergo supereſt, vt quod ipsa charitas facere cõsueuit, pro nobis iugiter faciatis. Quid autem est aliud, nisi vt illũ, in quo nos purè diligitis, ipsum semper pro nobis oretis? Semper enim charitas pro his, quos diligit, posci: dum etiam illa quę tuta sunt, metuit. Metuit autẽ nõ eo timore, quem ipsa foras expellit, nam perfecta charitas foras mittit timorẽ: sed illo timore, quẽ non ad timorẽ, sed ad amorem habere consueuit. Timet ergo nõ timido amore, sed casto. Nõ enim timet formidine criminis, sed robore puritatis & firmitate virtutis. Exigis à me præterea debitũ, quod me celeriter, Domino adiuuãte, spõdeo redditurũ. Non enim hoc debitũ sic profiteor, quẽadmodum de quodam tuus Maro memorat, quod ipse fatebatur, sed reddere posse negabat. Sed illo me debere fateor, in quo me reddere posse non nego, sed spondeo. Ipse enim mihi donat vnde reddã, qui donauit vt debeam. Nisi enim ab illo acciperemus, non solum reddere, sed nec ipsum debere possemus. Quid enim nobis inuicẽ, nisi charitatẽ debemus? Quod vtiq; B. Paulus hæc loquens fidelibus, euidẽtior ostendit: Nemini quicquã debeatis, nisi vt inuicẽ diligatis. Quis autẽ fateatur debitũ, si neget acceptũ? In eo igitur, quod nos debere dicimus, profecto nos accepisse mõstramus. Dicit quippe B. Apostolus,

Matt. 12.

Effectus charitatis in cõpassione amici.

1. Ioan. 4.

Reddere debitũ ex sponsione.

Roma. 14.

Quid

Omnia à Deo accipimus. Rom. 5.

Quid enim habes quod nō accepisti? Si autē accepisti, quid gloriaris, quasi nō acceperis? Nā & alio loco testatur, Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritū sanctum qui datus est nobis. Qui ergo nobis dedit, quod reddendo debeamus: ipse nobis donabit facultatem, qua possimus reddere quod debemus. Ille igitur auctor est debiti, qui auctor est doni. Nam & seipsum sua largitate dignatus est facere debitorem. Non quia indigens ab aliquo accepit, sed quoniam abundans largiter tribuit. Semine cem quippe suo iumento impositū, stabularioq; curandum tradēs, duobus denarijs datis, ita se debitorē profitetur, vt diceret, Si quid supererogaueris, cùm venero, reddam tibi.

Luc. 10.

Supererogare ex cōsilio à misericordia Dei est.

Quid est autem, si quid supererogaueris, nisi, si quid à me magis acceperis? Nā & ipse qui supererogabat, in eo quod non acceperat præceptum, sed dabat ex charitate cōsilium, misericordiā se profitebatur * itaq; cōsecutum. Ait enim: De virginibus autem præceptū Domini nō habeo, sed consilium do, tanquam misericordiā consecutus à Domino, vt sim fidelis. Misericordiam est igitur consecutus, non solum vt erogandū acciperet, verumetiā vt amplius erogaret. Ecce qualis est dominus noster, vt donando debeat, & quāto magis donat, tāto magis eum debitorē esse nō pigeat. In quantum enim gratis largitur, in tātum debitor inuenitur. Nec enim potest aliquis debitorem habere, nisi in eo, quod ipse dignatus fuerit gratuita largitate cōferre. Ipsum igitur pro me iugiter posce, vt mihi largiatur reddēdi debiti facultatē, qui donauit, vt in ipso Charitatis tibi liberam debeā seruitutem. Vt enim verè tuo cordi, quod cor meum est, totum fatear, quoniā sicut cordi meo ita cordi tuo, aliquid cælare non possum, reddēdi debiti tarditatē illa mihi ratio procurauit: quoniā aduersus cuiusdā hæretici vaniloquia respondere compulsus sum. Qui non solum meū nomen, sub Fotiniani erroris nota, non dubitauit lacessere: quin etiā sanctorum Augustini & Hieronymi dicta, tanquam meæ professioni contraria, in me voluit retorquere. Cuius nomen nuncliteris insinuare distuli, sed potes ipse proculdubio recordari. Nam ibi te nobiscū apud Carthaginē posito, mihi dicta eius adlata sunt. Et, si bene recolo, etiam in tuam notitiam peruenerūt. Nihil enim te ibi posito legere possem, quod tibi recensendum offerre non possem. Eosdem igitur libellos, si Dominus voluerit, vestrę charitati celeriter destinabo. Et non dubito, quòd meā tarditatem in tuo debito, digneris patienter ferre. Quoniam scio, quātum delecteris, vel quantum nos semper ipse compellas, vt nos, Domino adiuuante, non pigeat hæreticis respondere.

Calumnia hæretici in Fulgentium.

1 Cor. 7.

PRI-

PRIMVS LIBER BEATI FVLGENTII AD MONIMVM, DE DVplici prædestinatione Dei, vna bonorum ad gloriam, altera malorum ad pœnam.

Excusatio tardioris responsionis.

ITERÆ tuæ, fili charissime Monime, quantum demonstrant delectabilem tui animi sinceritatem, laudabilemq; studij spiritalis ardorem: tantum nostræ responsionis, querula benignitate, videntur arguere tarditatem. Tanquam in eo, minus quàm debeo, te videar diligere, quòd inquisitionibus tuis non curauerim celeriter respondere. Sed crede mihi sicut in charitate Christi, personam tuam nequaquam in corde meo cōtemptam: Sic responsionem meam, non voluntate, sed occupationum varietate dilatam. Veruntamen inter ipsas occupationes, quas inuitus tolerare compellor, tantum studio tuo congratulor, quantum tua charitate delector. Eo magis amplectens sanctum auiditatis tuæ propositum, quod sicut vere spiritalis negotiator, interioris hominis lucra consectans, & cælestium mercium quæstus, magis ac magis amplificare desiderans. Primum quod à me flagitas debitum, subinde cumulas fœnore quæstionum: Vt scilicet tuorum commodorum militet incrementis, ipsa nostræ necessitas tarditatis. Proinde confido in misericordia Dei nostri, quia si quid mihi huius inquisitionis ac disputationis opere, pro meo merito non conceditur, pro tuo mihi desiderio concedetur. Neque enim inquisitionem tuam Deus, inuentionis effectu fraudari vllatenus sinet, qui te ad inquirendum

e spirita-

spiritaliter inflammauit: dum ipsius fidele promissum,
Luc.11.b *nulla ratione cassetur, dicētis, Petite & accipietis: quærite & inuenietis: pulsate & aperietur vobis. Internus*
Deus, vt quæramus inspirat, & à quęrentibus inueniatur. *igitur Magister, à quo subsidium doctrinæ cælestis accipimus, non solum inquirentibus nobis, suorum aperit arcana sermonum: sed, vt etiam quæramus, ipse gratis inspirat affectum. Quia nec esurire panem illum, qui*
Ioan.6.d *de cælo descendit, possumus, nisi ab ipso fastidientibus esuries detur: qui se ad satiandos esurientes donare dignatur. Ab ipso etiam nobis est, quod ad fontem sitientes currimus, qui se nobis tribuit, vt bibamus. Ipse igitur laudandus est, in vtriusque muneris gratia: siue cùm nos ad se quærendum dormientes excusitat, seu cùm se inueniendum nobis quærētibus donat. Qui profecto nullatenus inuenitur, nisi ipse nos excitet, vt quæratur.*

CAPVT II.

REuoluens igitur scripta tua, tanquam chirographa mea, vt ex his instruerer, quot, vel quarum tibi essem debitor quæstionum: duas ad præsens epistolas
Quæst.1. *potui reperire. Vnam, continentem sancti Augustini verba, quæ in libro de Perfectione Iustitiæ hominis, de his qui ad interitum prædestinati sunt, inter alia po-*
2. *suisse cognoscitur. Cui alteram statim subiūctam quæstionem video inuenisse, hoc est, de Sacrificio, quod solo patri quidam existimant immolari. In altera vero*
3. *epistola positam inquisitionem inueni, Quid est quod Apostolus duobus denarijs quos accepit supererogare potuerit? Cùm ergo has tantummodo duas epistolas inuenirē, tertiæ quoq; sum protinus recordatus, quæ mihi à notario non fuit oblata. In qua memini vnā contineri*
4. *de sancto Spiritu quæstionem: Cur scilicet à patre mittendus ad consecrandum Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini postuletur. Hæc sunt interim quatuor*

quæstiones, quarum tres ex duabus epistolis tuis, vnam verò memoria suggerente recolui. Quod si positæ sunt aliæ, quas nobis misisti soluendas, nec in hoc inuenis opere positas aut solutas: quæso, vt non ad contemptum vel fastidium redigas, sed obliuioni patienter ignoscas. Præsertim, cùm illam de Spiritu sancto, quā ego, etiam epistola non inuenta, recolui, silentio præterire nequiui. Sed quia tu cunctarum (si quæ forsitan sunt) sine dubio memini sti, non te pigeat, vt te rescribente commemorer. Et spero, quia in quantum Dominus adiuuerit, nostra responsio subsequetur, si præcedentis vestræ orationis adiutorio fulciatur.

CAPVT III.

PRimæ igitur quæstionis intelligentiam, in illius nomine quæsiturus, de quo scriptum est, quia Dominus dat sapientiam, & à facie eius scientia & intellectus: hoc conuenientius atque commodius arbitratus sum, vt tam verba tua, quàm beati Augustini, quæ in tua epistola posuisti, reuoluerem: vt his relectis, facilius agnoscatur tam intentio quàm solutio quæstionis. Legenti me, inquis, librum de Perfectione iustitiæ hominis, testimonium prophetæ, in ordinem relegens auditu oauto pedetentim paululū retractaui, vbi ait,
Psalm.13.a *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Et sine aliqua nebula, sine aliqua dubitatione expressit interpres ipse verissimus, genus tale esse hominum quod non faciat bonum: illud prædestinatum itaque ad interitum. Atque, vt tuus sermo præfati sancti viri fulciretur eloquio, eadem verba, quæ à beato Augustino sunt dicta subnectens, Ait enim, inquis, idem glorioſiſ-*
Verba Augustini. *simus Augustinus: De illo enim bono, dictum id debemus accipere, quod ibi ait: Deus de cælo respexit super*
Psal. eod. *filios hominum, vt videret, si est intelligens, aut requirens Deum. Hoc ergo bonū, quod est requirere Deum,*

Prima quæstio de prędestinatione.
Prouer. a.b

Verba Monimi de gemina prædestinatione.

non erat qui faceret, non erat vsque ad vnum: sed in eo genere hominum, quod prædestinatum est ad interitum. Hic dicta sancti Augustini determinans, & ad me intentionem tuarum dirigens literarum, dicis, sentire me iam, cur iterum hæc inculces, scilicet, quòd sæpius reluctanti te mihi, prædestinationem non tantum in bono dici, sed etiam in malo, dum in malo prædestinationem te relegisse diceres. Ipse docẽs aiebam ad pœnam debitam, non ad malum faciendum, posse dici aliam prædestinationem. Quod etiam tu, sicut scripsisti, confirmas. Scire te tamẽ asseris quid & hic respondeã, vt tuear sententiam meã, hoc est, interitum nõ dici, nisi mortem. Et adiungis, interim legisse te hoc, & adseuerasse etiam prædestinatum populũ ad interitum. Deinde admones, vt considerem ipsius loci sermonem. Et vt doctor meorum discipulorum, non vt assertor mearum propositionum, faciam vos sequenda cognoscere.

CAPVT IIII.

Inuocatio authoris modesta & theologica.

EGo quidem charissime, quantum, Domino gratuitam gratiam largiente, modulum possum propriæ paruitatis agnoscere, sub illo vno Domino atque magistro, in eius schola positus, non fratrum meorum vocari magister aut Doctor affecto: quorum in veritate condiscipulus semper esse desidero. Quapropter hoc ab illo vero domino ac magistro nostro postulare non desino, vt ea me, siue per eloquia scripturarum suarum, seu per sermocinationem fratrum condiscipulorumq; meorum, siue etiam per inspirationis suæ internam suauioremq; doctrinam (vbi sine sonis sermonum, & sine elemẽtis literarũ, eo dulcius, quo secretius, veritas loquitur) ea me docere dignetur: quæ sic proponã, sic asseram, vt in propositionibus atque assertionibus meis, veritati (quæ nec fallit nec fallitur) semper inhæream, semper obediens consen-

*sientisq; reperiar. Quoniam vt veritati obedire atque consentire valeam, ipsa veritas inluminat, ipsa adiuuat, ipsa confirmat. Ab ipsa postulo doceri multo plura quæ nescio, à qua accepi pauca quæ scio. Ipsam rogo, vt præueniente ac subsequente misericordia, quæcunque salubriter scienda nescio, doceat me: In his, quæ vera noui, custodiat me: In quibus, vt homo, fallor, corrigat me: In quibus * veris titubo, cõfirmet me: et à falsis ac noxijs eripiat me. Vt in cogitationibus ac sermonibus meis, quod salubriter donat, inueniat: Et ea faciat de ore meo procedere, quæ sint coram ipsa principaliter grata: Et sic fiant fidelibus cunctis accepta.*

* verè

CAPVT V.

Resposio ad primam quæstionẽ, quomodo sint quidã ad interitũ prædestinati.

QVantum igitur, ipsa veritate (quæ verum lumen est) inluminante tenebras meas, in huius quæstionis scrutatione, facultas mihi est hactenus intelligendi concessa, nihil aliud accipiendum existimo, in illo sancti Augustini sermone, quoad interitum quosdam prædestinatos firmat, nisi ad interitum supplicij, non delicti. Neque ad malum, quod iniustè admittunt, sed ad cruciatum, quem iustissimè patientur. Nec ad peccatum, quo primæ resurrectionis beneficium, aut non accipiunt, aut amittunt: sed ad tormentum, quod illis propria iniquitas male parit, & æquitas diuina bene retribuit. Nec ad mortẽ animæ primã, in qua nascuntur paruuli, vel in quam (sicut beatus Iacobus dicit) concupiscentia sua abstracti & inlecti recidunt crimi- Iacob. 1. *nosi: Sed ad mortẽ secundam, quã necesse est patiantur, retribuẽte iustissimo iudice, seu qui ante perceptã gratiam baptismi discedunt de seculo, siue qui in vacuum gratiam Dei recipientes post acceptũ baptismum, vsq; in finem præsentis vitæ, malũt serui esse peccati, nec volunt, dum tẽpus est acceptabile, & dies salutis, cõuerti*

Rom. 2. à via sua mala, vt viuant: Et ignorantes, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam eos adducat, ipsi secundum duritiam suam, & impœnitens cor, thesaurizant sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.

Peccatorũ mors nõ est a Deo prædestinata. Sapien. 1. De illa ergo morte, quam sibi peccatores manibus & verbis arcessierunt, & æstimantes eam amicam defuxerunt, dicitur: Nolite zelare mortem in errorem vitæ vestræ, neq; adquiratis perditionem animarum vestrarum, quoniam Deus mortem non fecit, neque lætatur in perditione viuorum. Et alio loco de hac morte dicitur:

Sapien. 2. Inuidia autẽ diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur autem eum, qui sunt ex parte illius. Quã mortẽ, vt ab opere ac prædestinatione Dei agnosceremus alienã, Deus ipse sic loquitur per Prophetam:

Ezech. 18. Conuertimini, & auertite vos ab omnibus impietatibus vestris, & non erunt vobis in pœnam iniquitatis. Proijcite à vobis omnes iniquitates vestras, quas impiè feciſtis aduersus me, & facite vobis cor nouum & spiritũ nouum. Et vt quid morimini domus Israel? Quoniam nolo mortẽ morientis, sed vt auertatur ipse à via sua mala, & viuat anima eius. Hæc est mors impietatis, quam non fecit Deus, quæ per diabolum introiuit in orbem terrarum. In hac eum imitantur, qui sunt ex parte illius.

CAPVT VI.

Deus huic mortũ duplã mortẽ retribuit. HVic vni morti, quam peccator sibi per contẽptum diuinæ iussionis, iniustè concupiscendo arcessiuit, duplam Deus mortem iustè iudicando retribuit. Hoc est, Primam, in separatione animæ & corporis: Secundam, in æterna cruciatione animæ & corporis. Ac per hoc primam, qua discedente anima, caro sola moritur: Secundã verò, quando rediens in carnem anima, in eadem & cum eadẽ, in qua peccauit, carne torquetur. Vt cum qua communicauit mortem peccati, quod Dei bonitas

nitas interdixit homini: cum ipsa communicet mortem supplicij, quod parauit diuina iustitia peccatori. De hac morte Saluator noster dicit, Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Magis autem eum timete, qui potest & animã & corpus perdere in gehennam. Quòd ergo ante gehennam mali pereunt, non est diuini operis, sed humani: Quòd autem in gehenna perituri sunt, hoc facit Dei æquitas, cui nulla placet peccantis iniquitas. Qui enim diligit iniquitatem, odit animã suam. Et dicit Ioannes: Quia omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas. Et Deus per Prophetam dicit: Quia anima quæ peccauerit, ipsa morietur. De filio autem Dei Ioan. dicit: Scimus quia ille apparuit, vt peccata tolleret, & peccatum in eo non est. Sicut ergo peccatum in eo non est, ita peccatũ ex eo non est. Quòd autem ex eo non est, opus eius itaq; non est. Quod autem nunquam est in opere eius, nunquam fuit in prædestinatione eius.

Mors animæ in gehenna Matth. 10.

Psalm. 10.

1. Ioan. 3.

Ezech. 18.

1 Ioan. 3.

Quomodo sunt mali a Deo prædestinati non ad culpam, sed ad pœnam.

CAPVT VII.

NOn ergo prædestinati sunt mali ad hoc, quòd male operantur, à concupiscentia sua abstracti & inlecti: sed ad hoc, quòd iuste patiuntur inuiti. Prædestinationis enim nomine non aliqua voluntatis humanæ coactitia necessitas exprimitur, sed misericors & iusta futuri operis diuini sempiterna dispositio prædicatur. Deo autem misericordiam & iudicium cantat Ecclesia, cuius hoc opus est in homine, vt occulto voluntatis suæ, non tamen iniusto consilio, aut gratuitam misericordiam præroget misero, aut debitam iustitiam rependat iniusto. Imo aut misericorditer debitori donet, quod si vellet, iuste posset exigere: aut iuste cum usuris, quod suum est exigat, & iniquo debitori, quod debetur, iniquitatibus reddat. Ac sic, aut istum prorsus

Psalm. 100.

Deus saluãdos præuenit, damnandos inuenit.

sus indignum misericordia præueniat, aut illum ira dignum inueniat. Ipse enim donat gratis indigno gratiam, qua iustificatus impius inluminetur munere bonæ voluntatis, & facultate bonæ operationis, vt præueniente misericordia bonum velle incipiat, & subsequente misericordia bonum, quod vult, facere valeat. Vtrunq; autem prædestinando Deus præparauit in illa incommutabili voluntate, in qua sic futurum effectum hominis renouandi disposuit, vt eius voluntas in opere nouo noua esse non possit.

CAPVT VIII.

Gratia Dei hominis meritũ, & initiat ad iustitiam, & cõsummat ad gloriam.

DOnat etiam gratiã digno, in retributione mercedis æternæ, vt scilicet, siue cùm impiũ piè iustificat iustus: quia de ipso Apostolus dicit, Vt sit ipse iustus, & iustificãs eum qui ex fide est Hiesu: seu cùm iustũ, iuste glorificat, pius. Quia quos iustificauit, illos & glorificauit. Eadem sit operatio gratiæ, quæ meritum hominis bonum, & initiat ad iustitiam, & consummat ad gloriam. Primo inchoans in homine voluntatem bonam: Deinde eandem voluntatem adiuuans inchoatam, vt eadem voluntas & diuino dono bona sit, & diuino adiutorio malam superare cõcupiscentiam possit, & Deo perficiente talis postmodum ipsa volũtas sit, vt malam concupiscentiam habere non possit. Ac sic in præsenti vita gratiæ adiutorio infirmitati non cedat, in futura autem, gratiæ beneficio infirmitatẽ non habeat. Et nũc recreetur continuo iuuamine medicaminis, tunc verò fruatur æterna plenitudine sanitatis. Hæc autẽ Deus, sicut in prædestinatione semper habuit, sic per gratiam, sicut prædestinauerat, facit. Prædestinationis itaq; ipsius instituatur agnitio, cùm dicit scriptura, Et præparatur volũtas à domino. Non autem ob aliud præparata dicitur, nisi quia danda prædicitur. A quo enim præparatur per bonitatem sempiternam, ab ipso datur per indebitam gratiam. Quod ipse Dominus Ezechielis vaticinatione testatur, dicens: Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo in vobis, & auferetur cor lapideum de carne vestra. Et dabo vobis cor carneum, & spiritum meum dabo in vobis. Et faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis: Et iudicia mea obseruetis & faciatis. Dat ergo Deus cor nouum, vt in iustificationibus eius ambulemus, quod pertinet ad bonæ voluntatis initium: Dat etiam vt iudicia eius obseruemus & faciamus, quod pertinet ad bonæ operationis effectum.

Quomodo præparatur voluntas a Domino.

Ezech. 36.

CAPVT IX.

A Deo est & voluntas & boni operis facultas. Psalm. 36.

VNde cognoscimus Dei esse, & vt bonũ facere velimus, & vt bonũ facere valeamus. Cui sensui Dauid omnino cõcordat, gratiã bene volendi sic ostendens, diuinæ largitatis directione donari. A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. Opus quoque bonum non nisi à Deo in nobis, & in Deo à nobis fieri protestatur, dicens: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Et alio loco: In Deo faciemus virtutem, id est, opus virtutis. Sic autem hic pro opere virtutis virtutem dixit fieri, sicut Ioannes pro opere iustitiæ iustitiam dixit fieri. Ait enim: Qui facit iustitiã iustus est, sicut ille iustus est. Paulus quoque optat à nobis Dei fieri voluntatem, dicens: Deus autem pacis qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum, aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius. Quid est autem facere voluntatem eius, nisi facere opera quæ nobis inspirat, & in nobis operatur voluntas eius? Tale aliquid & in ipsius redemptoris nostri sermonibus inuenimus, dum veritatem fieri dicit, pro opere

Psalm. 67.
Psalm. 59.
In Deo faciemus virtutem, id est, opus virtutis.
1. Ioan. 3.
Hebr. 13.

veritatis. Sic enim loquitur: Omnis qui malè agit, odit lucem: & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem: vt manifestentur eius opera, quia in Deo sunt facta. Hoc autem in Deo facimus, quod Deo in nobis faciente datur nobis vt faciamus. Quod euidenter in epistola ad Hebræos ostenditur, vbi, cùm de Deo dictum esset, Aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius, continuò sequitur: Faciens in vobis quod placeat coram se. Omne igitur opus, quod à nobis in Deo fit, Deus in nobis facit. Ex ipso enim & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ex ipso ergo est, & voluntas bona, & operatio bona. Quod Doctor gentium his verbis adfirmat: Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Propterea, sicut Salomon dicit, quia præparatur voluntas à Domino: sic etiam bona opera nostra Paulus à Domino asserit præparata, hoc est, in prædestinatione disposita. Dicit itaq; Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est. Non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Sicut ergo præparata est per prædestinationem voluntas à Domino, qua bonum velimus: sic etiam opera bona præparauit Deus, vt in illis ambulemus.

qui facit veritatem venit ad lucē. Ioan. 3.

Hebr. 13.

Deus omne opus bonū in nobis facit. Rom. 11. Philip. 2.

Ephes. 2. b

Præparatur a Deo per prædestinationem, nō solum voluntas, sed & opus bonum & vita æterna.

CAPVT X.

ATtendamus etiam vitam æternam, regnumq; cælorū diuinitus fidelibus præparatum. Ipse quippe Christus dicturum se dextris ostendit: Venite benedicti patris mei, percipite regnū, quod vobis paratum est ab initio mundi. Sed & hoc ipsum opus est gratia. Ex gratia enim datur non solum iustificatis vita bona, sed etiam glorificatis vita æterna. Quod Pauli tenemus prædi-

Matth. 25.

prædicatione compertum, dicentis: Stipendium enim peccati mors: Gratia autem Dei, vita æterna in Christo Iesu Domino nostro. Cur autem mors stipendium, vita verò æterna gratia dicitur? Nisi quia illa redditur, hæc donatur. Sed vbi illam Deus reddit, opus malum peccatoris hominis punit, quod nullatenus fecisset homo, nisi discessisset à Deo. Cùm verò Deus vitam æternam donat, opus suum quod inchoauit, iustificans impium, perficit, glorificans iustum. Hæc autem vtraq; gratia, id est, & vita bona, & vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro est. De plenitudine quippe eius nos omnes accepimus, & gratiā pro gratia, scilicet gratiam glorificationis æternæ pro gratia iustificationis indebitæ, vt gratia iustificationis omne meritū malum deleat indebito beneficio: Et meritum bonum iugi confirmet auxilio, cui gratia glorificationis iustæ reddatur in præmio. Gratia autem etiam ipsa ideo nō iniustè dicitur, quia non solum donis suis Deus dona sua reddit: sed quia tantum etiam ibi gratia diuinæ retributionis exuberat, vt incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quamuis bonæ & ex Deo datæ, humanæ voluntatis atque operationis excedat. Quamuis enim non solum credendi in Christum lumen, sed etiam pro illo patiendi virtutem à Deo nobis donari beatus Paulus Apostolus ostendat, dicens: Vobis enim donatum est, pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini. Quod vtrumque pertinet ad gratiā præsentis bonæ vitæ. Illā tamen futuræ vitæ gratiam omnibus præsentis temporis passionibus anteponit, dicens: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et alio loco: Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Roma. 6.

De plenitudine nos omnes accepimus, & gratiā pro gratia. Ioan. 1.

Philip. 1. d

Rom. 8. b

2. Corin. 4.

CAP.

CAPVT XI.

HAnc gratiam non solum in præsentis vitæ iustificatione, sed etiam in futuri seculi remuneratione, dicit gratiam permanere, & super nos, hoc est, super omnia bona cuiuslibet hominis merita in Dei bonitate asserit abundare, dicens: Vt ostendat in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Iesu. Gratia est igitur retributio pia, qua Deus in præsenti tempore malis bona retribuit, Illis videlicet, quos iustificat impios vt deputetur fides ad iustitiam. De qua retributione Dauid dicit: Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Gratia est & illa iusta retributio, qua bonis suis meliora retribuens, Deus glorificaturus est iustos. Et hoc enim gratiæ opus erit. Quia vt hoc mereantur, ipsa præueniendo, misericorditer incipit: Ipsa subsequendo custodit. Ista gratia in scripturis etiã misericordia nominatur. De qua dicit Dauid: Deus meus, misericordia eius præueniat me. Et alio loco: Misericordia tua subsequitur me, per omnes dies vitæ meæ. Præuenit igitur impium, vt fiat iustus: subsequitur iustum, ne fiat impius. Præuenit cæcum, vt lumen quod non inuenit donet: subsequitur videntem, vt lumen quod contulit seruet. Præuenit elisum, vt surgat: subsequitur eleuatum, ne cadat. Præuenit, donans homini bonam voluntatem: subsequitur benevolentem, operando in illo boni operis facultatem. Hoc igitur ista misericordia Dei in homine subsequitur, quod præueniens ipsa largitur. Et ideo non solum errantem iustificando ad viam reuocat, sed etiam bene ambulantem custodit & adiuuat, vt ad donum glorificationis æternæ perducat. Hæc autẽ omnia, id est, & vocationis nostræ initia, & iustificationis augmenta, & glorificationis præmia, in prædestinatione semper Deus habuit: quia & in vocatione, & in iustificatione, & in glorificatione sanctorum, gratiæ suæ opera futura præsciuit. Ob hoc totum Deo assignat Apostolus dicens, Nam quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij eius, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autẽ prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit illos & glorificauit. Veruntamen cùm simul iustificatos & glorificatos audimus, non simul & iustificationis & glorificationis opus præsenti tempori deputemus. Iustificationis enim gratia in præsenti datur, glorificationis autem futura seruatur. Ista est fidei, illa spei. Dicit autem Paulus: Quia nunc per fidem ambulamus, non per speciem. Quod enim nunc sancti credunt, tunc videbunt. Propter quod Ecclesiæ dicitur: Audi filia, & vide: quia fides ex auditu, vnde iustus ex fide viuens, fiducialiter dicit: Credo videre bona Domini, in terra viuentium. Iste igitur est in homine ordo diuinæ redemptionis ac remunerationis, vt nunc iustificatus credat, quod tunc glorificatus accipiat. Propter quod Paulus ait: Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim.

Ephes.2.

Pſal.115. Gratia & præueniendo incipit, & subsequẽdo custodit opus bonum.

Pſalm.58.

Pſalm.22.

In prædestinatione continetur omnis gratia vocationis, iustificationis, & glorificationis.

Roma.8.

2.Cor.5.

Pſalm.26.

Philip.3.

CAPVT XII.

IN hac ergo iustificatione, sancti euntes eunt & flẽt, mittentes semina sua: In illa vero glorificatione, venientes veniẽt in exultatione, portãtes manipulos suos. In hac operarij patris familias in vinea operantur: in illa autem denarij mercede sine dubio potientur. Istam Deus nunc donat, vt initium meriti boni gratis indignus accipiat: Illam vero in futurum repositam seruat, qua boni meriti premium accipere dignus possit, qui boni meriti principium, cùm esset indignus accepit. Dicens igitur Paulus, Quia quos Deus iustificauit, illos & glorificauit, non vtrumque præsenti vitæ deputat,

Hic euntes eunt, venientes venient.

Roma.8.

putat, sed ea fide quod futurum est, velut factum firmat, quia fide propheta de Deo dicit: Qui fecit quæ futura sunt. In illa quippe immobilitate consilij sui, secundùm bonum placitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt. In ipso ex æternitate dispositionis suæ, in prædestinatione iam fecit, quæcunq; effectu operis sui, tempore congruo facienda disposuit. Sicut enim omne creatoris opus, sine initio non potuit nec potest fieri: sic illa sempiterna voluntas eius nunquam mutabilitati subiacet, quia initium existendi non habet. Quod autem semper sic est, vt esse non cœperit: procul dubio sic est, vt id quod est, non esse nõ possit. Vera igitur immutabilitas, dignè vera vocatur æternitas, in qua æternitate incommutabilis voluntatis suæ Creator ille iam fecisse dicitur quod in creatura mutabili, prout oportunè faciendum disposuit, sic ritè dispositum facit. Et ideo quæcunque promisit, iam facta dicimus, quia de faciendis dubitare non debemus. Abraham enim pater noster (sicut ait Apostolus) in repromissione Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcunque promisit, potens est & facere. Ideo ergo in Dei promissis nulla est falsitas, quia in faciendis nulla omnipotenti est difficultas. Et propterea ibi nunquam deest voluntatis effectus, quia voluntas ipsa non aliud inuenitur esse quàm virtus. Quicquid autem vult, potest, qui quantum vult, tantũ potest. Propterea de solo dignè dicitur: Omnia quæcunque voluit fecit. Et iterum: Subest enim tibi, cùm voles posse. Ideo diximus tantam ibi esse virtutem voluntatis, quanta est voluntas ipsa virtutis. Quia cui semper subest, cùm volet, posse, non aliud est in illo velle quàm posse.

Deus fecisse dicitur, quod faciẽdum prædestinauit.

Roma.4.d

Promissa Dei certa sunt ex omnipotentia.

psalm.113. & 132. Sap.12.c

CAP.

CAPVT XIII.

QVia ergo Deus nulla necessitate compellitur, vt aliquid nolens promittat: nullius vtique aduersitatis impeditur obstaculo, quo id, quod promisit, aut minus quàm vult, aut tardius faciat. Proinde potuit, sicut voluit, prædestinare, quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnam. Sed quos prædestinauit ad gloriam, prædestinauit ad iustitiam: quos autem prædestinauit ad pœnam, non prædestinauit ad culpam. Posset enim peccatum aliquod ex prædestinatione Dei esse, si posset aliquis hominum iustè peccare. Nullus autem hominũ iustè peccat, quãuis eũ iustè Deus peccare permittat. Iustè enim deseritur à Deo, qui deserit Deum. Et quia homo deserens Deum, peccat: Deserens peccatorem Deus iustitiam seruat. Quid autem magis iustum, quàm vt ille, qui desiderio peccandi iam peccat, pro eo quod desideràs peccare, ipse sibi noxius efficitur, semetipsum peccato suo lædere permittat? In sanctis igitur coronat Deus iustitiã, quam eis gratis ipse tribuit, gratis seruabit, gratisq; perficit. In iniquos autem cõdemnabit pro impietate vel iniustitia, quã in eis ipse non fecit. In illis enim opera sua glorificat, in istis autẽ opera non sua condẽnat. Hoc itaq; prædestinauit Deus, quod erat ipse facturus, aut quod fuerat largiturus. Illud vero nullatenus prædestinauit, quod siue per gratiam, seu per iustitiam facturus ipse non fuit. Proinde diligentissime requirendum videtur, quòd in his Deus operetur, quos gratis iustificat: quid etiam in illis, quos iuste cõdemnat. Dicit enim eximius gentiũ Doctor: Si autẽ iniquitas nostra iustitiã Dei cõmendat, quid dicemus? Nũquid iniquus Deus, qui infert iram? Secundum hominẽ dico, absit. Hic autẽ iram pro condẽnatione posuit, sicut alibi Ioãnes Bapt. dicit: Qui incredulus est filio, nõ videbit vitã, sed ira Dei manet super eum.

Iusta Dei prædestinatio ad pœnã pro peccatis.

Sanctis gratiam, impijs iustitiam Deus exhibet.

Futura Dei ira, cõdemnatio est ad pœnam.

Roma.3.

Ioan.3.

Hanc

Matth.3. Luc.3. *Hanc iram Phariſæis & Sadducæis, cum obiurgatione denuntiat dicens: Genimina viperarum, quis vobis oſtendit fugere à futura ira? Ab hac ira nos Dominus Chriſtus eripuit, quod Paulus veridica prædicatione firmauit, dicens Theſſalonicenſibus: Quomodo conuerſi eſtis ad Deum à ſimulacris, ſeruire Deo viuo & vero,* 1.Theſſ.1. *& expectare filium eius de cælis, quē ſuſcitauit à mortuis Ieſum, qui eripuit nos ab ira ventura. Hanc iram, id eſt, punitionem, quæ parata eſt malis, alio loco inter-* 1.Theſſ.5. *itum vocat dicens: Cùm enim dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habenti, & non effugient.*

CAPVT XIIII.

Ardua quæſtio, an opera damnandorum ſint prædeſtinata, ſicut opera iuſtorum. *QVæramus itaque, vtrum credendus ſit Deus, iniquorum opera prædeſtinare, pro quibus eos cõdemnet, ſicut in ſanctis prædeſtinaſſe dicitur, quod coronet. Cùm vero cauſam condemnationis iniquorum, & glorificationis ſanctorum quærimus, non prædeſtinatos negamus, vel illos ad pœnam, vel illos ad gloriam. Sed vtrum, ſicut creduntur prædeſtinata diuinitus opera bona, pro quibus glorificabuntur iuſti, ſic credenda ſint prædeſtinata diuinitus opera mala, pro quibus in æternum punientur iniuſti. Dicitur enim in libro Pſalmo-*Pſalm.36. *rum: Iniuſti punientur, & ſemen impiorum peribit: ſalus autem iuſtorum à Domino. De vtriſque & Sal-*Matth.25. *uator noſter dicit: Tunc illi ibunt in combuſtionem æternam: Iuſti autem in vitam æternam. In vtriſq; ergo, id eſt, iuſtis & iniuſtis, tria quædam conſideranda exiſtimo: initium voluntatis, progreſſum operis, finem retributionis. Vt in his quæcunque iuſta & bona videmus, iuſto & bono Deo demus: illa autem Deo indigna nouerimus, in quibus nec bonitatem nec iuſtitiam inuenimus. Et conſiderata operum qualitate, illa credamus*

damus à Deo prædeſtinata, quæ miſericordiæ vel æquitati diuinæ condigna reperiuntur, & congrua. Miſeri- Pſal.111. *cors enim & miſerator & iuſtus Dominus. Ac primo totius bonæ volũtatis initium, ab illa ſempiterna Tri-* Initium bonæ voluntaris prædeſtinatum à Deo. *nitate, quæ vnus ſolus & verus eſt Deus, & prædeſtinatum confitemur & datum. Hoc enim homini gratuita iuſtificatione tribuit præparatum, quod in æterna prædeſtinatione præparauerat tribuendum. Hanc voluntatis præparationem ſuperius ſanctæ ſcripturæ teſtimonio demõſtraui, quo dictum eſt, Præparatur voluntas à Domino. Ab ipſo ergo voluntas præparatur, qui in nobis & velle & perficere miſericorditer operatur. Dicit enim Apoſtolus: Deus eſt enim qui operatur in* Philip.2. *nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Loquens etiam Deus per prophetam, ſe ipſum facere confirmat quod fidelibus donat vt faciant, ſecundum illud oraculum, quod eſt à nobis ſupra iam poſitum, quo dicit: Et faciã, vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & in-* Ezech.36. *dicia mea obſeruetis & faciatis. Quid eſt autem, fa-* Deus facit vt faciamus bonum. *ciam vt faciatis, niſi mei erit operis omne bonum, quod operati fueritis? ipſe ergo facit, vt faciamus, quo in nobis operante, ſit omne bonum quod facimus. De quo dicitur ad Hebræos: Aptet vos in omni bono, faciens in* Hebr.13. *vobis quod placeat corã ſe. Demonſtrat itaq; Dei gratia in bona voluntate & operatione hominis, futuræ quoque retributionis gloriam, quæ donabitur ſanctis, quis diuinæ gratiæ non eſſe contendat? Cùm ſiue credentes, ſiue operãtes, licet noſtra ſit fides, & noſtra ſint opera, ſicut ipſe Dominus dicit, Secundum fidem tuam fiat tibi. Et beatus Ioannes prædicat, Hæc eſt victoria,* 1.Ioan.5.a *quæ vincit mundum, fides noſtra. Paulus quoque ita* Epheſ.1.c *ſcribit, Gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo. Opera quoque noſtra Dominus ipſe te-*

Universidad de Deusto Biblioteca

Matth. 5. *statur dicens: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes vestra bona opera, glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Tamen quia ista cùm habemus, non habemus ex nobis nata, sed à Deo donata, sicut*

1. cor. 2. d *Apostolus dicit, Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: vt sciamus quæ à*

Non debemus nobis aliquid boni operis tanquã nostrum asserti bere. *Deo donata sint nobis. Et quia quæcunq; nobis facienda donat, sicut habere non possumus, nisi ipse nobis largiatur: sic facere non possumus, nisi ipse nobis quæ largitus est operetur.*

CAPVT XV.

PRopterea nullatenus sinimus, imo salubriter prohibemus, tam in nostra fide, quã in nostro opere, tanquam nostrũ nobis aliquid vendicare. Dicit enim Vas

2. Cor. 4. *electionis: Quid autẽ habes quod nõ accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Et in sancto Euangelio Præcursoris dominici vox est: Non po-*

Ioan. 3. *test homo accipere quicquam, nisi datum ei fuerit de*

Iacob. 1. *cælo. Iacobus quoq; Apostolus protestatur: Quia om-*

In hac vita nemõ perfectus nisi spe futuræ gloriæ. *ne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum. Quod est autem magis donum perfectum, quàm glorificatio futura sanctorum? Nunc enim diuinorum munerum (vt ita dicam) nondum est perfecta perfectio, vtpote, vbi omnis*

Philip. 3. *perfectus perfectionis est indigus. Namq; ille, qui dixit,*

Ibidem. *quotquot ergo perfecti sumus, hoc sentiamus, idem dicit: Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim.*

Sapien. 9. *Fuit ergo perfectus spe futuræ glorificationis, fuit autẽ imperfectus onere corruptionis & mortalitatis. Corpus enim quod corrumpitur adgrauat animam, & de-*

Paulus fuit hic & perfectus & imperfectus. *primit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Fuit perfectus expectatione muneris, fuit imperfectus fatigatione certaminis. Fuit perfectus, quod mente seruiebat legi Dei, fuit imperfectus, quod carne seruiebat*

legi peccati. Fuit perfectus, desiderium habens dissolui & esse cum Christo, fuit autẽ imperfectus, quia quamdiu fuit in corpore, peregrinabatur à Domino. Fuit perfectus, plenissime sciens, quia Deus, quæcunque promisit, potens est & facere: fuit autem imperfectus, quia Deus in sanctis suis quædam nondum fecit ex omnibus quæ promisit. Propter quod etiam omnes antiqui iusti (sicut idem Apostolus dicit) testimonio fidei compro- Heb. 11. g *bati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius prouidente, ne sine nobis perficerentur. Sicut ergo præcedẽtes sancti testimonio fidei comprobati, non sunt sine subsequentium perfectione perfecti: sic subsequentes sancti non possunt sine præcedẽtibus perfici. Donum itaque perfectum tunc omnibus dabitur, quando sanctis æterna glorificatio tribuetur. Tunc sicut Veritas dicit, Iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui. Illius* Matth. 13. *est igitur etiam hoc donum perfectum, à quo est doni totius initium: Quod vtique donum non diceretur, si non etiam hoc ex gratia donaretur.*

CAPVT XVI.

VNus autem Deus est, qui gratis & vocat prædestinatos, & iustificat vocatos, & glorificat iustificatos. Sicut autem non est aliud iustificare, nisi iustos facere: sic non est aliud glorificare, nisi glorioſos facere. Proinde, quia Deus suos & iustificat & glorificat, sicut gratiæ ipsius opus est, cùm facit iustos: sic gratiæ ipsius opus erit, cùm faciet glorioſos. Quia sicut nemo potest habere veram iustitiam, nisi fuerit iustificatus: sic nemo potest habere veram gloriam, nisi fuerit glorificatus. Vnde autem sit vera gloria, Saluator noster cùm Iudæos increparet ostendit, dicens: Quomodo Ioan. 5. g *potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis? Hunc sensum habens Paulus & veraciter dicens, Nos autem* 1. Corin. 2.

Gratis operatur Deus salutem nostram ordinatis actibus.

Vera gloria à solo Deo est.

sensum Christi habemus, sicut gloriam veram à Deo esse nouerat: ita iustitiam veram ex Deo esse confirmat, dicens: Vt inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide. Et quamuis abundent plurima documenta, quibus clareat, non solum bonæ voluntatis, bonæq; operationis gratiam, sed etiam ipsam sanctorum glorificationem, diuinitus & inchoari prorsus & perfici: tamen arbitror etiam hæc, quæ à nobis posita sunt, vtcunque sufficere.

Philip. 3. b

CAPVT XVII.

ET ideo iam, vt libelli series temperetur, malorum quoque voluntatem, operationem, ac retributionẽ cõsyderare debemus. Vt agnoscamus, vtrũ malos Deus iustus ad hoc prædestinauerit faciendum, quod in eis puniturus est factum. An idcirco iniquos ad supplicium iustè prædestinauerit, quia eorum mala opera, licet futura, præsciret, non tamen ipse prædestinauit vt futura essent, quia non ipse fecit vt fierent. Itaq; si initium peccati requiritur, nihil aliud, nisi superbia inuenitur. Dicit enim scriptura: Initium omnis peccati superbia. Quæ itaque tunc initium sumpsit, cum angelus aduersus Deum elatus, & ipsa elatione prostratus, per concupiscentiam (quæ radix est omnium malorum) volens vsurpare, qnod illi datum à Deo non fuit, à Deo discessit, & cecidit, in quo si stetisset, non cecidisset. Sed per concupiscentiam malam, qua concupiuit plus extra se, minus factus est in se. Quam concupiscentiam, licet explere nequiuerit opere, tamen retinuit voluntate. Sic ipse sibi iam factus est pœna, vt supplicium semper esset malo voluntas mala, tanquã cæco ipsa cæcitas sua. Et concupiscentia peccãdi tormentum fieret peccatori, & rebellis ac refuga, qui illam imperturbabilem requiẽ fugeret,

Secunda pars primæ quæstionis supra positę

Initiũ omnis peccati superbia. Eccles. 10.

Casus & pœna lucifeti.

fugeret, deinceps perturbationi seruiret, atque à bono domino relinqueretur iustè, quem ipse reliquit iniustè. Ita factum est, vt perseuerans inordinatus ex se, ordinaretur in se: Et in eo, qui in se ordinem perderet, diuini ordinis ratio non periret. Hoc & in homine contigit, quem ipse diabolus serpentina calliditate deiecit. A domino quippe bono dissentiens, & seruo malo consentiens, malæ voluntatis effectum plenum adipisci non potuit: quia ipsa malitia voluntatis à Deo non fuit. Hanc enim, si à Deo non discederet, non haberet.

Casus primi hominis.

CAPVT XVIII.

BOnus ergo Deus bonarum est conditor naturarum. Vidit enim Deus (sicut scriptum est) omnia quæ fecit, & ecce bona valde. In quibus omnibus quæ fecit, rationalem creaturam meliorem cæteris fecit. Sic tamen potiori creaturæ magis voluit inesse bonum, vt etiam infimæ creaturæ nullum inesset substãtialiter malum. Ac per hoc, superius esse infimo bono melius creatum bonum, cui summum bonum (quod creatum non est, & à quo omne mutabile bonum creatum est) iustè dominaretur. Cuius etiam participatione beatũ esset, si summo bono humili dilectione seruiret. Creaturæ quippe rationali alia beatitudo nec potuit, nec potest esse, nec poterit: nisi vt agnoscens, à quo non solum facta, sed etiam à quo rationalis est facta, maiorem dilectionem exhibeat bono creatori quàm sibi. Neq; enim ei inesse posset vllatenus ratio, nisi ei posset creatoris inesse dilectio. Quia nec est alia, quæ vera sit sapientia vel intelligentia creaturæ rationalis, nisi dilectio creatoris, in qua tãto magis minúsve est dilectio sui, quanto magis minúsve dilectionem suo exhibet creatori. Voluntas porro creaturæ rationalis, sine qualicunq; amore non potest esse. Nec sic potest diligere, vt amorẽ suum

Genes. 1.

Rationalis creatura beata non potest esse nisi creatorem plus diligat quam seipsam.

Voluntas rationalis si se Deo subijcit, sublimatur, si se effert, deprimitur.

non velit ad aliquid religare, quæ inter summum bonum, à quo creata est, & infimum bonum cui prælata est, medio quodam loco posita, profecto aut in infimo bono necesse est miserabiliter iaceat, aut in summo bono veraciter fœliciterq; requiescat. Quodam etenim amore rapitur, seu cùm obedientia sublenatur, & creatori bono bene subijcitur: siue cùm superbia deprimitur, vt creaturæ bonæ male dominetur. Sicut enim fit elatione humilis, sic fit humilitate sublimis. Dicit enim Dominus & Magister noster, Omnis qui se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur. Propter quod item scriptum est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Neque vero Deus humiles, quibus dat gratiam, ante datã humiles inuenit: sed dando gratiã, humiles facit. Hoc ipsum enim gratiã, Deus per gratiam donat: vt quisquis eam acceperit, humilis fiat. Propter quod ipse Vnigenitus sanctæ humilitatis doctor atque largitor dicit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiẽ animabus vestris. Hanc requiẽ perdiderunt, qui humilitate reiecta aduersus vitam suam tumuerunt, & in mortem per superbiam reciderunt. De talibus enim dictum est: Deiecisti eos, cùm extollerentur. Talibus autem propterea Deus resistit, quia in eis superbiam ipse nõ fecit: per quam iniustè malunt in peccatum cadere, & per quam iustè merentur in peccato remanere.

Luc. 18. c

Deus humiles facit. Iacob. 4. 1. Petri 5.

Matth. 11.

Deiecisti eos, cum extollerentur Psal. 72.

CAPVT XIX.

Interitus nõ ex Deo, sed ex superbia est.

PRoinde, quia initium malæ voluntatis superbia est, quæ ex Deo non est, perspicuè claret, non ex Deo esse, hominibus interitum malæ operationis, sed à iusto iudice retribui malis interitum vltionis. Mala quippe voluntas non pertinet ad optimum creatorem Iusta vero iniusti angeli hominisq; damnatio pertinet ad aquissimum cognitorem. Ad voluntatem igitur malam Deus hominem non prædestinauit, quia homini eam daturus ipse nõ fuit. Quomodo enim Deus hominem, quem ad imaginem suam fecit, prædestinaret ad malam voluntatem, quam ipse non fecit? Itaq; peccare in hoc homo cœpit, in quo à Deo discessit. Scriptum est enim: Quia initiũ superbiæ apostotare à Deo. Et alio loco: Ecce omnes, qui se elongant à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Isti ergo, qui se elongant & fornicantur à Deo, vtique peccando pereunt, per suam malam voluntatem, quæ non est ex Deo. Perdet autem illos Deus iustè iudicando, quod competit Deo. Non enim eos Deus iudicio perderet, nisi per suas iniquitates ipsi perissent. Scriptum est enim: Defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Defectus ergo à summo bono ad infimum bonum, hoc est peccatoris proprium & voluntarium malum, quo malo se ipsum perdit iniustus. Et quia huic malo auctor non est Deus, sed homo peruersus, dignè itaque homini, qui se perdidit peccato, redditur in tormentis æterna perditio: vt pereat quidem, qui perire voluit, non tamen sic pereat, quemadmodum voluit. Qui enim sic peribit, delectatione peccatorum inlectus, vt si posset fieri, maneret in opere peccati perpetuus: Iustè quidem est in perditione peccati dimissus, quo propria cecidit voluntate. Sed non ibi fuit impunè dimittendus, ne Deus fidelis, in quo non est iniquitas, qui est iustus & sanctus, si peccatorem semper in peccato relinqueret, impunitum putaretur illi placere peccatum. Quam sententiã in quibusdam Deus arguit, per Malachiam prophetam, qui dicunt, Omnis qui facit malum, bonus est coram Domino, & ipse in eo placuit, & vbi est Deus iustitiæ? Iustè igitur est subsequuta sæueritas iudicis, vbi præcessit iniquitas peccatoris: quia

Initium superbiæ apostotare a Deo. Eccl. 10. Psal. 72.

Ibidem.

Defecerũt, perierunt propter iniquitatem suam.

Malac. 2. d

Deus peccati vitor est, non author. 1.Ioan.3.

illius rei Deus vltor est, cuius auctor non est, id est, iniquitatis, quam potest Deus punire, non facere. Scriptum est enim: Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas. Et scitis, quia ille apparuit vt peccata tolleret, & peccatum in eo non est. Omnis qui in eo manet, nō peccat. Et iterum: Deus fidelis, in quo non est iniquitas, iustus & sanctus Dominus. Iniquitas igitur, quia in Deo non est, vtique ex Deo non est.

Deut.32.a

CAPVT XX.

Iniquitas ex inordinato amore mundi. 1.Ioan.2.

QVæ est autem iniquitas, nisi mala concupiscentia? quam ex Deo non esse Ioānes Apostolus manifestat, dicens: Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo: quia omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quæ nō est ex patre, sed ex mundo est. Hic autem mundi nomine, homines significat mundi istius dilectores. Qui non ideo pro dilectione mūdi puniendi sunt, quia aliquam substantiam malam diligunt, cùm substantia naturaliter nulla sit mala: Sed quia dilectionis ordinem non tenentes, dum plus iusto diligunt mundum, minus Deum diligunt quàm diligere debuerunt. Non autem aliquid inordinatum Deus fecit, nec aliquid inordinatum fieri prædestinauit, qui per Apostolum suum imperat, vt omnia honestè & secundùm ordinem fiant. Propter quod & in sanctis eloquijs, vt peccatum vitetur, charitas præcipitur. Scriptum est enim: Ordinauit in me charitatem. Huic ordini congratulatur Apostolus dicēs: Nam & si corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens & videns ordinem vestrum. Peccati verò initium, si attendatur, puto quod nihil est aliud: quàm ordinatarum rerum inordinata rationalis creaturæ dilectio, quæ sponte perdendo dilectionis ordinem, perdidit & salutem. Ad

1.Cor.14.

Cantic.2.

Colos.2.

Peccati initium inordinata dilectio.

hoc non est à Deo prædestinata rationalis creatura. Neque enim alia est eius prædestinatio, nisi futurorum operum eius æterna præparatio. In qua nullius causa mali poterit inueniri, quia ex volūtate Dei nunquam processit origo peccati.

CAPVT XXI.

Misericordiam & veritatem diligit Dominus. psalm.83.

MIsericors etenim Dominus & iustus, de quo alio loco scriptum est: Misericordiam & veritatem diligit dominus Deus. In omnibus ergo operibus eius, aut iusta veritas custoditur, aut pia misericordia prærogatur. Porrò autem, cùm negare non possimus, à Deo bono factum hominem bonum, si dixerimus eum â Deo prædestinatum ad opus aliquod malum, nos Deo misericordi & iusto tale opus (quod absit) adscribimus, vbi nec misericors possit inueniri, nec iustus. Si enim cùm à Deo fieret homo, sic erat in præsenti opere Dei bonus, in prædestinatione eius esset malus: proculdubio Dei opere malus futurus erat, à quo ad peccandum prædestinatus fiebat. Vbi statim illa cōsequetur absurditas, vt dicatur, quia Deus, de quo Propheta dicit, Qui fecit quæ futura sunt, in se habuit (quod absit) iniquitatis originem: si hominem à se factum ipse prædestinauerat peccatorē. Prædestinatio enim eius, præparatio est operum eius. Et sicut competit Deo bono, vt causa sit totius operis boni: sic incongruū est, vt imputetur causa cuiuslibet operis mali. Deinde attendamus, quia nulla ratio redditur, qua homo ad peccatum prædestinatus à Deo credatur. Si enim in his, quos Deus et pater domini nostri Iesu Christi benedixit in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo Iesu, sicut elegit eos in ipso ante mundi constitutionem, vt essent sancti & immaculati in cōspectu eius in charitate: qui prædestinauit eos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in

Non prædestinat Deus hominem ad peccādum.

Ephes.1.

Prædestinatio bonorũ est ex gratuita Dei misericordia.

ipsum: si ergo in his causa prædestinationis quæratur, nõ vtiq; alia, sed sola gratuita Dei misericordia reperitur. Ipse est enim de quo dicit Psalmus: Misericors & miserator Dominus, longanimis, & multæ misericordiæ. Psal. 102. Non in finem irascetur, neque in æternum indignabitur. Non secundũ peccata nostra fecit nobis, neq; secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quia secundũ altitudinem cœli à terra, elõgauit iniquitates nostras à nobis. Sicut miseretur pater filijs, ita misertus est Dominus timẽtibus eum. In his omnibus tot ac talibus bonis, quæ Dominus retribuit malis, quid aliud quàm indebita misericordia canitur? quidve aliud quàm gratuita pietas prædicatur? Nam & in eo, quòd nõ secundũ peccata nostra fecit nobis, neq; secundũ iniquitates nostras retribuit nobis, gratuita manifestatur iustificatio impiorũ. Et in eo, quod sicut miseretur pater filijs, ita misertus est Dominus timentibus eũ, gratuita claret per eandem fidei iustificationem adoptio filiorum. Neq; enim sicut pater filijs misereretur, nisi nobis gratia pater factus, nos sibi filios facere dignaretur. Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.

Sicut pater filijs, ita dominus se timẽtibus est misertus.

Ioan. 1.

CAPVT XXII.

Abſit vt dicamus hominẽ a Deo prædestinari ad perpetranda peccata.

HÆc est in sanctis causa prædestinationis diuinæ, præparatio scilicet iustificationis & adoptionis indebitæ, quam quia non merebatur voluntas hominis mala, non est eius causa, nisi sola Dei voluntas bona. In his autem qui putantur prædestinati, non ad luenda supplicia, sed ad perpetrãda peccata, cùm causa prædestinationis quæritur: non inuenio quid respõdere posset, quisquis hac asserere meditatur. Nunquid enim sicut rectè dicimus, ad hoc prædestinatos sanctos, vt Deo in eis misericorditer operante, ex malis fierent boni, & ex impijs iusti? Quod cùm dicimus, ad Dei gloriam dicimus,

mus, Nunquid sic rectè dicere poterimus, ad hoc prædestinatos iniquos, vt Deo in eis, & si non misericorditer, saltim iustè operante, ex bonis fierẽt mali, aut ex iustis fierent impij? Absit hoc à nobis, atq; ab omnibus Christianis, vt causam cuiuslibet peccati quisquam deputare diuinæ audeat æquitati. Cùm nec malitiæ, nec impietatis cuiusquam causa esse possit, nisi in eo qui malus atq; impius fuerit. Vt ergo ex malis fiant homines boni, & ex impijs iusti, laudãda est Dei misericordia: Vt autẽ ex bonis fiant homines mali, aut ex iustis iniqui, si diuinæ prædestinatiõis asseritur causa, erit (quod absit) vituperanda iustitia. Quinimo nec iustitia iusta dicetur, si puniendũ reum nõ inueniſſe, sed feciſſe dicatur. Maior vero erit iniustitia, si lapso Deus retribuit pœnam, quem stantẽ prædestinasse dicitur ad ruinam.

CAPVT XXIII.

In homine quẽ Deus rectè fecit nõ est prædestinata mala voluntas.

QVæro autem, cur primum hominem, quem (sicut scriptum est) fecit Dominus rectum, prædestinare potuerit ad peccandum, id est, ad voluntatem malam? quæ est totius origo peccati, quam vtiq; aut retribuisse Deum nondũ peccanti homini, aut retribuisse credendum est peccatori. Hanc itaq; si nondũ peccãti homini tribuit, ipse (quod absit) auctor iniquitatis extitit, qui malam voluntatẽ dedit homini bono, per quam peccãs æterno meretur puniri supplicio. Et vbi est, quia Deus mortem non fecit? Et quia non est iniquitas apud Deũ? Et quia iustus Dominus, & iustitiã dilexit, æquitatem vidit vultus eius? Si autẽ malæ volũtatis initiũ peccatori homini nõ tribuit, sed retribuit Deus vt ab homine credatur cœpisse peccatũ, à Deo autem tanquã à iusto iudice redditum malæ volũtatis initium dicatur: quod peccatum homo facere potuit, in quo volũtas mala non fuit? cùm nullus fructus iniquitatis exoriri possit, nisi quem

Sapien. 1.

Deut. 32.

Psal. 10.

Mar.7. *quem radix volũtatis malæ protulerit. De corde enim (sicut veritas ait) exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Propter quod Deus ipse per Hieremiam sic humanæ malitiam voluntatis obiurgat, vt eam à se alienam esse perdoceat. Dicit enim: Ego te plantaui vineam fructiferam, quomodo conuersa es in amaritudinem vitis alienæ? Alienam vtique à se vitem dicit, nõ vitio diuinæ conditionis, sed auersione propriæ voluntatis: quæ iuste culpatur, pro eo quod amaritudinem protulit, quam in ea Deus ipse non fecit. Quoniam ipsam amaritudinem nec ex Dei prædestinatione, nec ex Dei opere, sed ex malitia suæ voluntatis habuit. Pro qua amaritudine sic eam Deus per supra memoratum prophetam denuo increpat, Scito quàm malum est tibi & amarum, reliquisse Dominum Deum tuum, & non esse timorem meum apud te. Cùm ergo hoc sit homini malum & amarum reliquisse Dominum, & timorem Dei apud eum non esse: quis ita sit contrarius veritati, vt putet à bono ac suaui Deo (de quo scriptum est: Quàm bonus Deus Israel rectis corde? Et quia nemo bonus, nisi solus Deus. & de quo Apostolus dicit, Vt ostendat in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos: Et de cuius suauitate canitur: Gustate & videte, quàm suauis est Dominus: Et de cuius eloquijs denuo prædicatur, Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo. Et rursus: Iudicia Dei vera, iustificata in semetipsis, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum: Quis ergo putet, à bono ac suaui Deo, prædestinatum hominem aut ad malitiam volũtatis, qua bonum Deum relinqueret, aut ad amaritudinem contumaciæ, qua suauem Dominum non timeret?*

Mala hominis volũtas non est Dei plantatio.

Hier.2.

Ibidem.

Suauis & bonus Dominus non creauit amaritudinem & malitiam volũtatis peruersæ.

Psal.72.

Mar.10.

Ephes.2.b.

Psal.33.

Psal.118.

Psal.18.

timeret? Proinde fidelibus congruit credere & fateri Deum bonum & iustum, præscisse quidem peccaturos homines, quia nihil eum latere potuit futurorum (neq; enim vel futura essent, si in eius præscientia nõ fuissent) non tamen prædestinasse quemlibet hominem ad peccatum, quia si ad peccatum aliquod hominem Deus prædestinaret, pro peccatis hominem non puniret, Dei enim prædestinatione aut peccatorum præparata est pia remissio, aut peccatorum iusta punitio. Nunquam igitur Deus ad hoc hominem potuit prædestinare, quod ipse disposuerat & præcepto prohibere, & misericordia diluere, & iustitia punire. Iniquos itaque quos præscisuit Deus hanc vitam in peccato terminaturos, prædestinauit supplicio interminabili puniendos: in quo sicut culpanda non est præscientia humanæ iniquitatis, ita prædestinatio iustissimæ laudanda est vltionis, vt agnosceret non ab eo prædestinatum hominem ad qualecunque peccatum, quem prædestinauit peccati merito puniendum.

Præsciuit quidé Deus homines peccaturos, sed eos ad peccãdum non prędestinauit.

CAPVT XXIIII.

DEus itaque omnia hominum opera, siue bona seu mala, præsciuit, quia eum latere nihil potuit. Sed sola bona prædestinauit, quæ se in filijs gratiæ facturum esse præsciuit. Mala vero futura opera illorum, quos non prædestinauit ad regnum, sed ad interitum præscisuit, potentissima deitate, & ordinauit prouida bonitate: & quia præscius fuit, quòd eadem mala non solum ipse facturus non esset, sed nec homo in quantum ei humiliter adhæsisset, in eo nobis insuperabilem potentiam præscientiæ suæ magis ostẽdit, quia nec in malis prædestinationẽ iustitiæ suæ vacare permisit. Ostensurus itaque Deus, quid reddendũ præsciuerit, & quid donandum: prædestinauit illos ad suppliciũ, quos à se præsciuit voluntatis malæ vitio discessuros. Et prædestinauit

Deus igitur prædestinauit bonos misericorditer ad gloriam, malos iuste ad supplicium.

stinauit ad regnum, quos ad se præsciuit misericordiæ prænenientis auxilio redituros, & in se, misericordiæ subsequentis auxilio, esse mansuros. In istis misericordiam custodiens, in illis iustitiam tenens: Istis quod promisit piè tribuens, Illis nihilominus quod prædixit iustè retribuens. Sic autem Deus non omnia promisit quæ prædixit, quamuis prædixerit omnia quæ promisit: sicut non omnia prædestinauit quæ præsciuit, quamuis omnia prædestinata præsciuerit. Præsciuit enim voluntates hominum bonas & malas: prædestinauit autem non malas, sed solas bonas. Et licet in eius prædestinatione non fuerit, vt malitiam voluntati humanæ dedisset, fuit tamen in eius prædestinatione, quid humanæ voluntatis malitiæ reddidisset. Propter hoc, quia sicut Psalmista testatur, Misericors est Dominus & iustus, prædestinauit iustos ad gloriam, iniquos ad pœnam. Iustificandis ergo atq; glorificandis prædestinatum misericordiæ suæ opus prædixit pariter & promisit: Iniquis autem prædestinatum iustitiæ suæ opus prædixit tantummodo, non promisit.

Deus non omnia promisit quæ prædixit, nec omnia prædestinauit quæ præsciuit.

CAPVT XXV.

QVod si quis quærat, cur Deus omnia quidem prædestinata prædixerit, non tamen omnia prædestinata promiserit: Respondemus, promissionem dici non posse, nisi cùm aliquid ad hoc prædicitur faciendum, vt possit ei cui promittitur, prodesse iam factum. Et promissum semper esse doni, non semper esse iudicij: cùm promissi largitas semper lætificet, iudicij vero seueritas aliquando contristet. Quod Propheta metuens, huiusce modi ad Deum orationem effundit: Ne intres in iudicio cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Sciebat enim cunctos pari retinendos punitionis vinculo, nisi Deus in quibus vellet

psal. 142. 2

vellet misericordiam fecisse, superexaltaret iudicio. Iustificatio igitur & glorificatio, quæ non est homini ex homine, sed ex Deo, quia multum sanctis fuerat profutura, ideo prædicta est & promissa. Punitio vero, quæ in æternum fuit impijs obfutura, prædicta est tantummodo, non promissa. Quod etiam diuinis testimonijs facilius ostenditur. In illo quippe prophetæ loco vtrunque pariter inuenitur expressum, vbi Deus per Esaiã eos qui sibi nõ seruiunt, his arguit verbis: Ecce qui seruiunt mihi, manducabunt: vos verò esurietis. Ecce qui seruiunt mihi, bibent: vos verò sitietis. Ecce qui seruiunt mihi, lætabuntur: vos verò confundemini. Ecce qui seruiunt mihi, exultabunt in lætitia: vos autẽ clamabitis propter dolorem cordis vestri, & à contritione spiritus vlulabitis. In his omnibus, quæcunque ad iniquorum personam pertinent, prædicta sunt tantummodo, non promissa. Neque enim dicendum est, bonitatis largitate promissum, quod intendat iniquitatis merito seueritas inferendum. Si qua vero ad personam seruientium Deo pertinent, & prædicta sunt & promissa. Tale aliquid est etiam in illo Saluatoris nostri sermone, quo ait: Tunc illi ibunt in combustionem æternam, iusti autem in vitam æternam. Prædixit & promisit præmium, quo fruentur iusti: non autem promisit, sed prædixit supplicium, quo punientur iniusti. Neq; vero, sicut prædestinauit sanctos ad iustitiam accipiendam, sic prædestinauit iniquos ad eandem iustitiam amittendam: quia misericors Dominus & iustus, potuit gratis à prauitate liberare quem voluit, prauitatis autem operator nunquam fuit: quia praua nunquam aliquis fuit, nisi in quantum à Deo discessit. Nec discessurum Deus prædestinauit, quamuis discessurum cognitio diuina præsciuerit.

Verba Esaiæ de futura retributione. Esa. 65. c

Matthæi 25. in fi.

CAP.

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT XXVI.

Deus de malis impiorũ operibus operatur bonũ

DEus itaque licet auctor non sit malarum cogitationum, ordinator tamen est malarum voluntatum: & de malo opere cuiuslibet mali non desinit ipse bonum operari. Nec in ipsis iniustæ voluntatis operibus deserit operum suorum iustum ordinem, quia & hoc in ipso ordine habet, quod malam iustè deserit voluntatem. Quam tamen sic in suis malis operibus à se discedentem deserit, vt ibi permittentis Dei operatio bona non desit: dum & in peccantis voluntate iniusta implet ipse iustitiam, & de malo, quo peccantem iudicat, quibus ipse vult beneficium prærogat. In sanctis igitur perfecturus est Dominus, quod vt essent boni, gratis dedit. Quod autem daturum se præsciuit, in æterna bonitatis dispositione prædestinauit. Ipsa est enim prædestinatio Dei, sempiterna scilicet dispositio futuri operis Dei. Porro autem in iniquis puniturus est, quod vt essent mali, non dedit, nec eos ad iniquitatẽ aliquam prædestinauit: quia vt iniquè vellent, hoc eis daturus ipse non fuit. Et quia malæ voluntatis perseuerans iniquitas inulta remanere non debuit, tales ad interitum prædestinauit: quia talibus iuste punitionis supplicium præparauit. Quod vtiq; manifesto Dominus ipse sermone perdocuit, in eo, quod à se ostendit paratum, non solum regnum, vbi lætẽtur boni, sed & ignem æternum, vbi crucientur mali. Bonis etenim dicturus est: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi. Malis autem dicturus est: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Ecce ad quod Dominus iniquos & impios prædestinauit, id est, ad supplicium iustum, non ad aliquod opus iniustum: Ad pœnam: non ad culpam: Ad punitionem, nõ ad transgressionem: Ad interitum, quem ira iusti iudicis peccantibus reddidit:

Aliter igitur Deus bonos, aliter malos prædestinauit.

non

non ad interitum, quo in se iram Dei peccantium iniquitas prouocauit. Quod beati Apostoli prædicatio manifestat, qui malos, quos in æternum damnaturus est Deus, vasa vocat iræ, non culpæ. Ait enim: Quod si volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, aptata in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Quæso Monime charissime, vt hunc Apostoli locum diligenter attendas. Notum namque est, iram Dei dici non posse, nisi vbi creditur hominis iniquitas præcessisse. Neque enim Deus aut ignarus esse potuit, aut iniustus, qui posset aut peccantis hominis culpam non agnoscere, aut non peccanti iudicium punitionis inferre. Nam & ipse beatus Paulus in iniquitate hominis iustitiam Dei prædicat commendari, vt ostendat, non iniuste irã omnipotentis inferri. Ait namque: Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? nũquid iniquus Deus, qui infert iram? Secundum hominem dico, absit: alioquin quomodo iudicabit Deus mundum? Non itaque frustra talis est ab eo facta inter puniendos glorificandosq; discretio: vt illos vocaret vasa iræ, istos autem vasa misericordiæ: nisi vt ostenderet, tam in vasis iræ, quam in vasis misericordiæ, iniquitatẽ propriam præcessisse. Talis est Dominus verus, cui, vt gratuita sit misericordia, & ira non sit iniusta: Ac per hoc, & illos indignos præueniat bonitate, quos iustificat: & illos dignos inueniat punitione, quos damnat: Ac sic appareat, & in vasis misericordiæ, non ex ipsis, sed ex Deo esse, quod boni sunt: & in vasis iræ, nõ ex Deo, sed ex ipsis esse quod mali sunt. Posset enim Apostolus, quos dixit vasa misericordiæ, potius vasa iustitiæ nuncupare: Sed si vasa iustitiæ vocarentur, forsitan ex seipsis habere iustitiam putarentur. Nunc autem cum

Mali dicũtur vasa iræ, boni vasa misericordiæ. Roma. 9.

Roma. 3.

Cur potius misericordiæ quam iustitiæ vasa bonos vocat Apostolus.

vasa misericordiæ dicit, procul dubio, quid ipsi fuerint, non tacuit: quia quid eis à Deo conlatum sit, euidenter ostendit. Si enim per se ipsos essent iusti, mercedem eis Dominus pro operibus suis redderet, nõ misericordiam
Rom. 4. *prærogaret. Sicut idem Apostolus alio loco dicit, Ei autem qui operatur, merces non imputatur secũdum gratiam, sed secundum debitum. Vasa itaque misericordiæ ad indebitam sunt gloriam præparata, quia gratis sunt misericordiam consecuta. De quibus etiam*
1. Tim. 1. c *ipse beatus Apostolus se esse testatur, dicens: Qui prius fui blasphemus & persecutor, & cõtumeliosus: sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Hoc est opus Dei in vasis misericordiæ: vt blasphemis & persecutoribus & contumeliosis non debitus redderetur interitus, sed misericordiæ donaretur gratuitum munus. Vasis vero iræ nunquam Deus redderet interitum, si non spontaneum inueniretur homo habere peccatum: quia nec Deus peccanti homini iustè inferret iram, si homo ex prædestinatione Dei cecidisset in culpam. Sed quia causam iniquitatis suæ ex propria homo habuit voluntate: propterea B. Paulus sustinuisse asserit Deum in multa patientia vasa iræ, aptata in interitum. Hæc igitur ira ideo talibus vasis interitum reddidit, quia in eis meritum volũtariæ iniquitatis inuenit. Quando autem peccanti seruo iram iustus dominus intulisset, si seruus ex Domini prædestinatione peccasset? In hoc itaque ista vasa Deus aptauit, in quod prædestinauit, hoc est, in interitum, illum vtique interitum, quem Paulus malis repente superuenturum denunciat, dicens: Cùm enim dixerint pax*
1. Thes. 5. a *& securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Quod si Deus tales in peccatum prædestinaret, non eos Apostolus vasa iræ mallet nominare, sed culpæ, nec in interitum talia vasa, sed in peccatũ dicerẽtur aptata. Nunc*

Nunc autem ideo vasa iræ dicuntur, vt ostendatur, in talibus ex Dei prædestinatione non hoc esse, quod est male ab eis admissum, sed quod est talibus bene redditum.

CAPVT XXVII.

BEne quippe malis interitus à Deo redditur, quãuis sit malus interitus eis, qui nunc iustè deserũtur, & postmodum iustè torquebuntur. In talibus enim Deus iudiciũ suũ desertione inchoat, cruciatione consummat. Nã & hoc tẽpore, quo discedentes malos deserit Deus, non operatur in eis, quod ei displicet, sed operatur per eos quod ei placet. Postmodum eis redditurus, quod ab eius iustitia merentur. Recipient enim non pro eo, quod Deus bene vsus est eorũ operibus malis: sed pro eo, quod ipsi male abusi sunt Dei operibus bonis. Tales itaque Deus aptauit in interitũ punitionis, quẽ peccatori iustus iudex prædestinatione iusta decreuit. Nõ in peccatũ quod homo nõ ex prædestinatione diuina, sed ex voluntate sua, male concupiscendo cœpit, & male operando perfecit. Concupiscentia enim concipiens, peperit peccatum: peccatum vero consummatum genuit mortem. Non ergo iniqui prædestinati sunt ad mortem animæ primam, sed prædestinati sunt ad secundam, id est, ad stagnum ignis & sulphuris. De quo B. Ioannes dicit: Et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnũ ignis & sulphuris. Et alio loco: Et mors & infernus missi sunt in stagnum ignis. Hæc mors secunda est stagnum ignis. Et qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. Rursus dicit: Dubijs autem & infidelibus, contaminatis, & homicidis, & impudicis, & veneficis, & Idolis seruientibus, & omnibus mendacibus, pars eorum in stagno ardenti & sulphure, quod est mors secunda. Illam secundam nuncupat mortem, quæ sequitur ex sententia iusti iudicis:

Quam iustus Deus deserit malos & interitum eis reddit.

Iacob. 1.

Iniqui prædestinati sunt ad stagnum ignis & sulphuris.

Apoc. 20. c
Apoc. 20. d

Apoc. 21. c

Prima mors animæ in peccato, secũda in stagno ignis, Matth.8. 1.Tim.5. Ephes.2.

non illam, quæ præcessit in mala concupiscentia peccatoris. Qua morte saluator quosdam mortuos asserebat, dicẽs: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Et Apostolus de vidua: Quæ autem in delitijs est viuens, mortua est. Ad Ephesios quoque sic loquitur: Et vos cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis, secundum seculum mundi huius, secundum principẽ potestatis aeris huius, spiritus qui nunc operatur in filijs diffidentiæ, in quibus & nos omnes aliquando cõuersati sumus, in desid erijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, eramus natura filij iræ, sicut & cæteri: Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem

Ezech.18.

suam, qua dilexit nos: Et cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo. De hac morte, qua homo est mortuus in peccatis, dicit Deus: Nolo mortẽ morientis, sed vt reuertatur à via sua mala, & viuat anima eius. Quomodo autem ad mortẽ peccati prædestinasse Deus hominẽ creditur, quã se ipse nolle testatur? Mors ergo ista morientis, via sua mala est. Quæ quia mala, Deo

Prouerb.4.

ignota. Scriptum namq; est: Vias enim quæ à dextris sunt, nouit Dominus: peruersæ autẽ sunt, quæ à sinistris

Vias impiorum non nouit Dominus, quia eas nõ fecit Psalm.1.

sunt. Vias ergo, quas Deus fecit, nouit, quas non fecit, perdit, quia eas non nouit. Vnde scriptum est: Nouit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit. Ille igitur, qui scit omnia antequam fiant, & cuius oculi in omni loco speculantur bonos & malos, cuius etiam vultus super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum: Ideo viam malam non nouit, non quia scientiam ipsius aliquid in operibus hominũ fugit, sed quia mortem morientis non fecit, qui tamẽ mortem mortuo iustè

Prima mors animæ ab homine, secũda a Deo infertur.

retribuit. Prima igitur mors animæ, quam sibi homo intulit, secundæ mortis est causa: Et secunda mors, quam Deus homini reddidit, primæ mortis est pœna.

Et quia

Et quia istam sibi homo iniustus iniuste intulit, illam à iusto iudice iuste percepit: vt quia in ista volens semen iniquitatis seminat peccator improuidus, in illa metat fructum punitionis inuitus. Qui enim seminat Galat.6.
in carne sua, de carne metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Sed qui seminat in spiritu, & de spiritu metet vitam æternam: à Deo habet donum & messis & seminis. Quod Paulo teste cognouimus, sic enim ait: Qui autem dat se- 2.Corin.9.
men seminanti, & panem ad manducãdum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ. Qui vero seminat in carne, & de carne metet corruptionem: Ideo non lætabitur in messe, quia non Deum, sed seipsum habuit auctorem in semine. Peccata itaq; hominum cuncta quidem Deus Peccata prædestinauit Deus non faciẽda, sed iuste punienda.
in peccatoribus præscuit futura. Et quia ipse non ea prædestinauit facienda, iuste prædestinauit iudicio punienda. Quod etiã in ipsis dictis sancti Augustini, quæ tuæ inseruisti epistolæ, si consideres, profecto cognosces. Qui postquam dixit, Hoc ergo bonum, quod est requirere Deũ, non erat qui faceret, non erat vsq; ad vnum. Sed in eo genere, quod prædestinatum est ad interitum: statim secutus adiunxit, dicẽs: Super hoc enim respexit Dei præscientia, protulitq; sententiam. Nẽpe satis atque euidenter his dictis ostẽdit quia Deus peccata hominum præscientia vidit, quibus sententiam prædestinatione dictauit. Quid enim aliud accipere debemus in hac prolatione sententiæ Dei, nisi paratũ supplicium peccatori? Iuste autẽ est ad punitionẽ diuina æquitate prædestinatus, qui peccator est diuina cognitione præscitus. Vtpote, qui iniquitatẽ, ad quã à Deo nõ est prædestinatus, propria esset voluntate facturus. Vt in quo præscietia Dei videbat futurũ opus iniustum, huic per prædestinationis sententiã pararet supplicium iustum.

CAPVT XXVIII.

QVamuis igitur tu ipse cæteriq; tui similes, studio legendi, vel velocitate intelligendi, ex hoc loco dictorum sancti Augustini, quæ in tua epistola posuisti, facillime cognoscatis, quid catholicus habeat intellectus de his, quos ad interitum prædestinatos audimus: tamen ne tardiores quique hunc tantum locum minus sibi putent in hac quæstione sufficere, de alijs quoque S. Augustini libris quædam inserui, quibus docuit humanæ iniquitatis causam solam esse superbiam: nec ad peccandum homines, sed ad damnationem prædestinatos à Deo, qui vt non adiuuentur à Deo, in ipsis causa est, non in Deo. Capite. 17. In libro itaque secundo de Baptismo paruulorum ad Marcellinum scribens, inter alia sic dicit: Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat quod latebat, & suaue fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, * qua hominum adiuuat voluntates, qua vt non adiuuentur, in ipsis itidem causa est, non in Deo, siue damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ, siue contra ipsam superbiam iudicandi & erudiendi, si filij sunt misericordiæ. Hic statim sanctus Augustinus testimonium prophetæ subiunxit, dicens: Vnde Hieremias, cum dixisset: Scio Domine quoniam non est in homine via eius, nec viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos: continuè subiunxit, Corripe me domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo. Tanquam diceret: Scio ad correptionem meam pertinere, quod minus abs te adiuuor, vt perfecte dirigantur gressus mei: Veruntamen hoc ipsum noli sic mecum agere, tanquam in furore, quo iniquos damnare statuisti: sed tanquã in iudicio, quo doces tuos non superbire. Vnde alibi dicitur: Et iudicia tua adiuuabunt

* quæ.

Hier. 10. d

Psal. 118.

bunt me. Supradictum itaque Marcellinum tali doctrina sanctus Augustinus informãs, sequitur & dicit: Nullius proinde culpæ humanæ in Deum referas causam: Vitiorum nãque omnium humanorũ causa, superbia est. In istis sancti Augustini dictis attende quæso mi charissime. Primum, quia vt nõ homines adiuuentur à Deo, in ipsis causa esse dicitur, nõ in Deo. Deinde, quia propter iniquitatẽ superbiæ prædestinati dicuntur dãnandi, quod pertinet ad iudiciũ: non deprauandi, quod pertinet ad peccatũ. Tertiò etiam considera, quia nullius culpæ humanæ in Deũ referendã admonet causam: qua, si aliqua peccatoris iniquitas à Deo prædestinata creditur, ipsius iniquitatis causa in prædestinatione diuina ponetur. Quod quàm sit impium, quamq; fidei Christianæ contrariũ, nullum puto fugere Christianũ. Alio quoq; eiusdem libri loco memoratus sanctus Augustinus sic dicit: Extolli quippe in superbiam, propriæ voluntatis est hominum, non operis Dei: neq; enim ad hoc eos compellit, aut adiuuat Deus.

Elegans doctrina ex verbis sancti August.

Capite. 19.

CAPVT XXIX.

ET vt manifestiore dictorum eius indicio nostra fulciatur assertio, aliquid nobis ponendum est de libro, quem scripsit de Prædestinatione sanctorum, quo manifestius ostendit, sine prædestinatione præscientiã Dei esse posse, prædestinationem vero sine præscientia esse non posse. Et quia Deus præsciuit etiam quæ ipse non facit, hoc est, peccata: supra memorato igitur libro, hæc est eiusdẽ beati Augustini sententia. Prædestinatio est, quæ sine præscientia nõ potest esse, potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus: vnde dictũ est: Fecit quæ futura sunt. Præscire autẽ potens est etiã quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata. Quia etsi sunt quædam, quæ ita peccata sunt, vt pœnæ sint etiam

Prædestinatio sine Dei præscientia esse nõ potest sed bene econuerso.

Lib. 1. Cap. 10.

Roma. 1. d. peccatorum, vnde dictum est: Tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant quæ non conueniunt: non ibi peccatum Dei est, sed iudicium. Puto in his dictis B. Augustini euidenter ostensum, bona opera sua Deũ præscisse & prædestinasse, hoc est, sine quæ ad misericordiam, seu quæ ad iustitiam pertinent. Mala verò opera, hoc est peccata, præscisse tantum, non etiam prædestinasse, quia ibi non opus Dei esse dicitur, sed iudicium. Ideo in peccato opus Dei non est, quia vt peccatum fieret, prædestinatum ab eo non est. Ideo autem iudicium est, quia inultum non relinquitur, quod sine operante Deo malus operatur.

In peccatis non Dei opus est, sed iudiciũ

CAPVT XXX.

NOn autem ignoras etiam præterito tempore illi luculentissimo sancti Augustini operi, quod scripsit de prædestinatione sanctorum, à quibusdam Gallis obiectũ, quòd beatus Augustinus in assertione prædestinationis diuinæ, peccatores non ad sõlum prædestinatos diceret iudicium, sed etiam ad peccatum, cuius dicta, quia ipse celeri præuentus est obitu, Prosper vir eruditus & sanctus, recta defendit fide, & copioso sermone. Ex quibus Gallorum capitulis, vt non multa nunc ponamus, ne libellum istum, quem prolixum facere disputandi necessitas cogit, prolixiorem voluntas facere videatur, duarum responsionum loca duximus inserenda. Quartadecima quippe obiectio sic habetur: Quod qui Euangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædestinatione non credant: Et quod Deus ita definierit, vt quicunque non credunt, ex ipsius constitutione non credant. Huic itaque prauitati, quæ beati Augustini dictis, non ex veritate, sed ex liuore obijciebatur, tali Prosper sermone respondit. Infidelitas non credentium Euangelio, nequaquam ex Dei prædestinatione generatur. Bonorum enim Deus auctor est, non malorum. Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, aut ad retributionem iustitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ. Vniuersæ enim viæ Domini misericordia & veritas. Proinde infidelitas non credentium, non ad constitutionem Dei, sed ad præscientiam referenda est. Quæ non ideo necessitatem non credendi intulit, quia falli de ea quæ futura erat infidelitate non potuit. Quintadecima etiam obiectio his verbis inserta est, quod idem sit præscientia, quod prædestinatio. Cui Prosper sic respondit: Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit: quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur ascribere. Sed cùm bona ad largitorem, cooperatorémque eorum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam, referenda sint: dubium non est, sine vlla temporali differentia Deum & præscisse simul & prædestinasse, quæ ipso erant Auctore facienda, vel quæ malis meritis iusto erant iudicio retribuenda, præscisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura. Nos itaque charissime, hæc interim pauca de libris sancti Augustini, & de responsionibus Prosperi, ob hoc maluimus huic libello inserere: vt cuncti nouerint, quid debeant de prædestinatione sanctorum impiorúmque sentire, simulq;, vt appareat eiusdem Beati Augustini dictis, tenorem nostræ sententiæ conuenire. Proinde quia sufficienter (vt arbitror) iniquos non ad peccatum, sed ad supplicium prædestinatos ostendimus: huic volumini iam terminum demus, vt ad aliarum quæstionum disputationem attentius recensendam, latoris renouet studium, temperies distincta librorum.

Responsio Prosperi ad 14. obiectiones.

Psal. 24. b

Responsio ad 15.

Conclusio de prædestinatione.

B. FVLGENTII AD MONIMVM, LIBER SECVNDVS,

tres quæstiones complectens, Vnam de Sacrificij oblatione: Alteram de Spiritus sancti missione: Tertiam de supererogatione beati Pauli.

CAPVT I.

Epilogus cõpẽdiosus de prædestinatione iustorũ & iniquorum

SATIS, vt arbitror, Monime charissime, quæstionem de diuersitate prædestinationis, iustorũ scilicet & iniquorum, hoc est, eorum quos gratuita misericordia Dei prævenies, iustificando conuertit, glorificatura conuersos, & eorum quos iusta Dei seueritas in peccatis derelinquit, punitura dãnatos, superior sermo (in quãtum Dominus pusillitatem nostram dignatus est adiuuare) & pertractatam continet & solutam: ita vt pleriq; licet in ea soleant nõ leuiter permoueri, facile possint & diuinorum librorum testimonijs instrui, & sancti Augustini libris, & Prosperi eruditissimi viri responsionibus informari: quibus agnoscant prædestinationem Dei nihil aliud esse, nisi præparationem operum eius, quæ in æterna sua dispositione aut misericorditer se facturum præsciuit, aut iustè, & quia in peccatis nec misericordia inuenitur nec iustitia, ideoq; omnem iniquorum malam voluntatem, qua peccant, præscitam, non tamen esse à Deo prædestinatam: cùm ipsam voluntatem malam non aliter essent habituri, nisi in eo, quo fuissent à domino recessuri: Nec Deum prædestinasse discessionẽ hominis à se, cùm causa ipsius discessionis sola voluntaria esset auersio peccatoris. Quæ quia Deum futura nõ latuit, in æterna præscientia eius præparatam sibi pœnam iustæ retributionis inuenit.

CAP.

CAPVT II.

Secunda quæstio Monimi de sacrificio corporis & sanguinis Christi.

NVnc itaque ad reliquas quæstiones duce domino indagandas, nostræ disputationis dirigatur intentio. Dicis à nonnullis te interrogatum de sacrificio Corporis & Sanguinis Christi, quod plerique soli patri existimant immolari. Hanc etiam asseris Hæreticorum esse quasi palmarem interrogationem. Sed nouum non est, vt Hæretici, priuati lumine veritatis, illis se propositionibus veritatem superaturos arbitrentur, quibus facillime superantur. Gloria namque in confusione ipsorum est, qui terrena sapiunt. Hoc ergo sectantes hæretici, ea sibi quasi palmaria & inuicta videntur proponere, vnde sibi confusionẽ non vident imminere. Sed cùm à veritate superantur, hoc in illis vtiq; impletur, vt vnde gloriantur, inde confundantur. Non est igitur mirũ, si illi, quos malitia sua (sicut scriptũ est) excæcatos veritas ipsa (quæ lux est vera) deseruit, quorumq; squalentẽ peruersi cordis obtutum, tetri erroris obscuritas circũsepsit, inseparabilem Trinitatẽ, quam substantiali diuersitate disparem prædicare non dubitant, consequenter honorificentiæ quoq; impari officio impiè dissipare contendant. Et quoniã in ipsam sapientiam peccare conuincuntur, ipsius sapientiæ in eis sermo completur, vt dũ in ipsam peccant, in animas suas peccatũ impietatis admittant. sic namq; dicit ipsa sapientia: Qui autem in me peccant, impiè faciunt in animas suas. Qui me oderunt, diligunt mortẽ. Quomodo enim Dei filium non oderunt, quẽ vnigenitum quidẽ verbis negare non possunt, sed eũ à natura patris inconsiderata peruersitate discernunt? Aut quomodo in animas suas impiè non faciunt, qui Dei vnigenitum filium, Deum scilicet verum, nec glorificare cum patre consentiunt, nec vno eodemq; Sacrificio pariter honorari permittunt? Quibus cum Dei adiutorio (in quantũ series præsen-

Philip. 3. d Hæretici sua malitia excæcati, trinitatem, & substantia & patri veneratione dissipãt.

Prouerb. 8.

Præmittēda quæstio de fide Abrahæ.

præsentis operis capit) breuiter respondentes hanc interrogationem præmittimus, vt dicant, Vtrum eam fidē Deus suæ donarit Ecclesiæ, qua pater noster Abraham Deo credens placuit, & in qua cunctas gentes terræ in suo semine benedicendas accepit? An aliam sibi religionis normam diuinitus profiteantur traditam, vt Patriarcharum & Prophetarum fidem æstiment abdicandam? Et licet ab hac fide (sicut demonstratura est veritas) omnimodis habeantur extranei: Ipsam tamen Ecclesiæ datam dicunt, ipsamq; apud se inuiolatam manere contendunt.

CAPVT III.

Quæstio sacrificij ex patrum fide determinatur. Exod. 3.

DVm ergo inter nos & illos, sacrificij vertitur quæstio, ad illos nobis recurrendum est patres, quos Deus, velut luminaria in mundo, ad institutionem nostram veræ fidei clarificauit indicio, quorum fidem ita dignatus est à se inspiratam ostēdere, vt eorū se Deum inueniatur euidentissime nominare, dicens: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Hoc mihi nomen est sempiternum, & memoriale in generatione & generationem. Cum itaq; nos dicimus, sacrificium non soli patri, sed simul vnum patri filioq; offerri: Illi autem patri soli existimant immolari: In sacrificio patriarcharum, veræ ac Deo placitæ quæramus immolationis indicium. Ab illo itaque nobis est documentorum series inchoanda, in cuius inuenitur semine futura cunctarum gentium benedictio repromissa, dicente Paulo: Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno: Et semini tuo, quod est Christus. Et iterum: Vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret, in Christo Iesu, vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidē. Sit igitur omnino compertum, illos esse benedictionis diuinæ compe-

Promissiones factæ Abrahæ & semini eius Galat. 3. Ibidem.

compotes, & spiritalis gratiæ participes, quos constat fidei Abrahæ in sacrificio reperiri sequaces. In libro Geneseos legimus: Visus est Dominus Deus Abrahæ, & dixit ei: Semini tuo dabo terrā istam. Et ædificauit ibi Abraham altare Domino, qui visus est ei, & recessit inde in montem contra orientem Bethel, & ædificauit ibi altare Domino Deo, & inuocauit in nomine Domini Dei, qui visus est. Eligant nunc Hæretici quod volunt, vt aut patrem fateātur Abrahæ visum, aut certe consentiant ab Abraham filio altare constructum. Altare vero non ob aliud ædificari, nisi ad offerendum sacrificium Deo, veteris testamenti lectio frequenter insinuat. Moyses quippe de Noe iusto sic loquitur: Et ædificauit Noe altare Deo: & tanquam interrogaretur, cuius rei gratia vir iustus illud altare cōstruxerit, secutus adiūxit: Et accepit ab omnibus pecoribus mundis, & ab omnibus volatilibus mūdis, & obtulit hostiā super altare Deo. Claret igitur, sanctū quoq; Abrahā, amicū Dei fidelem, & gentium fideliū patrem, ob hoc Deo, qui ei visus est, ædificasse altare: vt ei posset sacrificiū cōgruæ immolationis offerre. Ne autē, cum in nomine domini Dei dicitur inuocasse, quisquā existimet alterum Deum in nomine Dei alterius inuocatū, cùm non aliud sit, inuocasse in nomine Domini Dei, quàm inuocasse nomen Domini Dei: subsequenter euidenti manifestatione hoc quoque scriptura curauit diuina mōstrare. paulo post enim sic dicitur: Abraham autem erat onustus valde pecoribus, & argēto & auro, & abijt illo, vnde venerat, in desertum vsq; Bethel, ad locū vbi fuerat tabernaculum eius prius, inter Bethel & inter Agge, in locum vbi altare fecerat initio, & inuocauerat ibi Abraham nomē Domini Dei. Cognoscitur itaque, hoc fuisse inuocare in nomine domini Dei, quod est inuocare nomē domini Dei. Quocirca dicāt Hæretici, vtrum

Genes. 12. Abraham constructit altare non soli patri, sed & filio sacrificaturus.

Genes. 8.

Idem est inuocare in nomine Domini quod inuocare nomē Domini. Genes. 13.

Abraham illi deo constructit altare, qui ei visus est.

vtrum patri an filio Abraham existiment construxisse altare? quia, cui altare construxit, ipsius vtique nomen inuocauit. Ipse autem non nisi Deo, qui ei visus est, altare construxit, quem hæretici filium dicere consuerunt. Nitentes quippe patris & filij diuersam docere substantiam, omnes corporearum rerum conspicabiles formas (quas ad insinuandam se hominibus omnipotentissima Deitas, creaturæ totius domina, sicut voluit, & congruere temporalibus locis ac personis nouerat, coaptauit) filio tantummodo existimant deputandas. Inde asserentes, inæqualem patri atque imparem filium, quod eius natura capax mutabilium potuerit esse formarum. Et tanquam eo naturaliter eius diuinitas visibilis fuerit, quo se ad infirmas hominum mentes visibilibus rebus demonstrare non spreuit. De qua re non est nobis hoc opere disputandum, cùm præsentis quæstionis hoc tantũ deposcat intentio, vt quia sanctus Abraham illi Deo sacrificasse cognoscitur, quẽ ei visum fuisse diuina scriptura testatur: aut patrem visum Abrahæ dicant, aut filio Abrahã sacrificasse consentiant. Vtroq; enim tanquã bis acuto gladio, nefariæ diuersitatis obtruncatur assertio: quia si Deum patrem Abrahæ visum dicunt, vt soli sacrificiũ asserant immolatum: In eo quod visus asseritur, non erit tanquam inuisibilis pater inuisibili filio præponendus. Si autẽ filius visus est, & ei sacrificium sanctus patriarcha obtulit: non est patri filius in aliquo præponendus. Neq; enim illi Abraham sacrificium offerret, si potiorẽ illo quemquam aliũ credidisset. Ac sic isti, qui fidẽ nostrã huius impulsu quæstionis existimant quatiendam, vtrobiq; necesse est mendacium suæ credulitatis agnoscant. Et vtinam cognoscentes abijciant, & ad veram fidem (quam inaniter rebelles impugnãt) salubriter humiles pacatiq; iam redeant. Abraham enim qui non alteri Deo,

Inuictum contra hæreticos argumẽtum, ex sacrificio & fide Abrahæ.

Deo, sed ei qui sibi visus est, altare construxit, vt secundum id quod sentiunt Hæretici conuincantur, aut patrem vidit, aut filio sacrificauit.

CAPVT IIII.

Isaac quoque Deo qui ei visus est construxit altare.

HVnc Deum qui visus est Abrahæ, cuiq; Abraham, non vtique ad aliud, quàm ad offerendum sacrificium, ædificauit altare: Isaac quoque vidit, & ei, paternæ fidei tenax, altare construxit. Scriptum est enim de Isaac, (hoc liber Geneseos continet:) Ascendit autem inde ad puteum iuramenti, & visus est ei dominus in illa nocte, & dixit ei: Ego sùm Deus Abraham patris tui, ne timeas, tecum enim sum, & benedicam te, & multiplicabo semen tuum propter Abraham patrem tuum. Et ædificauit ibi Isaac altare, & inuocauit in nomine domini. Procul dubio eius domini, qui ei visus, præsentiæ suæ auxilium, & benedictionis donum, & multiplicandi seminis promisit augmentum. Iacob quoque non alteri Deo, sed illi qui visus est ei, altare feciſſe cognoscitur. Et quod amplius est, non hoc sponte arripuit, sed diuinis obediens præceptis impleuit. Quod his verbis sancta scriptura testatur: Dixit autem Deus ad Iacob, Surgens ascende in locum Bethel, & inhabita ibi, & facibi altare Deo, qui visus est tibi, cum fugeres à facie Esau fratris tui. Et subsequenter dicitur: Venit autem Iacob in Lusa, quæ est in terra Chanaan, quæ est Bethel, ipse & omnis plebs quæ erat cum eo, & ædificauit ibi altare, & vocauit nomẽ lõci illius, Domus Dei, ibi enim apparuit ei Deus, cùm fugeret à facie fratris sui Esau. Ecce in ore duorũ & triũ testiũ verbũ fidei nostri cõsistit: ecce amicorũ Dei sacrificio prorsus ecclesiæ catholicæ concordat oblatio: quæ sic sacrificat patri, vt simul omni sacrificet Trinitati. Quoniã & sancti patriarchæ, sacrificiũ quod filio iubebantur offerre, sciebant se patri simul & filio placitis obsequijs

Genes. 26.

Iacob item eidem Deo altare iussus constrvxit Genes. 36.

Patriarcharũ sacrificia nostris congruũt, quæ fiunt toti trinitati.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quijs exhibere. Idcirco autem eis diuinitus iubebatur, vt filio altare construerent, non quia sacrificãdum non esset patri, sed vt quod immolabatur à sanctis, simul filio immolaretur & patri: Neq; vt præponendus esset patri filius, sed ne putaretur genitori genitus in aliquo postponendus. Proinde licet nulli dubium sit patriarchalis sacrificij testimonio, rectitudinem nostræ fidei communiri (Cui quamdiu obdurato corde quilibet obnitendum existimat, à fide consortióque sanctorum alienus exerrat) possemus & de prophetis testimonia non imparis firmitatis ac roboris innectere: nisi totius reddendi memores debiti, ad reliquarum etiam quæstionum solutionem mallemus quantocius festinare.

CAPVT V.

Aliud testimoniũ ex prophetis, vt filio quoque offeratur sacrificium. Sopho. 3.

VEruntamen ne sub nomine abundantiæ quisquam nos penuriã defensionis existimet obcæcasse: vnum de prophetis testimonium proferemus, quo possit euidenter ostendi, prophetas sanctos diuinitus inspiratos, certo fidelissimóque vaticinio prædixisse, Noui quoque tempore testamenti spiritales hostias, non patri tãtum, sed etiam filio à fidelibus offerendas. Prophetæ testimonium de sacrificio, quod nunc in Ecclesia geritur, Sophonias quippe dicit: Sustine me, dicit dominus, in diem resurrectionis meæ in testimonium, quoniam iudicium meum in congregationem gentium erit, vt recipiam reges, & effundam super eos iram furoris mei, quoniam in igne æmulationis meæ, consummabitur omnis terra, quia tunc transferam super populos linguam in progenies eius, vt inuocent omnes nomen Domini, & seruiant ei sub iugo vno, à transflumine Æthiopiæ suscipiam obseruantes me, qui dispersi sunt, adferent hostias mihi in illo die. Quid hac, rogo, vaticinatione lucidius? vel quod hic tenebrosæ obstinationis latibulũ, hæretica

hæretica potest infidelitas reperire, quo possit lumen tantæ manifestationis effugere? Cùm sic in sole tabernaculum suum posuerit Dominus, vt non sit, qui se abscondat à calore eius. Quoniam si quis se glaciali frigore infidelitatis stupefactus abscondat, sibi propitiationis potest auxilium subtrahere, se autem non potest cælare vindictæ. Ecce ille, qui se expectandum in die resurrectionis suæ præcipit, ipse sibi hostias ab omnibus gentibus offerendas ostendit, vt agnosceretur sacrificium illud esse acceptabile Deo, quod communiter patri & filio supplex offert fidelium puraq; deuotio. His atq; huiusmodi testimonijs Hæretici communiti, vtinam non surdis auribus audiant, sed veritatem fidei, concessa sibi diuinitus inluminatione cognoscant: vt recepto salutari lumine, desinãt deinceps in tenebris mortiferæ infidelitatis errare. Qui cum filio sacrificiũ non offerunt, & à fide patriarcharum ac prophetarum, miserabili obduratione descisc unt: impie delinquentes, sepe ipsos à semetipsis damnatos ostendũt. Apostolica quippe omnem hæreticum tali cognoscitur pronunciatione condemnasse sentẽtia: Quod & hæreticus post primam correptionẽ sit omnimodis euitandus, eo quòd eiusmodi non solum sit subuersus, verumetiam suo sit iudicio condemnatus. Si qui verò catholici fideles, huius sacramenti nunc vsq; videbantur ignari, deinceps scire debent omne cuiuslibet honorificentiæ & sacrificij salutaris obsequium, & patri & filio & spiritui sancto, hoc est, sanctæ Trinitati, ab Ecclesia Catholica pariter exhiberi: In cuius vtiq; vno nomine manifestum est sanctum quoque baptisma celebrari. Neque enim præiudicium filio vel sancto spiritui comparatur, dum ad patris personam præcatio ab offerente dirigitur. Cuius consummatio, dum filij & spiritussancti complectitur nomen, ostendit nullum esse in Trinitate discrimen.

Psalm. 18.

Obduratio hęreticorũ qui filio nõ sacrificant.

Titum 3. c

Catholici toti offerũt trinitati, etiã si solius patris nomen exprimatur.

Quia dum ad solius patris personam honoris sermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur. Et cum ad patrem litantis destinatur intentio, sacrificij munus omni trinitati vno eodemq; offertur litantis officio. Nos itaque, dum trinitati, quæ vnus & verus est Deus, vnum sacrificium offerimus: vanis hæreticorũ non moueamur obiectis: Cùm ad hoc sequendum, ac robustissime retinendum, & diuinitus promulgatis instruamur oraculis, & præcedentium sanctorum firmemur exemplis.

CAPVT VI.

Tertia quæstio Monimi, cur in sacrificijs solius spiritus missio postuletur.

IAm nunc etiã illa nobis est de Spiritus sancti missione quæstio reuoluenda. Cur scilicet, si omni trinitati sacrificium offertur: ad sacrificandum oblationis nostræ munus, sancti spiritus tantum missio postuletur. Quasi vero (vt ita dicam) ipse pater Deus, à quo spiritus sanctus procedit, sacrificium sibi oblatum sanctificare non possit, aut ipse filius sanctificare nequeat Sacrificium Corporis sui, quod offerimus nos, cùm Corpus suum ipse sanctificauerit, quod obtulit, vt redimeret nos. Aut ita spiritus sanctus ad consecrandum ecclesiæ Sacrificium mittendus sit, tanquam pater aut filius sacrificantibus desit. Primò itaq; meminisse nos conuenit, in huius vocabulo missionis nec inferiorem accipi debere sanctum spiritum nec minorem: quia si minor, itaq; inferior: & si inferior, vtiq; minor. Hoc autem præmonuimus, scientes ab hæreticis quàm maxime fidei nostræ frequenter obiectum, ideo spiritum sanctum minorem credendum patre & filio, quia & à patre missus est & à filio. Porro autem si misso mittens potior est credendus, cognoscant in hoc suam conuinci perfidiã, quia sicut à patre & filio missus legitur spiritus sanctus: sic à patre & spiritu missus inuenitur & filius. Quod ipse filius & per prophetam, multo antequã mitteretur, dixit:

Non ideo minor est spiritus sanctus quod missus est à patre & filio, quia & filius missus est.

dixit: Et postquam missus est, propria testificatione firmauit. Nam veniens in Nazareth, & synagogam ingressus, cùm tradito sibi ad legendum libro Esaiæ prophetæ, illum locum reuolueret, vbi scriptũ est: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euãgelizare pauperibus misit me: Reddito volumine, veritatẽ prophetiæ illius præsenti testatus est effectu completam dicẽs: Hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. Sed & alio eiusdem prophetæ loco, à domino atque ab eius spiritu se missum his verbis ostendit. Et nunc Dominus misit me, & spiritus eius. A se quoque sanctum spiritũ mitti discipulis, ante passionem suam hoc modo pronuntiat: Cùm autem venerit paracletus quem ego mittam vobis spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Superius autem eundem spiritũ etiam à patre mitti docuerat. Paracletus autem, inquiens, spiritus sanctus, quem mittit pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. A patre ergo & à spiritu missus est filius, & à patre & filio missus est spiritus. Veruntamẽ nec filij, nec Spiritus sancti missionem localiter factam quisquam debet Christianus accipere: sed illo missionis nomine, opus intelligamus manifestationis indultæ. Sic enim non localiter missus est filius, nec localiter mittitur spiritus sanctus: sicut nec ipsius patris est quoq; localis aduẽtus. Cùm tamẽ filius dilectoribus suis nõ tantũ suum, sed & patris promittat aduentũ, ait enim: Si quis diligit me, sermonẽ meũ seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Sicut ergo pater & filius nusquã quidem desunt, & tamen ad quem volunt, veniunt (per gratiam enim veniũt, qui per potentiam nusquã desunt:) sic etiam in missione vel aduentu spiritus sancti nullus localis illius accipiẽdus est motus, sed nostræ credẽdus est sanctificationis effectus.

Luc. 4. d.

Esa. 48. e

Ioan. 15.

Ioan. 14

Missio filij & spiritus sancti non est localiter facta.

Scriptura docet immensitatem, non solum patris, sed & filij, & spiritus sancti.

Nam si localiter secundum Deitatem missus est filius, aut localiter mitti putatur spiritus sanctus: ergo etiam Deus pater loco (quod absit) credetur inclusus. Et vbi est, quod immensitatem suam Deus ipse taliter nobis insinuat dicens: Cælum & terram ego impleo? filij quoque immensitatem propheticus nobis sermo comendat.

Hiere. 23. Baruch 3. *De quo sanctus Hieremias sic loquitur: Magnus est, & nō habet finem: excelsus & immensus. Et quia ipse*

Sapient. 8. *est virtus & sapientia Dei, de ipso vtique dicitur: Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Apostolica quoque tenemus prædicatione*

Coloss. 1. *compertum, quia in Christo condita sunt vniuersa in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, sine principatus, siue potestates. Omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Quid ergo est, quod implere sua præsentia nequeat, in quo Apostolus vniuersa in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia constare pronunciat? Sancti quoque spiritus immensitatem scriptura sic loquitur:*

Sapient. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarū. Propter quod & Dauid sanctæ Trinitatis vnā substantialiter immensitatem non solum corde credens ad iustitiam, quinetiam ore confitens ad salutem, sic cecinit:*

Psalm. 138 *Quo ibo à spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es, & si descendero in infernum, ades. Et si adsumpsero pennas meas ante lucē, & habitauero in nouissimo maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.*

CAPVT VII.

Tota trinitas vbique est.

CVm ergo, sicut diximus, tota Trinitas vnitate Deitatis suæ naturaliter immensa infinitaque permaneat, & sic localiter nusquam sit vt tamē nusquam desit, atque ita sit vbique tota, vt nec per partes creaturæ totius

totius particulariter diuidi, nec vniuersitate totius possit creaturæ concludi: quotiens Spiritus sanctus ad consecrandum Sacrificium à patre poscitur, prima est fidei ratio, primáque cunctis Christianis salubriter retinenda cautela, vt sancti spiritus nullatenus localis cogitetur aut existimetur aduentus. Fidelibus quippe dicit Apostolus: Nescitis, quia templum Dei estis, & spi- 1. Cor. 3. c
ritus Dei habitat in vobis? Et alio loco: Orantes omni Ephes. 6. c
tempore in spiritu, & in ipso vigilantes. Et ipse Saluator discipulis suis dicit: Si diligitis me, mādata mea Ioan. 14. b
seruate, & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis: vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Vnde & Paulus eundem nos spiritum adoptionis accepisse sic prædicat: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in Roman. 8. c
timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Fidelibus itaque, qui templum Dei sunt, & in quibus spiritus Dei inhabitat, imò qui templum sunt spiritus sancti (sicut Apostolus 1. Corint. 3
dicit, Nescitis, quia membra vestra templum est spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo. Quibus etiam idem Apostolus mandat, vt in ipso orent, atque in ipso vigilent) quomodo spiritus sanctus, tāquam ante absens mitti creditur? cùm nec orare condignè ac vigilare aliquis possit, nisi se illi spiritus sanctus infuderit. Quocirca, sicut dicit Apostolus, spiritalibus spiri- 1. Corint 2
talia comparantes, & in spiritu, qui vtique naturaliter Nomine spiritus quandoque spiritalia dona gratiæ significatur.
Deus est, nihil corporale, nihil locale, nihil temporale, nihil mutabile cogitantes: considerare debemus, nomine Spiritus sancti nonnunquā dona spiritalis gratiæ nuncupari. Nam legimus in libro Regum, Cùm esset Helias diuino munere transferēdus, & discipulo, priusquā 4. Regum 2

tolleretur, dedisset fiduciam postulandi quod vellet, ille spiritum, quem Helias acceperat, duplicem sibi postulauit attribui. Vbi vtiq; intelligimus spiritus nomine, donũ spiritalis gratiæ designari. Neq; enim substantia spiritus sancti potest vel augeri vel minui: qui sicut est sine initio & sine termino sempiternus, sic est sine augmento detrimentoq; perfectus.

CAPVT VIII.

Dona spiritus sancti in nobis augeri vel minui possunt non ipse spiritus. Gal. 5. 1. Cor. 12.

CVius tamen dona, secundum ipsius inperscrutabilem atq; inreprehensibilem volũtatem, sicut in hominibus posse augeri credimus, sic in eis posse minui nõ negamus. Nam cùm dona sunt Spiritus sancti, charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, continẽtia: & cùm alij detur per spiritum sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundũ eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu: hæc tamen omnia possunt in hominibus & augeri & minui. Vnde est illud, quod ipsi Apostoli augmẽtum fidei sibi à Domino postulant cõdonari, dicentes: Domine auge nobis fidẽ. In charitate quoq; nos crescere, ipse beatus demonstrat Apostolus, qui ait: Veritatem autem facientes, in charitate crescamus, in illo per omnia. Quomodo autẽ in charitate crescimus, nisi cùm per dona gratiæ spiritalis crementũ accipimus charitatis? Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritũ sanctum, qui datus est nobis. Hoc sentitur & de cæteris spiritalibus donis, quæ pro vniuscuiusq; captu vel augeri vel minui dicuntur in nobis. Quoniam taliũ crementa detrimentaq; charismatũ, secundum id dicuntur, quod quibusdam seu plus seu minus insunt: Nõ quod in se vel augeri vel minui possunt. Nam & sol tatus est cùm videtur ab oculis sanis, quantus, cùm videtur à saucijs: nec ipse minuitur, cùm minus ab oculis turbatis percipitur: nec augetur, cũ amplius oculis sanis infunditur. Quia diuersitas illa visionis nõ ex diuersitate solis euenit, sed in diuersitate sanitatis infirmitatisq; consistit. Et quãuis vnum minus, alterum magis inluminet: ipse tamen vnum atq; idem in se lumen habet, quod vnus minus, alter amplius videt. Sic etiam spiritu sancto, in se sine augmento ac detrimento immutabiliter permanente: duplicem sibi Heliseus spiritum poposcit, in eo, quod augmentum spiritalis gratiæ postulauit.

Luc. 17.

Ephes. 4.

Rom. 5. a

Sicut idem sol pius minusque diuersa illuminat, ita ẽ idem spiritus à diuersis diuersimode recipitur.

CAPVT IX.

CVm ergo Sancti spiritus ad sanctificandum, totius ecclesiæ Sacrificiũ postulatur aduentus, nihil aliud postulari mihi videtur, nisi vt per gratiam spiritalẽ in corpore Christi (quod est Ecclesia) charitatis vnitas iugiter indisrupta seruetur. Hæc est enim principale spiritus sancti donum, sine qua quisquis linguis hominum angelorumq; loquitur, velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, sonum dare potest, vitam habere nõ potest. Et si habeat omnẽ prophetiam, & nouerit mysteria omnia & omnẽ sciẽtiam, & si habeat omnem fidẽ, ita vt montes transferat, charitatem autẽ nõ habeat, nihil est. Etsi distribuerit in cibos pauperum omnes facultates suas, & tradiderit corpus suum vt ardeat, charitatẽ autem non habeat, nihil ei prodest. Nam quia legẽ dicit Apostolus ordinatã per angelos in manu mediatoris, linguis loquuti sunt angelorum, qui in ore quæ legis sunt docebant, & aduersus legem prauis operibus militabãt. De quibus ipse Saluator dicit: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. dicunt enim & non faciunt. Saul quoque prophetiam habuit, & Simon Magus credidit, & baptismi sacramentum accepit. Nam & dæmones, dum credunt & contremiscunt, videntur habere fidem: sed nihil eis prodest, quia non habent charitatem. Multi etiam facultates suas pauperibus erogantes, quia non curauerunt acquirendæ

1. Cor. 13.

Galat. 3. Qui dicuntur loqui linguis angelorũ? qui legem docent & nõ faciunt. Matt. 23.

charitatis studium impendere: res quidem suas donauerunt, quod ideo nihil eis profuit, quia seipsos perdiderunt, non acquirendo charitatem, quam acquirere debuerunt. His igitur demonstratur indicijs, ibi esse Spiritum sanctum, vbi est finis præcepti: hoc est, charitas de puro corde, & conscientia bona, & fide non ficta.

Vbi charitas ibi spiritus sanctus.

1. Timot. 1. Vbi autem cum fide charitas non est, quæcunque dona spiritus sancti esse posse, ipsum vero spiritum sanctum esse non posse, ac per hoc, nihil prodesse illorum donorum largitatem, vbi sic aliquod donum spiritus habetur, vt

Ephes. 1. a. c ipse spiritus non habeatur. Proinde tales, etsi videntur quorumlibet paternorum donorum participes, non tamen sunt hæreditatis paternæ consortes: quoniã Spiritus sanctus est pignus hæreditatis nostræ. Et in hoc nos Deus & pater Domini nostri Iesu Christi benedixit in omni benedictione spiritali, in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem: vt essemus sancti & immaculati in conspectu ipsius in charitate.

CAPVT X.

Recte igitur in sacrificio poscit ecclesia aduẽtum spiritus sancti.

DVm itaque Ecclesia spiritum sanctum sibi cælitus postulat mitti, donũ sibi charitatis & vnanimitatis postulat à Deo conferri. Quando autem congruentius quàm ad consecrandum Sacrificiũ Corporis Christi, sancta Ecclesia (quæ corpus est Christi) spiritus sancti deposcat aduentum? quæ ipsum caput suum secundum carnem de spiritu sancto nouerit natum. Sic enim

Lucæ 1. angelico Mariæ informatur eloquio: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: Ideóque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Euangelista quoque Matthæus, eodẽ spiritu sancto repletus, adfirmat, quia cùm desponsata esset mater eius Maria Ioseph, priusquam conuenirent, inuenta est in vtero habens de spiritu sancto. Et ad Ioseph sic

sic memorat angelum in somnis dixisse: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuã: quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Quid vero est illius Incarnationis dominicæ mysterio factum, nisi vt diuisa vnirentur, & discordantia pacarentur? Testis est enim Paulus de Christo, Quia ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum: & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans: vt duos condat in semetipsum in vnum nouum hominem faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso, & veniens euangelizauit pacem his qui longe, & pacẽ his qui prope, quia in ipso habemus ambo accessum in vno spiritu ad patrem. Hoc ergo factum est charitate diuina, vt ex ipso spiritu corpus illius capitis esset renatum, de quo ipsum caput est natum. Et ob hoc necessarium nobis est, vt sicut ex spiritu sancto natus est Christus, quando Deus vnigenitus in vtero virginis, vnitus homini suo tanquã sponsus processit de Thalamo suo: sic ecclesia dono spiritus sancti adhæreat Christo, tanquam mulier viro suo, & tanquam corpus capiti suo. Dicit enim Apostolus: Quia Christus caput est Ecclesiæ, ipse saluator corporis. Et iterum: Quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius: propter hoc relinquet homo patrem & matrẽ suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carnem vnam. Quod exponens adiecit, sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Hoc testimonium veteris testamẽti, cùm Dominus aduersus Pharisæorum tentamenta proferret, secutus adiunxit: Igitur iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus iunxit, homo non separet. Vt ergo in illo sancto connubio, quod factum est in thalamo vteri virginalis, iã non essent duo, sed vna caro: spiritali

Christi incarnatione nobis pax & vnitas cũ Deo est. Ephes. 2.

Per Spiritũ sanctum & Christus natus est & ecclesia renata.

Ephes. 5.

Ibidem. Et erũt duo in carne vna, Christus & ecclesia.

Matt. 19. a

Universidad de Deusto
Biblioteca

gratia factum est. Hoc etiam vt indisruptum iugiter teneatur, spiritalis gratia operatur: quia vt capiti suo inhæreat hæc vnitas corporis, & vt sciens, quia omnes qui se elongant ab ipso, peribunt, & quia perdet omnes qui fornicantur ab eo: possit ipsa castè ac suauiter dicere, Mihi autem adhærere Deo bonum est. Et rursus: Adhæsit anima mea post te. Illa charitas Dei facit, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctum, qui datus est nobis. Per hunc Spiritum sanctum tantæ est vnitas Christi & Ecclesiæ. Et cùm electionis vas dicat, Quia Christus caput est corporis Ecclesiæ: ipsum tamen corpus Christi non * dubitet Christũ veraciter appellare. Denique sic ait ad Corinthios scribens: Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum est corpus: ita & Christus. Et vt ostenderet, quia hoc corpus quod sic est Christi, vt Christus sit, cùm multa membra habeat, non nisi gratia sancti spiritus vnum permaneat atque consistat, sequitur statim dicens: Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue gentiles, siue serui, siue liberi. Et omnes vnum spiritum potauimus. Ipsa ergo gratia spiritalis per vnitatem pacis & charitatem, corpus Christi per dies singulos ædificare nõ desinit, quæ in vtero Mariæ virginis donum sapientiæ, quod est caput huius corporis, fabricauit. Vnde nos quoq; in ipso ædificari Beatus Apostolus his verbis ostẽdit: Ergo iam nõ estis hospites & aduenæ: sed estis ciues sanctorum & domestici Dei, superædificati supra fundamentũ Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino: In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu. Hanc ædificationem, qua in spiritu ædificamur, alio loco non ad aliud

Per spiritũ sanctũ vnitas est Christi & ecclesiæ.

Psal. 72.

Psal. 61.

Rom. 5.

Colos. 1.

* dubitat

1. Cor. 12. b

Per spiritũ sanctũ nos ædificamur in Christo templũ sanctum in domino.

Ephes. 2.

aliud fieri testatur Apostolus, nisi ad cõsummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Vbi vnitatem eiusdem ædificationis spiritalis, quæ in charitate constat, insinuans ait: Donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensurã ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in æstutia ad circumuentionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iunctũram submin istrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.

Ephes. 4. d

CAPVT XI.

HÆc itaque spiritalis ædificatio corporis Christi, quæ fit in charitate, (cùm scilicet secundum Beati Petri sermonem, lapides viui ædificantur in domum spiritalem, in sacerdotium sanctum, offerentes spiritales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christũ:) Hæc inquam ædificatio spiritalis, nunquam oportunius petitur, quam cùm ab ipso Christi corpore (quod est ecclesia) in sacramento panis & calicis, ipsum Christi Corpus & Sanguis offertur. Calix enim quem bibimus, communicatio Sanguinis Christi est: & panis quem frangimus, participatio corporis Domini est. Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnesque de vno pane participamur. Et propterea petimus, vt scilicet ea gratia, qua factum est, vt Ecclesia Christi corpus fieret: eadem gratia fiat, vt omnia membra charitatis manente compage, in vnitate corporis perseuerent. Hoc autem dignè petimus illius in nobis dono spiritus fieri, qui est vnus spiritus & patris & fi-

1. Pet. 2. a

Hæc ædificatio spiritalis rectissime petitur, quando panis & calix cõsecratur. 1. Cor. 10.

Sanctificatio tamen nostra à tota sit trinitate.

& filij. Quia sancta naturalis vnitas & æqualitas & charitas Trinitatis, quæ vnus solus & verus est Deus, vnanimitate sanctificat, quos adoptat. In illa quippe vna substantia Trinitatis, vnitas est in origine, æqualitas in prole, in charitate autem vnitatis æqualitatisq; communio, nulla est diuisio illius vnitatis, nulla diuersitas illius æqualitatis, nullum fastidium illius charitatis. Ibi enim nihil discrepat, quia æqualitas chara & vna, & vnitas æqualis & chara, & charitas æqualis atq; vna, naturaliter & incommutabiliter perseuerat. Quia igitur ex ipsa (si dicendum est) communione Spiritus sancti, charitas vna demõstratur patris & filij, (quam cõmunionem B. Apostolus tali sermone commendat: Gratia domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & cõmunicatio Spiritus sancti sit cũ omnibus vobis. Et alio loco: Si quod solatium charitatis, si qua cõmunicatio spiritus) propter hoc dicitur, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritũ sanctũ, qui datus est nobis. Spiritus quippe sanctus, qui vnus est patris & filij, hoc operatur in his quibus gratiã tribuit adoptionis diuinæ, quod operatus est etiã in illis, qui in libro Actuum Apostolorum inueniuntur eundem spiritum accepisse. De quibus dicitur: Multitudinis autem credentium erat cor & anima vna: vnum enim cor & animam fecerat multitudinis credentiũ in Deo qui patris & filij vnus est spiritus, & cum patre ac filio vnus est Deus. Unde & Apostolus hanc spiritalem vnitatem in vinculo pacis, sollicite dicit esse seruandum: sic Ephesios monens: Obsecro itaq; vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cũ omni humilitate & mansuetudine, cũ patientia, supportantes inuicem in charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: vnum corpus & vnus spiritus. Hunc spiritũ discedendo amittunt, si qui aut perfidia

2. Cor. vlt.

Philip. 2.

Rom. 5.

Act. 4.

Ephes. 4. a

perfidia deprauati, aut superbia inflati, ab vnitate corporis ecclesiæ segregãtur. Quos Iudas Apost. ne hoc spiritu euidenter ostendit, dicens: Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Hi enim quia animales sunt, ideo spiritum non habent. Propter quod Paulus Apostolus dicit: Animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei. Tales itaq; faciles sunt ad diuisionem, quia spiritũ non habent, in quo vno, membra Christi charam seruant spiritaliter vnitatẽ. Vnde manifestum est, apud omnes Hæreticos spiritus sancti gratiam non esse, nec eorum sacrificia quamdiu hæretici sunt, posse Deo placere: neq; spiritalis gratiæ sanctificationem sacrificijs eorum tribui, qui offerunt ab ecclesiastici corporis vnitate disiuncti. Solius enim Ecclesiæ Deus delectatur sacrificijs, quam sacrificiũ Deo facit vnitas spiritalis, vbi & fidei veritas nullam credit in Trinitate distantiam, & pacis tenacitas fraternam seruat in charitate concordiam.

Qui ab vnitate ecclesię recedũt, spiritum sanctum amittunt.

CAPVT XII.

NE quis autem nos putet, dum Ecclesia in sacrificij prece Spiritus sancti deposcit aduentum, incongruè sancti spiritus vocabulo charitatem intelligere, quæ diffusa est in cordibus nostris, per spiritũ sanctum, qui datus est nobis: commodum duximus, paternis definitionem nostram præmunire sententijs. Sanctus enim Augustinus in libris de baptismo, cùm quæstionem de Hæreticorum receptione sine baptismatis iteratione versaret, in tertio eiusdem operis libro, inter alia sic dicit: Spiritus autem sanctus, quod in sola catholica ecclesia, per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi maiores nostri voluerunt, quod Apostolus ait: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ipsa est enim charitas, quam non habent, qui ab ecclesiæ catholicæ

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritũ sanctum.

Augustin. lib. 3. de Baptismo cap. 16

Rom. 5. a

licæ communione præcisi sunt. Attende quæso, beatissimum Augustinum in sanctis scripturis diuinitus eruditum, quomodo vno in loco non solum sancti Apostoli Pauli, sed etiam sancti Iudæ apostoli sensum, in sancti spiritus nomine, mirabiliter aperuit. Ait enim superius: Spiritus autem sanctus, quod in sola catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi Maiores nostri voluerunt, quod Apostolus ait: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Subsequẽter autem etiam, quod Iudas Apostolus in epistola sua posuit, remoto dubitationis ambiguo, sanctus Augustinus exposuit. Iudas enim Apostolus dicit: Hi sunt qui segregant semetipsos animales, spiritum non habentes. Et Beatus Augustinus de charitate Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis, dicit: Ipsa est enim charitas, quam non habent qui ab ecclesiæ catholicæ communione præcisi sunt. An quisquam dicturus est, aliud esse spiritum sanctum per manus impositionem redeuntibus hæreticis dari, quàm spiritali sacrificio diuinitus tribui? Hoc autẽ qui sentit, aut dicit, profecto nondũ intelligit, qualiter semetipsos exhibeant hostiã viuam, sanctam, Deo placentẽ, si qui schismaticorum & hæreticorũ, mortiferum relinquẽtes errorem, ad catholicæ veritatis redeunt vnitatem: vbi offerentes sacrificium Deo spiritum contribulatum, ipsi sunt hostia viua, sancta, placens Deo. Quia per cõtritionem humiliati cordis in vnitatem membrorũ redeũt illius sacerdotis, qui dilexit nos, sicut dicit Apostolus: Et obtulit semetipsum pro nobis oblationem & hostiã Deo in odorem suauitatis. Vt autem redeant, & spirituale sacrificium fiant, charitas Dei facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Solius itaque catholicæ veritatis & communionis

Qui ad vnitatem ecclesiæ redeũt, exhibent se hostiam viuam Deo placentem.

Ephes. 5.

nionis sacrificium Deus libenter accipit: quia dũ charitatem suam per spiritum sanctũ diffusam, in ea custodit, ipsam ecclesiam sibi gratum sacrificium facit, quæ ipsam semper poscit gratiam spiritalis charitatis accipere, per quam se poscit hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, iugiter exhibere.

CAPVT XIII.

Quarta quæstio Monimi, de supererogatione Pauli Apostoli.

SCribis præterea de illo Apostoli loco, vbi ait: De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Quod consilium in epistola, quã ad te nuper scripsi, ad illud pertinere memoraui, quod duobus denarijs à domino acceptis, fidelis stabularius supererogauit. Cuius loci sensum, licet non ita à sancto Augustino positum asseras: alios tamen illustres viros taliter hoc posuisse confirmas. Est quidem verum, quia sanctus Augustinus hoc dixit ab Apostolo supererogatum, quod cùm secundũ præceptum posset, si vellet, de euangelio viuere, malùit tamen non solũ sibi, sed & his qui cum illo erant, propriis manibus laborare. Sicut Ephesijs veraciter dixit: Ipsi scitis, quomodo ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecũ sunt, ministrauerũt manus istæ. Et omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos. Nam & Thessalonicensibus scribens: Memores enim estis fratres laborem nostrum & fatigationem, nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus. Nam & ad Corinthios hanc dicit mercedem suam, vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponat euangelium, vt non abutatur potestate sua in euangelio. Cùm ergo hoc sanctus Augustinus competenter & congruè posuisset, non tamen incompetens videri aut incongruum debet, quod sanctus Ambrosius beati Pauli supererogationem vel in sermonibus atque epistolis eius, vel in nimio labore mentis & corporis conlocauit. Sanctus autem Optatus Mileuitanus, in sexto

Luc. 10.

Act. 20.

1. Thess. 2. 2. Thess. 3.

1. Cor. 9.

Expositio beati Ambrosij. lib. 7. in Lucam.

Expositio beati Optati ante medium libri sexti.

in sexto aduersus Parmenianum libro, consilium de Virginibus Paulum supererogasse testatur his verbis: Virginitas enim voluntatis res est, nõ necessitatis. Denique stabularius ille Apostolus Paulus, cui confossus peccatorum vulneribas populus commendatus est, duos denarios quos erogaret, acceperat: duo scilicet testamenta. Hæc per doctrinam quasi sumptus impendit: Docuit quomodo coniugales Christiani debeãt viuere: à quo cùm quæreretur, quid de virginibus præciperet, respondit, sibi de virginibus nihil esse mandatum. Confessus est, se duo testamenta, hoc est, duos denarios erogasse. Expliciti erant quodammodo sumptus, sed qui saucium commendauerat, promiserat se redditurum, quicquid in cura amplius erogasset post impensos duos denarios. Non præcepta, sed consilium erogat Paulus ad virginitatem. Nec impedimento est volentibus, nec nolentes impellit aut cogit.

CAPVT XIIII.

Ecce vnus locus apostoli à tribus sanctis tripliciter est expositus.

CVm itaque hic beati Apostoli locus tripertito sit modo à tribus, quos nominauimus, viris sanctis expositus: quisquis vnum modum ex his tribus posuerit, à veritate vtique non dissentit. Neque enim necesse est, vt quod multipliciter intelligitur, in omnibus scriptis multipliciter inseratur. Nam & ipsi sancti, quorum ministerio Deus scripturarum suarum dignatus est aperire secreta, dixerunt pleraque non vno modo tantum, sed multipliciter, sine offensione dũtaxat veræ fidei non indecenter intelligi. Sicut ipse beatus Augustinus in mysterio arcæ Noe fecisse cognoscitur aduersus Faustum. Namque Manichæo adserente, in libris veteris testamenti, nihil de Christi in carne vera futuro aduentu propheticè contineri, ostendens idem beatissimus Augustinus nostram veterem scripturam pro-

Quin etiã idem locus ab vno doctore diuersimode reperitur expositus.

pheticis de Christo significationibus plenam, & ob hoc diuinitus inspiratã, sic inter cætera illud exponit. Quod memoratam arcã bicameratam & tricameratã Deus imperat construendam, vt in libro de Ciuitate Dei quinto decimo, duobus alijs modis eiusdem loci mysticam explanationem, non doctis humanæ sapientiæ verbis, sed vere (sicut Apostolus dicit) in doctrina spiritus, non minus dulciter quàm mirabiliter explicaret: quod vt facilius agnoscatur, vtriusque operis, sicut ab eo posita sunt, verba subnectam. Igitur aduersus Faustum posuit hæc: Quod inferiora Arcæ bicamerata & tricamerata construuntur, sicut ex omnibus gentibus, vel bipertitam multitudinem congregat Ecclesia, propter circuncisionem & præputium: vel tripertitam propter tres filios Noe, quorũ progenie repletus est orbis. In quinto decimo autem libro de Ciuitate Dei, memoratæ Arcæ pro loci oportunitate aggressus exponere sacramentum, post aliqua, in hoc quod dicitur bicameratam & tricameratam arcam Noe debere construi, illius expositionis, quæ in libris aduersus Faustum Manichæum continetur, indidit mentionem, hæc subsequenter adijciens: Et fieri quidem potest, vt & nobis quispiam & alius alio exponat hæc aptius: Dum tamen ea quæ dicuntur, ad hanc, de qua loquimur, Dei ciuitatem in hoc seculo maligno, tanquam in diluuio peregrinantem, omnia referantur, si ab eius sensu, qui ista conscripsit, non vult longe aberrare, qui exponit. Exempli gratia: Velut si quispiam, quod hic scriptum est, inferiora bicamerata & tricamerata facies eam, non quod ego in illo opere dixi, velit intelligi, quia ex omnibus gentibus Ecclesia congregatur, bicameratam dictam, propter duo genera hominum, Circũcisionem scilicet & præputium: quos Apostolus & alio modo dicit, Judæos & Græcos. Tricameratam verò, eo quod omnes gentes de tribus filijs Noe,

Lib. 12. cap. 16. Varia Augustini expositio de arca Noe.

De ciuitate Dei lib. 15. cap. 26.

Gal. 3. d.

lijs Noe, post diluuium reparatæ sunt: Sed aliud dicat aliquis, quod à fidei regula non sit alienum. Nam quoniam non * sólas in inferioribus mansiones habere Arcam voluit, verumetiam in superioribus, & hæc dixit bicamerata: & in superioribus superiorum, & hæc appellauit tricamerata: vt ab imo sursum versus tertia consurgeret habitatio. Possunt hic intelligi & tria illa, quæ commendat Apostolus, fides, spes, charitas. Possunt etiam multo conuenientius tres illæ vbertates Euangelicæ, tricena, sexagena, centena: vt in infimo habitet pudicitia coniugalis, suprà vidualis, atq; hac superior virginalis: Et si quid aliud secundum fidem ciuitatis huius intelligi et dici potest. Hoc etiã de cæteris, quæ hic exponenda sunt dixerim: quia etsi non vno differuntur modo, ad vnam tamen catholicæ fidei concordiam reuocanda sunt. Rursus idem beatus Augustinus in libro primo de Trinitate, asserit vtile esse, plures libros à pluribus fieri diuerso stylo, non diuersa fide, etiam de quæstionibus eisdem: vt ad plurimos res ipsa perueniat, ad alios sic, ad alios autem sic. Si ergo illa, quæ de arca Noe beatus Augustinus vno loco duobus posuit modis, à duobus hominibus singula assumpta singulis ponantur in locis: Nónne vterque dignè tenax pronuntiabitur veritatis? si tamen sic vterq; vnum harum suis inditum dictis videatur adstruere, vt illud, quod aliter in suis dictis æquè veritati cõgruum ponit, magis pacatus approbet, quàm contentiosus impugnet.

* solum.

1.Cor.13 d

Capite 3. Vtile est diuersos circa vnum sensus allegare, sed non diuersã fide

CAPVT XV.

Quocirca charissime, licet ille sensus, qui à me positus est, forsitan in sancti Augustini dictis nõ inueniatur: In sancti Optati tamen libris (sicut ipse mecum nostri) apertissime positus inuenitur. Nec tuã prudentiam latet eorum, quæ à sanctis patribus, qui fidei catholicæ rectam in doctrina sancti spiritus regulã defenderunt, diuersis modis, vel in expositionibus, vel in defensionibus suis inueniuntur posita, quicquid à nobis ponatur, ita nos illius loci adstruere veritati cõgruum sensum, vt alijs patrum sententijs æquè veritati congruis non denegemus assensum. Neq; enim à veritate receditur, si in hac supererogatione Apostoli, siue quod sanctus Ambrosius, seu quod sanctus Augustinus, siue quod sanctus Optatus senserunt, à nobis quoque salua veritate fidei sentiatur. Quoniam si dignè creditur, duobus denarijs acceptis, aliquid supererogasse Paulum, in eo quod proprij laboris sumptu Euãgelium prædicans, stipendium sibi debitum à fidelibus non exegit: Dignè etiam supererogasse aliquid creditur, in eo quod de Virginibus præceptum Domini non habuit, sed consilium dedit. Vtrunq; sine dubio illo habens largiente, à quo nisi accepisset, supererogare non posset.

Responsio ad quæstionem Monimi de supererogatione Pauli.

B. FVLGENTII AD MONIMVM LIBER TERTIVS,

de vera expositione illius dicti euangelici: Et verbum erat apud Deum.

CAPVT I.

Quotiens, dilectissime Monime, à Christi famulis virtus consideratur ac perpenditur charitatis, nõ minus inuenitur mirabilis quàm suauis. Quis enim eam non miretur? aut quis non admodum delectetur? cuius sarcina cùm portatur, non fatigatione animum debilitat, sed alacritate confortat. Ipsa enim cùm onerat, subleuat:

Laus charitatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

leuat: & miro modo, quem onerat, non permittit comprimi: quem subleuat, non sinit extolli. Hæc, me tibi præteritum debitum, cum Domini adiutorio, persoluentem, rursus efficit debitorem. Iam enim de quatuor quæstionibus, quas mihi miseras pertractandas, illo adiuuante, qui sapientiam præstat paruulis, duos libros absolueram, cupiens tibi reddere quod debebam. Sic repente cuiusdam assertionis Arrianæ meas aures perstrinxit opinio: quæ tanto magis inutilis est adinuentione genita, quanto magis reperitur ab omni intellectu, non solum diuinarum scripturarum, sed etiam ipsius humanitatis externa. Comperi quippe quandam eos de initio Euangelij secundum Ioannem, insolitam nunc serere quæstionem: vt illud quod dictum est, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, ita intelligendum atque exponendum putent: vt id ipsum verbum apud patrem esse, nõ in patre esse, sed extra patrem esse accipiendum existiment. Ita vt quidam eorum (quantum auditu comperi) dum de his duabus præpositionibus, hoc est, In & Apud, inter eos oriretur quodam die conflictus, accepto cuiusdam Birro, & manibus retento, interrogasset an in illo esset cùm apud illum esset Birrus ille, quem ipse retineret: Atque * hunc suam quasi sententiam firmaturus, hac sermonem suum definitione clausisset: cùm aliquid in nobis esse dicitur, intra nos intelligendum: dum vero apud nos esse dicitur, extra nos accipiẽdum. Et quia Birrus ille, quem ipse retinebat, sic apud illũ esset, vt in illo non esset, ac per hoc, ex eo quod apud illum esset, non tamen in illo esset, extra illum non intra illum esset: eodem modo Verbũ quoq; Dei (quod Deus est) credendum quidem apud patrem esse, non in patre esse, Et ob hoc nec vnius esse cum patre substantiæ. Quoniam quicquid sic apud aliquem est vt in illo non sit, pro-

Argumentum tertij libri contra Arrianos super illo dicto, Et verbum erat apud Deũ.

Arriani putant aliud esse, Apud Deum, quã In Deo.

* hinc

sit, profecto sic apud illum est, vt vnius cum eo substantiæ esse non possit. Hæc est eorum ratiocinatio, rationi contraria: hæc legalis disputatio, legi Dei intolerabiliter inimica.

CAPVT II.

HInc donante Christo aliquid scribere, meus excitatus est animus, ne virulentis sermonibus, paruulorum perturbetur auditus. Pertinet enim ad nostræ seruitutis officium, aduersus nascentem pestilentiam cuiuslibet opinionis mortiferæ, salubria diuinorum eloquiorum remedia præparare. Itaque cùm sanctus Apostolus sollicitè fideles præmoneat, dicens: Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum: Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: Isti econtrario, non solum præterito tempore philosophiæ mundialis sectantes errorem secundum elementa mundi, de Deo existimauerunt disputandum. Sed ita sunt totius nunc religionis obliti, vt cùm de Deo disputant, nec ipsa elementa mundi istius corporalis attendunt. Ac sic, dum oculos intelligentiæ etiam contra ea quæ videntur pertinaciter claudunt, nunquam inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciunt. Quid enim potest absurdius dici, quàm vt cum de Deo quis disputat, non nisi de crassioribus tantum corporibus documenta disputationis adsumat? Magnum enim quiddam sibi ille visus est inuenire, cùm accepto Birro, & manibus retento, interrogasset, vtrum, sicut apud illum esset, ita in illo esset. Exinde docere volens, quemadmodum Birrum apud hominem, sic esse filium apud patrem, vt quia Birrus apud hominem esse possit, in homine autem esse non posset: Ita filius sit quidem apud patrem, sed non sit in patre. Ro-

Coloss. 2.

Absurdum est, de Deo secundum corporalia disputare.

Aptius fuisset exemplum de flatu narium, quàm de Birro in manibus.

go si de corporibus istis contrectabilibus aliquid in exemplum disputans delectabatur adsumere, (licet illi aduersus veritatem disputandi, elementa quæ à veritate facta sunt, non possent vllatenus suffragari, tamen vt tolerabile aliquid dicere videretur, vt de cæteris taceam) quur Birrum, quem manibus tenebat, ostendit, & non saltim flatum, quem naribus carpebat, attendit? Quia si Birrus ille posset dici apud illum esse & non in illo esse, flatus iste tamen, quem ex aere carpimus, cùm eum spirando percipimus, & apud nos est, & in nobis est: & quicquid eius respirando reddimus, cùm reddiderimus, nec apud nos nec in nobis habemus. An forte dicturus est, aeris istius alimentum, cùm spirando accipimus, in nobis tantum esse, non etiam apud nos esse? Dicat ergo, quando apud nos possit esse, an cùm eum reddimus, & eum in nobis non habemus? Sed hoc puto, quia nec de Birro illo dicere audebit, si tamen eum illi, à quo acceperat, reddidit. Videt enim, quia eum tunc apud se habuit, cùm accepit: postquam autem reddidit, apud se habere iam desitit. Sicut enim acceptione factum est, vt quod non habuit, apud se haberet: ita redditione factum est, vt quod apud se habuit, non haberet. Proinde si Birrum dixit non in se esse, sed apud se esse, hunc tamen flatum, quem de circumfuso aere vicissim sumimus & reddimus, mihi videtur, quia non dicet, non esse apud hominem, cùm est in homine, quia tunc eum homo apud se & in se habet, cùm eum accipit spirando. Cùm verò respirando reddit, sic eum apud se non habet, sicut nec in se habet.

Falsum est igitur, Verbum quod apud Deũ est, extra Deum esse nõ in Deo.

CAPVT III.

FRustra igitur in illa disputatione, de hoc, quod dictum est, *Verbum erat apud Deum*, asserere voluit, quod in aliquo est, esse semper interius: quod apud

apud aliquem est, esse semper exterius, cùm flatus receptus in corpus, sic in homine sit, vt apud hominem sit. Et rursus è corpore redditus, ita non sit apud hominem, quemadmodum non est in homine. Minus enim attendit in hoc, quod absurdo nitebatur asserere documento, quàm grauior eum subsequenter absurditas teneret innexum. Etenim cùm dicitur, *In principio erat verbum*, & *verbum erat apud Deum*, & *Deus erat verbum*, si exterius est omne quod apud Deum est, & interius est omne quod in Deo est: quid illi disputatori peritissimo restat, nisi vt nos potiores filio Dei esse contendat? Dicit quippe Apostolus de Deo: *Quia in ipso viuimus, & mouemur, & sumus*. Et alio loco: *Vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in ipso*. Nunc iam quisquis ille est, qui sub Christiano nomine non metuit aduersus Christum tã temerè disputare, cùm audit, verbum esse apud Deum, & nos esse in Deo? Si audet, dicat, verbum esse exterius, & nos interius. Quod si dicendum existimat, ipse de suis dictis iudiciũ ferat. Neq; enim in tali sermone index quærendus est alius, quando ipse, qui hoc dixit, à seipso sit profecto culpandus. Quid iterum respondebit aduersus illã eiusdem beati Pauli sentẽtiam, qua dicit de Deo: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula amen*? Ecce omnia Paulus ex Deo, & per Deum, & in Deo esse testatur. Verbum vero apud Deum esse, Ioannis Euãgelistæ prædicatione dinoscitur. Si autem secundum Arrianorum sensum, omne quod in Deo est, interius est, & omne quod apud Deũ est, exterius est, quoniam Arrianis verbum, quod apud Deum est, non in Deo esse creditur, hoc reliquum est, vt omnibus quæ in Deo sunt, illud quod apud Deum est, inferius prædicetur. Hoc autem receepto, (quia de verbo scriptum est: Omnia per ipsum facta sunt,) ipsa erit secundum

Summa absurditas, nos esse interius Deo, verbũ autem exterius.

Ioan. 1.
Act. 17.
1. Cor. 8.
Rom. 11.

Alia absurditas vt creatura præponatur factori.

Arrianos rectitudo fidei, vt præponenda sit factura factori. Quis iam non cernit, in quod præcipitium improuidi homines cadunt? qui veræ fidei resistentes, perfidiam defensare contendunt. Quid enim aliud talibus verbis agitur, nisi vt huius defensione sententiæ, conditionis suæ ac redemptionis oblita, semetipsam filio Dei, non solũ æquare, sed & præferre audeat creatura: Miror autem, quomodo non considerant, à quibus illud asseritur, quàm deterior ex eo fructus nefandæ blasphemiæ nascatur. Aiunt enim: Quod in Deo est, interius esse credendum: quod autem apud Deum est, exterius æstimandum. Quocirca illud quod apud Deum est, & exterius est, non est credẽdum vnius cum Deo naturæ: Consequens est, vt illud quod in Deo est, & interius est, vnius credatur cum Deo substantiæ. Ad hanc igitur conclusionem ratiocinatio ista perducitur, Vt sicut verbum, pro eo quod apud Deum est, ab eius natura separatur: Ita creatura, pro eo quod est in Deo, vnius credatur naturæ cum Deo. Vnde cõuincuntur illa sentire, quibus nos & filio audeant præferre, & patri conentur æquare. Sic totũ confundunt, qui à veritate dissentiunt. Ex quibus sententijs error infidelis asseritur. Ecce quibus adinuẽtionibus fidei veritas impugnatur.

Maior ité absurditas sequitur, vt creatura vnius sit naturæ cum creatore.

CAPVT IIII.

SEd quibuslibet arietibus Ecclesiam sanctam hæretici quatere nitantur, certi sumus de Domino Deo nostro, quoniam ciuitatem supra montẽ constitutam subuertere non valebũt. Imò seipsos prorsus subuertunt & exterminant, qui Deũ verum Dei vnicum filium, contumelijs assertionibus exacerbant. Nec ab iniuria tẽperant etiam patris, dum ingratificentiã reddunt gratiæ Saluatoris. Quapropter cõgruum videtur, vt ex alijs scripturarum locis verbi huius intelligentia requiratur,

ratur, vt appareat, vtrum quicquid apud aliquem esse dicitur, debeamus secundum illorum sententiam semper exterius æstimare. In lib. Sapientiæ legimus dictum de quibusdam: Dixerunt apud se cogitantes non rectè. Huius loci ab Arrianis exigimus rationem, vtrum qui apud se cogitat, intra se an extra se cogitet? cum hominis cogitatio non solum extra corpus hominis non sit, sed nec corporis actio sit. Enimuero quia id ipsum, quod cogitatio dicitur, nõ solum non extra hominẽ, sed nec in ipso corpore hominis inuenitur: quis non videat, cogitationem solius esse animæ, cui per rationalem virtutem diuinitus datũ est cogitare? In homine quippe cogitando dominatur animus, operando autem seruitium exhibet corpus. Ibi est enim homini data cogitatio, vbi est inserta boni maliq; discretio. Interior igitur homo cogitationis officium gerit, qui etiam intelligendi virtutem ad imaginem Dei creatus accepit. Cum ergo apud se homo cogitat, non extra se, sed intra se cogitat: qui non extra se cogitaret, etiam si ad exteriorem hominem cogitatio pertineret: quãto magis intra se cogitat? quãdoquidem non exterior homo, sed interior cogitat. Qui tamen secundum scripturæ testimonium apud se cogitare dicitur, quo vtiq; non exterioris, sed interioris hominis officio reperitur. Ait enim scriptura, sicut supra iam positum est, Dixerunt apud se cogitantes nõ rectè. Quid est autem, apud se dicere, nisi in corde suo dicere? Propter quod alibi dicitur: Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini, Hoc est ergo apud se dicere, quod est intra se dicere. Vnde & Pharisæus ille, qui dominum poposcerat ad vescẽdum, cùm ingressa mulier peccatrix lachrymis rigaret, & capillis pedes tergeret saluatoris, quia intra se cogitabat, intra se vtique dicebat, quod cogitando dicebat. Ait enim euangelista: Videns autem Pharisæus, qui

Sapien. 1. Dixerunt apud se cogitantes nõ rectè.

Psalm. 4. Apud se dicere, est idẽ quod intra se dicere. Luc. 7.

vocauerat eum, ait intra se dicens: Quid est enim ait intra se, nisi cogitauit intra se? Veruntamen scriptura docente cognoscimus, quia qui cogitat intra se, cogitat apud se. Ideo vtique dicitur: Dixerunt apud se cogitantes non recte. Attamen ne hoc, quod dictum est, apud se non præcedenti sermoni, sed subsequenti velint Arriani coniungere, vt non dicatur, dixerunt apud se, sed dicatur, dixerunt, & postmodum inferatur, apud se cogitantes: Audiant etiam hinc diuinarum testimonia scripturarum, & cognoscant officium cogitationis humanæ, non ad exteriorem, sed ad interiorem hominem pertinere. Euangelista dicit, quia cùm domino paralyticus offerretur, videns dominus fidem illorum qui eum per tegulas submiserant, dixit: Confide fili, remittuntur peccata tua: & ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cùm vidisset Iesus cogitationes eorum dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quos dixit Euangelista intra se dixisse, ipsos Dominus dicit in cordibus mala cogitasse. Quid est autem mala in cordibus cogitare, nisi cogitare apud se non rectè? Quomodolibet ergo huius loci sensum Arriani distinguant, ibi necesse est confusionem suæ prauitatis inueniant. Et vtinam sic de errore confundatur, vt ad veritatẽ conuertantur. Si enim dixerint, sic istum scripturæ versiculum diuidendum, quod scriptum est, dixerunt apud se, cogitantes non recte, vt ipsum apud se, præcedenti sermoni iungentes, sic distinguant: Dixerunt apud se, vt postea inferant, cogitantes non recte: Dauidico statim conuincuntur eloquio, non aliud esse, apud se dicere, nisi in corde dicere. Ait enim: Quæ dicitis in cordibus vestris. Quod si aliter distinguere voluerint, vt ipsum apud se, non præcedenti sermoni, sed subsequenti coniungant, vt præmittentes dixerunt, interiecto silentio, postmodum inferant illud quod dictum

Similiter idem est dicere intra se, & cogitare apud se

Matth. 9.

Marc. 2. Luc. 5.

Psalm. 4. Idem dicis, est, apud se cogitare & cogitare in corde suo.

est, apud se cogitantes non recte, etiam hinc increpationem Saluatoris audiant, & cordis esse cogitationes agnoscant, ait enim: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Alio quoque loco idem dominus docet: Quia de corde exeũt cogitationes malæ. Et denuo dicit: Quia bonus homo, de bono thesauro cordis sui profert bona: Et malus homo, de malo thesauro cordis sui profert mala. Iámne cognoscunt, in quanto errore versentur, qui verbum apud Deum, non interius, sed exterius asserere moliuntur?

Luc. 5.

Matth. 15.

Matth. 12.

CAPVT V.

RVrsus in eodem libro scriptum de sapientia legimus: Immortalis enim est memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines. Quomodo autem apud homines nota est, si non intra homines, sed extra homines est? Cum nisi in animam hominis intrauerit, nota homini esse non possit. De ipsa quippe sic dicitur, & permanens in se, omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert. Et vt non aliud agnoscatur, in animas se transferre, quàm in animas intrare: rursus de illa textus scripturæ sanctæ sic memorat hæc: Populum iustum & semen sine querela liberauit à nationibus, quæ illum comprimebant: intrauit in animam serui domini, & stetit contra reges horrendos in portentis & signis. Hunc introitum suum, quo in animas intrat, etiam in Apocalypsi Ioannis insinuat dicens: Ecce sto ad ianuam & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam: introibo ad eum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Hoc introitu Pater & filius ad dilectorem suum veniunt, & mansionem apud eum faciunt: sicut ipse filius loquitur, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum

Sapien. 4.

Apud Deũ nota est & apud homines memoria eius.

Introibo ad eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Apocal. 3.

Ioan. 14.

eum faciemus. Quòd si veniẽtes pater & filius ad eum, apud quem manſionem faciunt, non interius, ſed exterius ſunt: dicatur nobis, vbi ad eum veniant, & manſionem apud eum faciãt. Interim quod interius in ſuis fidelibus inhabitet Chriſtus, Paulo prædicante cognouimus, qui ait: In interiore homine habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris. An forſitan dicturi ſunt, aliter in interiore homine noſtro habitare Chriſtum per fidem, & aliter eum cum patre venientem apud dilectorem ſuum facere manſionem, vt Chriſtus interim ſolus in interiore homine noſtro inhabitare poſſit: Pater autem exterius remanens, apud quem manſionem facit, non ſolum ipſe interius manere nequeat, ſed etiam filium communione aduentus ſui, ne in interiore homine habitare poſſit impediat. Spiritum quoque ſanctum ſic filius Dei promiſit fidelibus ſuis, vt apud eos maneat, & in ipſis ſit. Dicit enim: Si diligitis me, mãdata mea ſeruate, & ego rogabo patrẽ, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non vidit eum, nec ſcit eum: vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Ecce apud quos manet, in eis eſt Spiritus ſanctus. Dicatur, quæ hic poteſt eſſe diuerſitas in eo, quod apud eos manet, & in eis eſt? Etenim in vno loco vtraque præpoſitio ponitur, & ſpiritui ſancto vtriuſque rei poſſibilitas adſignatur, vt apud quos manet, in eis ſit. Itáne vero ſpiritus ſanctus ſic apud fideles manet, vt in ipſis fidelibus eſſe poſſit: Verbum autem Deus ſic apud Deum eſt, vt in Deo eſſe non poſſit? Quid dicam his, qui de ſcripturis ſic diſputare deſiderant, vt intelligentiæ ſpiritalis viam nullatenus quærant, & auertentes oculos à vero lumine, iugiter in tenebris delectentur errare? Hoc idẽ quippe eſſe apud Deum, quod eſt eſſe in Deo, ſancta

Ephes. 3. d

Ioan 14. b

Sic verbum & apud Deũ & in Deo eſt.

Sic idẽ eſt, in Deo & apud Deũ non eſt iniquitas.

ſancta ſcriptura aliis quoque locis oſtendit. Dicit enim Moyſes: Deus fidelis, in quo non eſt iniquitas, iuſtus & ſanctus Dominus. Dauid etiã canit: Quoniam iuſtus dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo. Paulus autem Apoſtolus, apud Deum non eſſe iniquitatem dicit. Sic enim ait: Nunquid iniquitas apud Deum? abſit. Eligant in hoc loco quod voluerint Arriani, & vt ſuam ſapientiam euidenter oſtendant, de legalibus & propheticis atque Apoſtolicis dictis iudicium ferant. Moyſes dicit, Deus fidelis, in quo non eſt iniquitas: Dauid quoque dicit, Iuſtus dominus Deus noſter, & nõ eſt iniquitas in eo: Paulus vero dicit, Nũquid iniquitas apud Deum? abſit. Aut igitur fateantur Apoſtolicũ ſenſum legali propheticoq; ſenſui conuenire, aut dicant Apoſtolum Paulum à legali & prophetica intelligentia diſcrepare. Paulus equidem Apoſtolus eundem ſe ſpiritum fidei habere dicit, quem Dauid beatus habuit, quem etiam Moyſes ſanctus accepit, ſicut ipſe teſtatur dicens: Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt, Credidi, propter quod loquutus ſum: & nos credimus propter quod loquimur. Quomodo autem vnum ſpiritum fidei habuerunt, ſi de fideli Deo diuerſa ſenſerunt? Magna eſt autem ſentiendi diuerſitas, ſi diuerſum eſt quod dicit Paulus, Non eſſe iniquitatem apud Deum, ab eo quod Moyſes & Dauid dicunt, non eſſe iniquitatem in Deo. Et ſi dicente Paulo, eundem ſe habere ſpiritum fidei, quem & prophetæ habuerunt, in eorum fide diuerſus eſt ſenſus, mendax (quod abſit) Apoſtolus pronuntietur, qui in ſe Chriſtum loqui teſtatur. An experimentum, inquiens, quæritis eius, qui in me loquitur Chriſti? Sed quoniam vere Chriſtus in Paulo loquutus eſt, Paulus vtique mendax non eſt. Et quia cum eũdem ſpiritum fidei ſe habere dicit, non mentitur, vterque ſenſus conſonans

Deut. 32.

Pſalm. 91.

Roman. 9.

Vnus & idem ſpiritus in Moyſe, Dauid & Paulo.

2. Cor. 4.

2. Cor. 13.

sonans inuenitur: Vt quod Moyses & Dauid dixerũt iniquitatem in Deo non esse: hoc sit, quod etiam Paulus dicit, Iniquitatem apud Deum non esse. Quod si eis forsitan videtur, vt ex aduerso aliud dicant: hoc eis reliquum est, vt aut prophetis aut Apostolo contradicant.

CAPVT VI.

Apud quẽ nõ est transmutatio.

ET licet tot tantisque testimonijs confutata hæreticorum sententia cognoscatur, nulla veritate subnixa: respondeant tamen, quid de illo Apostoli Iacobi

Iacob. 1.

loco sentiunt, vbi dicit, Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Apud quem autem transmutatio non est, profecto mutabilitas non est: Et apud quem mutabilitas non est, immutabilitas est. Hæc igitur immutabilitas, quæ apud Deum est, dicant vtrum exterius an interius est. Si enim interius est, ecce hoc est, in Deo esse, quod apud Deum esse. Desinant igitur peruersa sentire, & festinent catholicæ rectitudini cõsentire. Si autem hæc immutabilitas, quæ apud Deum est, non interius esse, sed exterius creditur, profecto in Deo esse nõ creditur. Et si in Deo immutabilitas esse nõ creditur, cõsequenter Deus ipso mutabilis prædicatur. Et

* audeãt. Multa exẽpla, vbi apud pro in ponitur.

*ne hoc vel in filio assignare * audiant, in eodẽ loco, patrem luminũ nominatum. Proinde cùm audimus, quia apud Deum non est transmutatio, hoc sentiamus secundum catholicæ fidei veritatẽ, quia nulla est in Deo mutatio. Et cùm dicitur, verbum erat apud Deum, non aliud sentiamus, quàm verbũ erat in Deo. Et cùm sapientia in Prouerbijs dicit, Eram apud illum componẽs, non aliud sentiamus, quàm, eram in illo componens. Et*

Prouerb. 8.

Psalm. 35. Ioan 1.a

cùm Deo dicitur, Apud te est fons vitæ, non aliud intelligamus, quàm, in te est fons vitæ. Et cum Ioannes dicit,

dicit, Adnuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & palam facta est nobis: non aliud intelligamus, quàm vitam æternam quæ erat in patre. Verè enim apud Deum est Deus verbum, quia in Deo est Deus verbum. Et verè apud Deum sapientem est sapientia, quia in sapiente Deo est sapientia. Et verè apud Deum viuum est vita, quia in Deo viuo est Deus vita. Et vere apud Deum verũ est Deus veritas, quia in Deo vero est Deus veritas. Et vere apud Deum fortẽ est Deus virtus, quia in Deo forti est Deus virtus. Sed quid mirum, si hoc est filio esse apud patrem, quod est illi esse in patre, quia scilicet naturaliter natus de patre, permanet semper in patre? Cùm etiam de hominibus legamus (quantum ad substantiam attinet, quæ naturaliter homines sunt) non aliud esse, cùm dicitur aliquid apud illos esse, quàm in illis esse. Vnde testimonia manifestissima proferemus. In libro Esaiæ cõtinetur

Esa. 38. e

Ezechiæ regis oratio, quam post adiectos sibi ad vitam annos quindecim, ad Deum effudit, vbi inter cætera sic dicit: Spiritus meus apud me factus est, sicut lanificæ proximans demere telam. Quid autem hic aliud intelligitur, Spiritus meus apud me, nisi, spiritus meus in me? An & hic dicetur, spiritum hominis apud hominẽ esse, in homine autem non esse? Cùm euidenter Apostolus dicat: Quis enim scit hominum, quæ sunt hominis,

1. Cor. 2. e

nisi spiritus hominis qui in ipso est? Sed & illud, quod supra posuimus scriptum, Dixerunt apud se, cogitantes non recte: quid est aliud, quàm, dixerunt intra se?

Sapient. 2.

Rursus in libro Sapientiæ dicitur, Hæc cogitans apud me, & commemorans in corde meo, quoniam immortalitas est in cogitatione sapientiæ. Quod apud se cogitat, hoc in corde suo commemorat: quod vtrunque dum dicit, illam vtique cogitationem, & illam commemorationem non exterius, sed interius sibi inesse monstrauit.

Sapien. 8. d

Prouer.22.c monſtrauit. Dicitur etiam in Prouerbijs: Fili, non te comprehendat cogitatio mala, quæ derelinquit doctrinam adoleſcentiæ, & teſtamenti diuini oblita eſt. Poſuit enim apud mortem domum ſuam, & apud inferos cum terrigenis axes ſuos. Si ergo cogitatio mala, quæ apud mortem poſuit domum ſuam, extra mortem, non in morte profecto viuit: Et ſi apud inferos poſita non eſt, inferno ſupereſt, vt illa, quæ nec in morte eſt, nec in inferno, vitam habere dicatur in cælo. Ideo enim Deo dicitur: Quia eripuiſti animam meam de morte, quia

Pſal.114. Rom.1. animæ per fidem vitam donauit dicens: Iuſtus autem meus ex fide viuit. Et rurſus idcirco ipſi dicitur: Eripuiſti animam meam ex inferno inferiori, quia idcirco animæ ab inferno gratia Dei eripiuntur, vt in cælis

Pſal 85.c

Philip.3.d conuerſentur. Vnde dicit Apoſtolus: Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt. Porro anima, quæ per cogitationem malam apud mortem fuit, quomodo de morte liberata eſt, ſi in morte non fuit? & quomodo ex inferno erepta eſt, ſi apud inferos conſtituta, in inferno non fuit? Cùm vtique ſi in morte non eſſet, mortua non fuiſſet. Per malam autem voluntatem, hoc eſt, per peccatum, quis neſciat animam mori? cùm Deus dicat: Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Certum eſt igitur,

Ezech.18.c animam male cogitantem, cùm apud mortem eſt, in morte eſſe, & cùm apud inferos eſt, in inferno eſſe. Quid quod etiã Saluator dicit, Quæ impoſſibilia ſunt

Matt.19.d Luc.18.c apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum? Ergo ne ſic dicemus, omnia Deo poſſibilia eſſe, vt hoc ipſum quidem poſſibile eſſe, ſic dicamus apud Deum eſſe, vt dicamus in Deo non eſſe? Quid autẽ poſſe apud ſe Deus habet, ſi ipſum poſſe in ſe non habet?

CAPVT VII.

His atque huiuſmodi teſtimonijs claret, cùm dicitur, Verbum erat apud Deum, non aliud intelligi debe-

gi debere, quàm verbum erat in Deo. Nam & ipſe filius, qui eſt verbum Deus, non ſolum patrem in ſe, ſed etiam ſe in patre eſſe teſtatur, dicens: Non credis, quia ego in patre, & pater in me eſt? Hoc autem filij eſſe apud patrem, & eſſe in patre, non videatur tale, quale, ſiquis homo ſit apud aliquem hominem, ſiue iure hoſpitali, ſiue charitatis affectu. Nam & Apoſtolus Paulus dicit, ſe apud Apoſtolum Petrum quindecim diebus manſiſſe, iure ſcilicet hoſpitalitatis, & puritate dilectionis, quorum licet per vnitatem fidei & charitatis fuerit anima vna & cor vnum: non tamen ſic manſit Paulus apud Petrum, ſicut verbum manet apud Deũ: quia nec ſic poteſt eſſe homo apud hominem, ſicut verbum Deus eſt apud Deum patrem. Homo enim apud hominem ſic eſt, vt non ſolum apud eum non eſſe poſſit, ſed etiam, cùm apud eum eſt, in ipſo ſubſtantialiter eſſe non poſſit. Verè enim qui ſic apud alium eſt, extra illum eſt, quia cùm eſt apud illum, ſynceritate dilectionis, loco diſcernitur, quantolibet affectu inuicem ſibi vterque iungatur. Sed ſic eſt verbum apud Deum, ſicut eſt in mente verbum, ſicut in corde conſilium. Cùm enim mens apud ſe verbum habet, vtique cogitando habet, quia nihil aliud eſt apud ſe dicere, quàm apud ſe cogitare. Cùm ergo mens cogitat, & cogitando verbum intra ſe generat, de ſua ſubſtantia generat verbum, & ſic illud verbum generat de ſe, vt genitum habeat apud ſe. Nec minus aliquid habet verbum, quod ex mente naſcitur, quã eſt mens de qua naſcitur, quia quanta eſt mens quæ generat verbum, tantum eſt etiã ipſum verbum. Sicut enim de tota mente naſcitur verbum, ſic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente, non eſt eius aliquid, vbi in ea verbum non ſit: Ideo verbum tantum eſt, quanta eſt mens ipſa de qua eſt, & cum apud illam eſt, in illa eſt, & quanta

Ioan.14. Nõ credis, quia ego in patre, & pater in me eſt.

Gal.1.d

Verbũ eſt apud Deũ, ſicut in mẽte verbum.

illa est, tantum etiam verbum est, quia de tota & in tota est: Tantúmque est ipsum verbum, quanta simul est & mens ipsa cum verbo. Neque enim sic de illa verbum nascitur, vt ab ea localiter secernatur. Natiuitas quippe illa, quæ ostendit quid sit, & de qua sit ipsa ostendit: quod extra eam, de qua natum est, esse non possit: Nec in aliquo minus sit, sed sic de ipsa sit, vt apud ipsam & in ipsa sit, tantúmque sit de illa, quantum in illa, & tantum in illa, quantum cum illa.

CAPVT VIII.

Non sumus nos in Deo sicut in deo est verbum Deus.

EQuidem & nos quodammodo, dicit scriptura, & in Deo esse & apud Deum esse: sed non quomodo apud Deum est & in Deo est verbum Deus, qui est vnigenitus filius. Dicitur enim & nobis, quia in Deo viuimus & mouemur & sumus. Et dicitur ipsi Deo, si non peccauerimus, scimus, quia apud te sumus deputati. Veruntamen cùm hoc de nobis dicitur, non naturalis vnitas nostra cum Deo ostenditur, sed aut potentia creatoris intelligitur, aut pietas redemptoris. Sic enim qui credimus in Deo & apud Deum sumus, sicut de Deo geniti, filij Dei sumus. Scriptum est enim: Charissimi nunc filij Dei sumus. Et iterum: Voluntariè genuit nos verbo veritatis. Nos ergo Deus verbo veritatis genuit, illud autem verbum veritatem genuit. Nobis potestatem dedit filios Dei fieri: Ille autem non ex potestate filius Dei factus, sed de Deo naturaliter est Dei filius natus. Nos Deus voluntariè genuit, quia voluntas generationem præcessit: In vnigeniti autem generatione, nulla generantis præcessit voluntas: vbi sine initio naturali permanet æterna natiuitas. Sicut ergo geniti sumus, sed non sicut vnigenitus Deus, & filij Dei sumus, sed non sicut vnicus & verus filius, & dij sumus, sed non sicut verbum, qui verus est Deus:

1. Ioan. 3.

Aliter nos Deus genuit, aliter verbum. Iacob. 1.

Ita in Deo sumus, & apud Deum sumus, sed non sicut apud Deum est & in Deo est verbum Deus, qui de Deo naturaliter natus est. Quamuis enim ille filius dicatur, & nos filij dicamur, & ille Deus, & nos dij, & ille genitus, & nos geniti: multum tamen distat in re, quod vnum sonare videtur in * homine. Quoniam ille, quod Deus, quod filius, quod vnigenitus est, naturaliter est, quia de natura patris natus est: nos autem, quod dij, quod filij, quod geniti sumus, non natura, sed gratia sumus: quia cùm in natura non haberemus, vt hoc esse possemus, gratis nobis datum est, vt hoc facti essemus. Hanc discretionem si hæretici, misericorditer Deo donante, percipiant, lumen verum videbunt, & ab vnigeniti filij contumelijs temperabunt: cui non solum in eo, quod apud Deum est, detrahunt, sed etiam & animam humanam in illo negare contendunt. Quos ipse filius Dei vno Psalmi versiculo designauit, dicens: Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Deum, & qui loquuntur mala aduersus animam meam. Quis enim deterius Christo apud Deum detrahit, quàm qui audiēs verbum Deum apud Deum esse, dicit idem verbum in Deo non esse? Aut quis amplius mala aduersus Christi animam loquitur, quàm qui in Christo humanam animam diffitetur? cùm illud verbum, quod Deus est, sic apud Deum sit, de quo est, vt per vnitatem naturæ, in Deo sit, & per eandem vnitatem naturæ, vnus cum illo Deus sit: & illa anima simul cum carne suscepta fuerit ab vnigenito Deo, vt simul in Christo & anima nostra saluaretur & caro: A quo procul dubio ille sempiternam cōsequetur salutem, qui in eo diuinæ humanæq; naturæ plenam cognouerit veritatem.

* nomine.

Blasphemię hæreticorū in filiū Dei

Psal. 108.

B. FVLGENTII CONTRA ARRIANOS, LIBER vnus, ad decem obiectiones, decem responsiones continens.

DICTVM est, patrem de seipso, hoc est, quod ipse est, ineffabiliter filium genuisse. Adauctum est, quod nō extrinsecus, sed ex Deo natum esse. Hæc responsione non indigent, quia fidei nostræ concordant. OBIECTIO. Quid ad hoc dicitur, Si ex Deo natus est, est de intra Deū, sed si non est de intra, nec ex ipso est, si modo vocabula diuersa apponuntur. Quid prodest, si ipsa veritas non profiteatur? RESPONSIO Equidem dum nominantur pater & filius, in his duobus nominibus vocabulorū diuersitas agnoscitur. Quin potius per hæc duo diuersa vocabula significatur vtriusq; natura, quoniā istorum nominū diuersitas, non naturas diuidit, sed veritatem generationis ostendit, vt ex vno vero patre, vnum verum agnoscamus filium extitisse. Ac sic dum vera patris generatio, & vera filij natiuitas prædicatur, in vno genitore & vno genito, non solum vnitas substantiæ, verumetiam in vno quoq; proprietas possit agnosci personæ: ne aut ipse putetur natus esse qui genuit, aut aliud putetur esse qui natus est, quā est ille qui genuit. Non enim ipse est pater qui filius, quoniam in vtroq; personarum proprietas reseruatur. Sed quod pater est, hoc est & filius: quia de Deo Deus, de perfecto perfectus, de immenso immensus, de omnipotente omnipotes, de æterno patre natus est filius coæternus, eadem veritate dicente: Omnia quæ habet pater, mea sunt. Pater ergo & filius relatiua sunt nomina, quæ naturā gignētis genitiq; non separant, sed vnam sine dubitatione significāt. Relatiuum verò illud dicimus, quod ad alium agnoscendum referimus, vt dum vnum nominamus, alium demonstremus. Sicut inter homines, hæc relatiua sæpius nominantur pater & filius, filius & pater, socer & gener, gener & socer. Nam ideo pater dicitur, vt filium genuisse noscatur: & filius ideo dicitur, vt de patre genitus demonstretur. Nec in hac diuersitate nominum, inuenitur diuersitas naturarum: quoniam vterq; similiter homo dicitur, quamuis vnus pater, & alius filius, nuncupetur. Non ergo patris & filij posset vna cognosci natura, si hæc non essent diuersa vocabula: quoniam si ambo vocarentur patres, essent profecto naturæ dissimiles. Vnusquisque enim ex semetipso constaret, & communem substantiam cum altero non haberet, Nec Deitas vna esset, quibus vna natura non esset. Consequens autem fuit, vt duo patres duos filios gignerent, quoniam nisi vera de singulis proles existeret, paterni nominis in nullo veritas appareret. Iam vero in duobus filijs, de diuersis patribus natis, licet posset non esse diuersitas relatiui nominis, attendatur si posset esse natura communis. Quis non videat, in vtroque, filij nomen vnum esse, sed vtriusque naturam vnam non esse? Magis autem vnumquemque filium nō cum altero filio, cum quo vnum relationis habuit nomen, sed cum patre, de quo extiterat, naturam habere communem. Sed quid vlterius de duobus patribus, duobusq; filijs disputetur? cùm istius assertionis veritas, personarum diuersitate non egeat, sed ad documentum sui facilius possit vnius hominis consideratione fulciri, qua cognoscatur, relatiua nomina diuersitate sui non naturarum diuersitatem ostendere: Sed ad personarum significationem maxime pertinere, vt scilicet, dum vnus ostenditur, alterius quoq; persona noscatur.

Prima obiectio, de nominum patris & filij diuersitate.

Responsio, quod hæc nomina nō diuersas naturas, sed distinctas personas significant.

Matth. 2. d Luc. 10. d

Plus distāt duo patres quam pater & filius.

Idem respectu diuersorum potest esse & pater & filius vt Seth.

Universidad de Deusto
Biblioteca

catur. Illud autem nomen patri semper esse filioq; commune, non quo relatio personalis ostenditur, sed quo substantialis proprietas demonstratur. Nempe Seth de Adam patre natus, & de non genito genitus, Adam patris dictus est filius. Iste ergo, donec ad virilem perueniret ætatem, vt filium gigneret, pater dici non potuit. Et priusquam generaret, filius tantum fuit: quando autem genuit, etiam pater esse iam cœpit. Accedente igitur diuersitate paterni nominis, nulla in eo facta est diuersitas naturalis. Et cùm vnus homo hæc duo cœpisset habere vocabula, non est in eo mutata aut diuisa vel duplicata natura. Fuit enim filius, quia de patre extitit: fuit pater, quia filium genuit. Nec tamen ita naturam filij, in qua natus est, habuit, vt in eo permanens, pater esse non posset. Nec aliam cum nomine patris essentiam acquisiuit, vt filij substantiam, in qua natus fuerat, perdidisset. Sed quod verum est, sicut homo fuit, quando filius extitit nascendo, sic permansit homo, quando pater factus est generando. Nec aliud fuit quàm homo, quod erat Adam, de quo ipse est natus: Et quod erat Enos, qui de ipso est genitus. In patre ergo Deo & filio Deo, personarum proprietate seruata, impossibile non dicatur, quod documento etiam cuiuslibet hominis comprobatur: sed discernamus, quid ad relationem, quid ad substantiam pertinere noscatur. Relationis enim sunt nomina, pater & filius: substantiæ verò nomen vnum est, quod dicitur Deus. Relationis ergo nomina singula retinent, substantiæ vero nomen vnum communiter possident: quia licet vnus dicatur pater, & alter filius, sic tamen est filius Deus, sicut pater est Deus. Illis namque duobus nominibus, generatio vera cognoscitur, isto autem vno communi nomine substãtialis vnitas demonstratur. OBIECTIO. Ista nunquam nos legisse recolimus, quæ superius proposita

Generatio diuina personas distinguit in vna natura.

2. Obiectio

posita sunt, quia scriptum est de eo: Generationem eius quis enarrabit? Et quasi nemo dixit scriptura qui enarret. Aduertendi sunt hi homines qui dicant se posse nosse, quia inenarrabilis est generatio eius, non autem ignorabilis. RESPONSIO. Scriptum est, Credidi propter quod loquutus sum: Et nos credimus, propter quod loquimur, & fiducialiter profitemur, quia filij generatio inenarrabilis est, ignorabilis non est. Neque enim consequens est, vt quod non potest enarrari, non possit sciri. Cùm ipsum Deum nullus valeat enarrare, nec impunè tamen alicui liceat ignorare. In tantum vero cognoscibilis Deus est, cùm sit inenarrabilis, vt quosdam ob hoc inexcusabiles pronuntiet beatus Apostolus, quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Nam si à nobis Dominus nollet agnosci, non dixisset, Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis: Nec Philippum dicentem, Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis, hac increpatione corriperet, dicens: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui me vidit, vidit & patrem. Hoc enim verbo Dominus voluit demonstrare, totum in se inueniri quod quærebatur. Nec enim fieri potest, vt sempiterno & immenso patre minus aliquid filius habeat, in quo corporaliter omnis plenitudo diuinitatis inhabitat. Non est ergo ignorabilis Deus, cùm sit inenarrabilis, sed à fidelibus cognoscitur, vt ametur: quamuis nec humanis linguis, nec angelicis enarretur. Nam ignorationem Dei non aliud esse, quàm dæmonum seruitutem Paulus demonstrat Apostolus, dicens: Sed tũc quidem ignorantes Deum, his qui natura non sunt, deseruiebatis. Sicut ergo Christi diuinitatem ignorare non debemus, licet enarrare nõ possimus: ita natiuitatis eius quamuis nulli suppetat enarratio, non est tamen

Generationem eius quis enarrabit?

Responsio, quod generatio eius est quidem inenarrabilis, non tamen ignorabilis.

Roman. 1.

Ioan. 14.

Gal. 4. b

fidelibus adempta cognitio. Quis enim natum prædicet, cuius natiuitatem ignoraret? Quis filium dicat, & genitum nesciat? Quis patrem valeat credere, quem non consideret genuisse? Genuit vere pater, & vere natus est filius. Veram ergo filij natiuitatem, datum nobis est agnoscere, licet datum non sit, qualiter natus fuerit, enarrare. Quoniam & Propheta non dixit, Generationem autem eius quis agnouit, sed quis enarrabit? Quocirca diuinam generationẽ, quantum homini fas est, in eo digne cognoscimus, cùm & veram generationem dicimus, & ipsam generationem, quæ vera est, inenarrabilem prædicamus. Filius ergo vere de patris substantia natus agnoscitur: dum natiuitas eius, quæ de inenarrabili Deo est, inenarrabilis prædicatur. Inenarrabilis enim procul dubio est filij natiuitas vera, quia vna est illi cum enarrabili genitore substantia.

Esa. 53.

5. Obiectio quod Sapiẽtia dicit, Dominus creauit me initiũ viarũ suarum.

OBIECTIO. Generationem eius ita est recte profiteri, vt dicit ipse Dominus per scripturas, Dominus creauit me initium viarum suarum, ante secula fundauit me. Et sequitur, Et ante omnes colles genuit me. Et iterum, Ego a patre prodij, & veni in hunc mũdum. Et iterum, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Et postquam cognitus est in carne, profitetur de eo Euangelista dicens, Et vidimus gloriam eius, gloriam tanquam vnigeniti à patre, plenum gratia & veritate. Et Apostolus ait: Qui est primogenitus totius creaturæ. Ecce creatum, fundatum, & genitum profitemur, sine aliqua ambiguitate inrationabili.

Responsio, quod illud intelligitur de humanitate non diuinitate Christi.

RESPONSIO. In vtraque Christi natiuitate non fallitur, qui in Christo, Dei & hominis filio, & plenam ex patre diuinitatem, & plenum ex matre hominem profitetur. Atque ita in illo vtramque substantiam veram esse cognoscit, dum quid æternitati, vel quid temporalitati congruat, fideli pietate distinxerit. Neque enim ignorare de-

rare debemus, ipsum in sæculo, secundum carnem creatum ex homine, qui sine initio secundum diuinitatem creator est, generatus ex patre. In illa namque natiuitate, quæ initium non habet, sempiternæ diuinitatis maiestas agnoscitur: In hac vero sempiternæ diuinitatis pietas inuenitur. Qui enim non creatus, sed creator de creatore progenitus, bonitate sua creauerat hominem: ipse postmodum est pietate sua creatus ex homine. Nec suum opus ipse dedignatus est fieri, quo posset per eum status sui operis reparari. Huius igitur creationis volens sapientia pronuntiare mysterium, vt incarnationis suæ futurum ostenderet sacramentum, prophetico more, quo solent sub enuntiatione præteriti temporis futura narrare, dixit: Dominus creauit me initium viarum suarum, in opera sua Causam creationis ostendit, dum se initium viarum Deum in opera eius creatum esse non tacuit. Nam vt ostenderet, non illius æternæ natiuitatis esse, quod creata dicitur, sed huius temporis, quo carnem suscepisse Dei filius inuenitur: quid præmiserit attendatur. Si nuntiauero (inquit) vobis, quæ quotidie fiunt, commemorabo quæ à sæculo sunt, enuntiare. Ergo cùm quotidie ista fierent, à sæculo facta præmonet nuntiari, ostendit, quæ dictura est nobis, non æternitatis esse, sed temporis. Ob hoc statim addidit: Dominus creauit me, initium viarum suarum in opera sua. Quod ergo sapientia creata est, non ante sæcula, sed à sæculo est: Quod autem initium viarum Domini creatus est filius, quid aliud est, nisi quod ipse via nobis est factus, vt eo duce atque rectore, per adoptionis quam accipimus gratiam, diuino munere ad virtutum nobis profectum pateret ingressus? Quod vt euidentius appareat, debemus attendere ad hoc filium creaturæ initium factum: non vt nouam rursus creaturam conderet, sed vt ve-

Vera expositio illius dicti, Dominus creauit me initium viarum suarum. Prouerb. 8.

Ad quid filius initium creaturæ factus est.

tuſtatem iam pridem perditam renouaret. Inuenitur enim, Apoſtolos quoque huius feciſſe creationis initium, quorum officio reparauit, quod fuerat ante collapſum. Beato Iacobo dicente de Deo patre, Volunta-
Iacob. 1.c rie genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. Euidentiſſimis igitur demonſtratur indicijs, hoc loco creationem, non ad conditionem omnium creaturarum, ſed ad reparationem hominum referendam. Sicut & Dauid ſanctus orauit, dum gemini fuiſſet criminis recordatione perterritus, non ſolum temerati connubij, ſed mariti etiam inſontis occiſi. Dum igitur tanti facinoris næuum lachrymarum flumine meditaretur abluere, hoc inter gemi-
Pſal. 50.b tus, quos teſtes habuit doloris, effudit: Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Hoc eſſe ſignificans cor mundum in ſe creari, quod erat, ſpiritum rectum in eius viſceribus innouari. Ad hoc ergo Chriſtus voluit creari, & huius creationis Apoſtolos ſuos initium fieri: vt per eum poſſet homo, qui vetuſtate perierat, nouari. An-
Ante ſeculum funda ta ſum, & ante omnes colles genuit me. te ſeculum autem ſapientiam fundatam ſe dixit, vt natiuitatem ſuam, qua de patre nata eſt, immutabilem demonſtraret. Quod enim fundatum, dicitur nulla ratione conuellitur: quod autem non conuellitur, non mutatur. Vt autem natiuitas diuinitatis eius ſine initio cognoſcatur, debet attendi quod ſequitur. Priuſquam terram faceret, priuſquam abyſſos conſtitueret, priuſquam procederent fontes aquarum, priuſquam montes ſtabilirentur: ante omnes autem colles genuit me. Iſtud ante, cùm dicitur, omne prorſus initium præuenitur. Quod conſiderandum eſt, quia vbicunque illa diuina & æterna demonſtratur filij natiuitas, non dicitur, quãdo natus ſit, ſed ante ſemper ponitur, vt quicquid homo infinitatis æternitatiſq; cogitare voluerit, ante

ante omne quod cogitatione concipitur, filij ſemper natiuitas cogitetur. Ac ſic, natiuitas filij Dei ſine initio cognoſcatur, in qua non aliud quàm ante poſitum iugiter inuenitur. Vellemus autem nobis reſponderi, vtrum hoc ſit genitum, quod creatum? quod ſi vnum putatur vtrumque, dicatur ergo à Deo genitus mundus, à quo generari non poteſt, & creatus. Dicantur etiam increduli homines filij Dei, qui de poteſtate tenebrarũ non fuerint liberati. Dicantur hæredes futuræ beatitudinis, qui fidem non recipiunt Saluatoris. Si autem, Chriſtus vt homo & creatus & ſeruus dicitur. quod verum eſt, aliud eſt creari, aliud generari, diſcernatur, in qua Chriſtus ſubſtantia creatus à Deo dicatur, & in qua ex patre genitus prædicetur. Nã & ipſe ſcripturæ locus perfacile quærentibus monſtrat, in qua creatus natura dicendus eſt Chriſtus. In ea ſcilicet, in qua Dominum nominat, vt veritatem in ſe formæ ſeruilis oſtendat. ſicut & in Pſalmo loquitur, dicens: O Pſalm. 115. domine, ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Ex ancilla ergo natus eſt ſeruus, qui ex patre generatus eſt dominus. Propter formã igitur ſerui dixit, dominus creauit me: non ſe à patre dicit creatum, ſed à domino. Nam vbi ſecundum diuinitatẽ genitus Chriſtus, vt Deus, à patre & non à Domino prodijt. dicitur, pater cõtinuo nominatur. Sicut vere ipſe dixit, Ego à patre prodij, & veni. Et B. Euangeliſta de eo, Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre. Vides, quia non dixit hic, à domino, ſed à patre. Quod autem eum primogenitum totius creaturæ dicit Apoſtolus, creatura vtiq; intelligitur reparata, non condita, creatura filiorũ Dei, qua ex ſeruis eius facti ſunt fratres eius, qui nos, ſecundũ Apoſtoli dictum, non cõfunditur fratres vocare, dicens: Narrabo nomen tuum fra- Hebr. 2.c tribus meis, in medio eccleſiæ laudabo te. Et iterũ: Ego ero fidens in eum. Et iterum: Ecce ego & pueri, quos mihi dedit Deus. Quoniã ergo & pueri communicauerunt ſanguini

sanguini & carni, similiter & ipse participauit hisdem: vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, vt liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erãt seruituti. Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim, quo passus est ipse, & tentatus, potens est his qui tentantur auxiliari. Audimus Christum habentem fratres, audimus semen Abrahæ, audimus per mortem, eum, qui habebat mortis imperium, destruentem, audimus tentatũ, audimus passum: & dubitamus Christum primogenitum totius creaturæ, secundum incarnationis profiteri mysterium? Cum denuo Beatus Apostolus, in quo eum primogenitum debemus accipere, testimonio suæ prædicationis ostendat: Scimus, inquiens, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt. Nam quos præsciuit & prædestinauit, conformes fieri imaginis filij eius, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Qui ergo secundum deitatem semper vnigenitus fuit sine fratribus, factus est secundum hominem primogenitus in multis fratribus. Quod euidentius illo rursus Apostoli testimonio perdocetur, vbi primogenitus ex mortuis nominatur. Quid enim est primogenitus ex mortuis, nisi primus ex peccatoribus hominibus homo Christus Iesus in Dei filium exaltatus? Natus autem est, non sic ex peccatoribus peccator, sicut ex hominibus homo: sed natus est homo, susceptus à Deo sine vllo peccato, vt peccatores homines reconciliaret Deo, liberatos ab omni peccato. Talem quippe hominem oportuit à Deo suscipi, per quem possent homines Deo gratuita iustificatione coniungi. Primogenitus igitur est totius creaturæ,

Hucusque Apostolus.

Rom. 8.c

Colosſ. 1. Christus primogenitus ex mortuis.

Colosſ. 1.

turæ, illius profecto, de qua Beatum Apostolum Iacobum audiuimus, paulo ante dixisse: Voluntarie genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. De hac creatura dicit etiam Paulus Apostolus: Si qua ergo in Christo noua creatura. De qua etiam Dauid prædixerat: Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Alioquin, si secundum diuinam natiuitatem Christus primogenitus creaturæ totius accipitur, quibus testimonijs ante omnem creaturam primogenitus ex mortuis ostenditur? cùm dici non possent mortui, qui necdum fuerant vel creati. Vnigenitum ergo Christum cognoscimus ex patre, primogenitum profiteamur ex virgine. In illa quippe natiuitate vere est vnigenitus, in qua sine initio de solo Deo solus natus est Deus: In hac autem natiuitate primogenitus est totius creaturæ, id est, eorum quos in fratres sibi per fidem dignatus est adoptare. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Hæc generatio in secundo quoq; psalmo cognoscitur prædicata, vbi Christus ex persona suscepti hominis dicit, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod vt secundum incarnationis futuræ mysterium, dictum esse monstraret, adiunxit: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Quomodo enim secundum formam Dei terminos terræ possidendos peteret, cùm regnum cælorum, quod maius est, suis fidelibus promittat & donet? Ille ergo qui permanens in forma Dei, pro salute seruorum factus est seruus, secundum seruilem formam vt acciperet gentes hæreditatem & possessionem, terræ terminos postulauit: qui secundum diuinam naturam sicut vniuersa, quæ in cælo sunt & in terra, visibilia & inuisibilia cum patre fecit, ita cum patre semper vniuersa possedit.

Iacob. 1.a

2. Cor. 5.d

Psalm. 103.

Christus vnigenitus ex patre, primogenitus ex virgine.

Psalm. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sedit. *Hanc generationem quam Psalmus secundus insinuat, ad incarnationis mysterium pertinere: Liber* Act. 13. c *Actuum Apostolorum Paulo in Synagoga loquente testatur, cuius vox ad Iudæos huiuscemodi reperitur. Et nos vobis adnuntiamus eam, quæ ad Patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimpleuit filijs nostris, resuscitans Iesum. sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hoc igitur quod Psalmus dixit, secundum id Apostolus ostendit ad filium dictum, secundum quod à mortuis prædicat suscitatum. Attendatur ergo, quæ à mortuis in Christo natura surrexit, & intelligetur secundum quid Christus hodie genitus, terminos ternæ possidendos accepit. Agnoscatur itaque in Christo proprietas vtriusque naturæ, vt sine errore possit intelligi & creatus & fundatus & genitus. Genitus quippe est & fundatus, secundum quod de domino inenarrabiliter natus est dominus: Creatus autem secundum humanam generationem, qua de ancilla natus est seruus: vt quem ante omnia solum pater genuit ex natura, pro nostra salute generaret ex gratia. Quocirca vtranque debemus in Christo domino naturam agnoscere: vt nec aduersus creatorem videamur superbi, nec beneficij nostri saluatoris existamus ingrati: ne apud saluatorem ipse sibi deneget quam quærit salutem, qui creatoris de Deo patre veram denegat deitatem.* OBIECTIO. *Sed qui præsumunt inrationabiliter dicere, de patris substantia natum esse filium, docebit per scripturas tamen, quomodo non sit erroris falsa professio: qui cum dicit inenarrabilem esse generationem eius, asserat eum de patris esse natum substantia.* RESPONSIO. *Assertionis defectus agnoscitur, quando quis ita fidei alterius destruere nititur regulam, vt credulitatis suæ formam nolit proferre sententiam. Nos idcirco filium*

Christus vt homo creatus, vt Deus autem genitus dicitur

4. Obiectio. Quòd dicitur natus de patris substantia.

Responsio. Ideo sic dicitur, ne diuersas sub-

lium Dei de patris substantia natum, hoc est, de id quod pater est, credimus & fatemur: quoniam quicquid substantia Dei non est, non possumus vt Deum vel adorare, vel colere. Præceptum legis sollicitius obseruantes, quo dicitur: Audi Israel, Dominus Deus tuus, dominus vnus est: & dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Quem Deum, non patrem solum credimus, sed patrem & filium & spiritũ sanctum. Fides enim nostra, qua vnum Deum colimus & timemus, nec vnione personali contrahitur, nec substantiali diuersitate disiungitur: Ne aut Deos gentiliter colamus, diuersas colẽdo substantias, aut filium & spiritum cum Sabellio denegemus, non seruantes in Trinitate personas. Huius fidei rectam credulitatem non solum prophetica, sed Apostolica nobis insinuat in veritate doctrina. Nam Esaiæ, cùm Dei visione dignus efficitur, huius fidei credulitas intimatur, duobus Seraphin tertiò clamantibus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, & semel inferentibus, dominus Deus sabaoth. Quid est, quod tertiò sanctus dicitur, si non trina est in diuinitate persona? Cur semel dominus Deus dicitur, si non vna est in diuinitate substantia? Dominus quoque per Moysen volens benedicere populum, hoc benedicendum tenore mandauit. Sic (inquiens) benedices populum meum, & ego benedicam eos. Benedicat te dominus, & custodiat te: inluminet dominus faciem suam super te, & misereatur tui: attollat dominus faciem suam super te, & det tibi pacẽ. Ter dominus dicitur, & vnus semper dominus nominatur: vt in Trinitate, quæ verus est Deus, nec confundatur proprietas personarum, nec substãtialis vnitas denegetur. Dauid quoq; Deo per omnia placitus, sub hac credulitate populo fideli, diuinæ benedictionis gratiã, his verbis exoptat infundi: Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant

stantias tribus personis in Deo asseramus.

Deut. 6.a

Esa. 6.a

Nu. 6.d

Psal. 66.

eum

1.Cor.8.b eum omnes fines terræ. Cui sententiæ Beatus concordat Apostolus, qui cùm quodam loco dixisset, Vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in ipso, & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum, de spiritu sancto quoque diceret, Nolite contristare spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis: cum se dixisse meminisset, ex patre per filium in spiritu sancto, vt hanc Trinitatem, vnum Deum

Roma.2.d esse monstraret: alio loco ait, Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Et quod singulariter intulit, Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Ex substantia patris natum filium, & fides Christiana rectè prædicat, &

Hebr.1.a sancta scriptura commemorat. Paulus Apostolus de

Hierem.9. filio Dei dicit, qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. Dominus denuo dicit ad Hieremiam: Super montes accipe planctum, & homines non audierunt vocem substantiæ meæ, à volatilibus cæli vsque ad

Sapien.16.c pecora. Filium autem patris esse substantiam, Sapientiæ liber euidenter ostendit, dicens: Esca angelorum nutristi populum tuum, præparatum panẽ de cælo præstitisti eis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnem suauitatis saporem. Substantiam enim tuam & dulcedinem tuam, quam in filios habes ostendebas. Panem de cælo datum, substantiam & dulcedinem Dei esse, scriptura testatur: Panem verò de cælo datum, filium Dei esse, ipsius filij verbis ostenditur, qui ait: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. De quo

Ioan.6. Psalm.77. Dauid ait: Panem angelorum manducauit homo. Ecce de substantia patris extitisse filium, non solum rationabiliter credimus: verum etiam testimonijs approbamus, scriptura dicente, Qui diligit genitorem, diligit

1.Ioan.5.a eum qui natus est ex eo: quoniã fides vera quod credit non nescit, etiam si nondum potest videre quod sperat & credit. Hi verò, qui filium de patris substantia natum de-

Ratio Inuicta, quod filius ex substãtia patris natus est.

tum denegant, debent vtique dicere, vnde arbitrentur Dei filium extitisse. Vtrum de nihilo, an ex aliquo. Si de nihilo extitit, creatura dicendus est, non creator. Si autem de aliquo dicatur, sic etiã id ipsum Deus fecit, vnde filium genuit. An forte coæternum dicitur aliquid habuisse, vnde posset filiũ generare? Si coæternũ aliquid æstimatur, vnde genitus filius creditur: Manichæorum error hac assertione firmatur. Si autem nõ fuit aliquid, vnde generaretur filius, nec tamen de substantia patris Deus natus, hoc superest, vt euidenter ex nihilo Dei filium extitisse fateantur, qui eũ in diuinitate minorem prædicare contendunt. Sed forsitan dicitur, ex volũtate patris natum esse filium. Dicatur ergo, vtrum ex se an aliunde pater filiũ genuit. Si enim ex seipso genuit, non potuit voluntas generationem præcedere, quia nefas est credere, in Deum aliquid, quod non semper fuit, nouiter accidisse. Vnde cognoscitur, quoniã Deus omnem quidem creaturam de nihilo condidit voluntate sua, filium vero substãtia genuit vel natura. Si autem aliunde filius dicitur natus, aut ex nihilo eius origo asseritur: aut (sicut superius dictũ est) excepto Deo, semper aliquid fuisse cõtra regulam veræ fidei prædicatur.

Filius ex substantia patris, vnus cum patre Deus & dominus.

Beatus quippe Apostolus, sciens filium ex patris essentia verum Deum genitum, & ob hoc cum patre vnum dominum Deum, nec immemor præcepti dominici, quo prohibemur duobus dominis deseruire: domino Christo, sicut vero Deo, præcepit seruiendum, quem æqualiter cum patre nouerat honorandum, ipso domino dicente: Vt omnes honorificent filiũ, sicut honorificant patrem. Quem verum Deum Ioannes Apostolus, ipso in se domino loquente testatur dicẽs: Vt simus in vero filio eius Iesu Christo: Hic est verus Deus, & vita æterna. Quocirca veræ fidei tenenda est regula, qua Dei filius de patris substantia, hoc est, de id quod ipse est, ineffabi-

Ioan.5.

1.Ioan.vlt.

liter sine initio natus creditur. Et verus Deus cum patre colitur & tenetur, quia nec Christianis licitum est, ei, qui natura non est Deus, sicut vero Deo seruire. Nec cuiquam fas est, Christo vnigenito Dei filio, non sicut vero Deo seruire. Nam eum qui seruit Christo placere Deo, beatus Paulus, qui dijs, qui natura non sunt dij, seruiendum interdixerat, euidentissime manifestat, dicens: Non est Dei regnum esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto. Qui enim in hoc seruit Christo, placet Deo. Quocirca cognoscentes Christum verum Deum esse, non audeamus ab æqualitate paternæ substantiæ separare. Verus enim Deus est, qui natura Deus est. Natura autem Deus est, qui deitatem ex æternitate veræ natiuitatis habuit, nõ ex gratia donationis possedit. Quod enim nascitur, connexum est genere: quod vero adoptatur, sola prouehitur largitate. OBIECTIO. Perturbationes mentium, quæ sine ratione dicuntur, cum hortantur, aduerti veritas non videtur ab eis comprehendi, nec profiteri, ob hoc quod absurdum sit dicere vel credere, patrem & filium ingenitos esse. Qui sibi suadet ista excogitare, ipse se vult fraude decipere, quam quidem exegit illis hoc dici, qui patrem & filium æquales asserunt esse. RESPONSIO. Perturbant quidem mentes, aut ignauas, aut insçias, qui voluerint patrem & filium ingenitos dicere. Sed non hoc faciunt, qui cognoscũtur æquales patrem & filium prædicare. In duobus enim ingenitis diuersa diuinitas inuenitur. In vno autem ingenito, ex vno ingenito, naturalis vnitas demonstratur. Duo quippe ingeniti, non possunt vnam habere naturam, vbi nec vnus in vno veram ex se generationem inuenit, nec vnus ex vno vere in se substantiam natiuitatis agnoscit. Nos autem patrem & filium, nec duos ingenitos dicimus, nec

Rom. 14. c

5 Obiectio Cõtra æqualitatem patris & filij.

Responsio, quod æquales quidem sunt, nõ tamen ambo ingeniti nec ambo geniti.

nec duos genitos appellamus, nec personaliter confundimus, nec substantialiter separamus. Et ideo æquales sine ambiguitate dicimus, quia diuersos à se nullatenus inuenimus. Vnus vnum genuit, vnus de vno natus est. Et quia de incommutabili patre incommutabilis filius extitit, & pater æternus & perfectus, coæternum perfectumq; filium genuit: propterea filius veram, quam habet ex vero patre substantiam, nec minorem habere potuit, nec diuersam. Contumelia est quippe diuinæ naturæ, si pater filium generans, non potuit esse in filio, quãtus permanet in seipso. Et genitori (quod nefas est) potentiæ naturalis adimitur, si filio paternæ substantiæ æqualitas abnegetur, cùm hanc Apostolica doctrina non taceat, Euangelista Ioanne dicente: Propterea volebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluebat sabbatum: sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Quam æqualitatem, non maliuola Iudæorum aduersitas (sicut quibusdam videtur) obiecit, sed Euangelistæ veridica prorsus auctoritas declarauit. Qui sicut vere dixit, Iesum soluisse sabbatum, vere etiam patrem suum dixisse Deum, ita vere dixit per professionem paterni nominis, æqualem se fecisse diuinitati & omnipotentiæ genitoris. Hanc æqualitatem in se ipse verus filius prædicãs & demonstrans, ait: Ego & pater vnum sumus. Et alio loco: Omnia quæ pater fecit, eadem & filius fecit similiter. Idem ipse dicit: Pater clarifica filium tuum, & filius clarificet te. Et alio loco: Vt omnes honorificent filium, sicut honorificãt patrẽ. Et alia multa, quæ prolixitatẽ vitãtes omisimus. Æqualem se itaq; Deo per professionem paterni nominis facere, vnum cum patre esse, Omnia quæ pater facit, eadem similiter facere, Clarificatus & ipse clarificare, æqualitatẽ sibi paterni honoris exigere: sicut minori non competunt, sic æqualẽ, remoto scrupulo dubi-

Contumelia Dei foret, filium non esse æqualem patri.

Ioan. 5. e

Ioan. 10. Ioan. 5. e

Ioan. 12.

Ioan. 5.

6. Obiectio quod aliud sit pater luminis, & aliud lumē.

dubitationis, ostendunt. OBIECTIO. *Interea dum de lumine dicitur, non intelligunt quod scriptum est, quia alius est pater luminis, & alius est qui lumen est appellatus, & lucet in tenebris, & tenebræ eum non comprehenderūt. Idcirco debet aduerti, quid lex mandat vel instruit mentes hominum. Quia inter illum auctorem luminis, & istud lumen in tenebris lucens, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per quod vita factus est filius, & lux est ostensus hominum, illo qui ostenditur factus, non esse*

Responsio, quod substantialiter vnum lumē sunt pater & filius

pater, æqualis esse non posse. RESPONSIO. *Hoc semper patris & filij demonstrat æqualitas, vt quicquid fuerit derogationis vel honorificentiæ, simul sit vtrique commune. Quo fit, vt dum contra fidei normam, filius à patris æqualitate discernitur, magis patri quàm filio detrahatur. Quod huius loci manifestius demonstrat assertio, qua dum filius solus lumen appellari creditur, ipsi patri, qui lumen genuit, nomen luminis abnegatur. Qui autem non substantialiter possidet nomen luminis, non potest habere substantialiter vocabulum deitatis. Beatus quippe Ioannes Apostolus di-*

1.Ioan.1.b

cit: Quoniam Deus lux est. Si ergo qui Deus est, lux est: qui lux non est, Deus non est. Quare lumen ex lumine credendus est filius, quia de Deo natus est Deus: ne dum solus filius lumen dicitur, Deus pater intolerabiliter blasphemetur. Ac ne putemus patrem coniectura magis quàm veritate lucem dicere, necesse habemus, hoc quoque testimonijs approbare. In sanctis

Sapien.7.d

eloquijs de sapientia dicitur: Omnium mobilitantium mobilior est sapientia. Attingit autem vbique propter suam munditiam, vapor est autem virtutis Dei, & manatio quædam claritatis omnipotentis Dei syncris. Et ideo nihil inquinamenti in illam incurrit, candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Candor lucis æternæ sapientia dicitur, quam lucem æternam patrem esse, vniuersa Christianitas profitetur. Quod si forte aliqui putant, istam lucem æternam, cuius sapientia candor est, patrem accipi non debere: Necesse est, vt dum Deū patrem lucem æternam denegāt, aliam lucē æternam quærant, cuius esse candorem sapientiam, euidenter ostendant. Sed ipsi nouerint, quomodo possint, aut lucem, quæ Deus non sit, aut alteram lucem, præter sapientiam, quæ Deo coæterna sit, inuenire. Cognoscatur ergo lux esse pater luminis, vt saltim sic filius patri non dubitetur vel negetur æqualis. Vno iam testimonio Deū patrem lucē esse docuimus, melius est si id ipsum Apostolica quoque prædicatione monstremus. Beatus Paulus filios Dei nos esse testatur dicens: Quicunq; spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filij Dei. Ioannes etiam Euangelista dicit: Quotquot autem crediderunt in eū, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Vt igitur B. Paulus Deū cuius filij sumus, lucem esse monstraret, eosdem filios, lucis quoq; filios appellauit, ita dicēs: Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos dies ille, tanquam fur, comprehendat: omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei. Et filius ad discipulos: Vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est. Ipsum vero filium lucem esse, nullus poterit abnegare. De quo Euangelista dicit: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et rursus: Et vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ipse quoque filius, lucem se esse propria voce testatur: Ego sum (inquiens) lux mundi. Vt autem agnoscatur pa-

Nos sumus filij lucis, ergo pater noster lux est. Roma.8.

Ioan.1.

1.Thess.5.

Matth.5.f

Ioan.1.a

Ioan.8.

1.Ioan.1.b

tur pater in filio, lumen in lumine esse, in Ioannis testimonio perdocetur, qui ait: Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Atque subiunxit: Si in lumine ambulamus, sicut & ipse est in lumine: societatem habemus ad inuicem. Quod vt se de patre dixisse monstraret, adiunxit: Et sanguis Iesu filij eius mundat nos ab omni peccato. Patrem, quem lucem dixit, in lumine esse asseruit. Quod ergo istud est lumen, in quo pater est lumen, nisi lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Ostensum est igitur, patrem esse lumen, sicut est filius lumen. Demonstratur etiã filius dies, sicut & pater est dies, Pro-

Psalm.95.a

pheta dicente: Euangelizate diem ex die salutare eius.

Ioan.14.b

Quapropter agnoscatur pater esse in filio lumine, & filius in patre lumine, ipsõ de se lumine protestante: Ego in patre, & pater in me. Tanquam diceret: Ego in lumine, & lumen in me. Et vbi non inuenitur diuersitas luminis, nõ negetur æqualitas deitatis: Ne dum Deus lux esse Apostolica prædicatione dicitur, ille qui lumen esse non dicitur, Deus etiam esse (quod nefas est) abnegetur.

7.Obiectio Cum alius sit pater & alius paraclitus, quod non sit vna natura in tribus.

OBIECTIO. Amisimus superfluas rationes, quæ fastidium non facerent auditoribus, & ad hoc responsum est, ad quod sententia inquirebat expositionem. Et quia inter patrem & filium distantia est, & quod dicitur, non est, eo quod inter illos differentia non sit. Ipse Saluator dicit, qui credendus est: Alius est qui testimonium perhibet de me. Item ipse filius dicit de Spiritu sancto: Et alium paracletum mittam vobis. Alium dixit patrem, & alium dixit esse paracletum, & tamen non aduertuntur diuina iura & sacramenta, efficiuntur homines paganitatis professores, qui ante aduentum Saluatoris dixerunt Homousion. Quorum & hæretici facti sunt professores, cum asserunt, patrem & filium & spiritum sanctum vnum esse Deum.

Deum. RESPONSIO. Vera fides nunquam superfluas, sed rectas semper habet & habuit rationes, nec ex his aliquod fastidium nascitur, si modo absq; contentionis studio veritas audiatur: quæ ob hoc alium dixit patrem, vt personas discerneret, non, vt substantialem distantiam demonstraret. Nam cùm alium dixit, ostendit propriam habere personam. Patrem vero nominans, demonstrauit se vnam cum eo habere substãtiam, hoc modo. Si enim pater qui testimonium perhibet filio, vere alius est, vtriusque persona discernatur. Vere & pater est, vt substantialis vnitas demonstretur. Quod si vera est paternitas patris, vera est etiam natiuitas prolis. Et si est filij vera natiuitas, inter patrẽ filiumq; substantialis non potest esse diuersitas. Vera enim & æterna substantia, de qua vera natiuitas extitit, sicut generando minui diuidiq; non potuit: ita in se tota permanens, totam se coæternæ veritati natiuitatis indulsit: vt scilicet gignentis genitiq; non solum æqualitas absque diuersitate consisteret, sed etiam sine confusione detrimentoq; naturalis vnitas permaneret. Diuinæ quippe natiuitatis & nomen & veritas, sicut discretam monstrat gignentis genitiq; personam: sic diuersam non sinit putari substantiam. Alius ergo propterea dictus est pater, vt generationis veritas mõstraretur, non, vt putaretur aut prior aut potior. Nam si potiorem accipere debemus, quem audimus alium dici, compellimur etiam paracletũ spiritum, pro eo quod alius dictus est, potiorẽ filio confiteri. Sicut enim patrem alium filius dixit, ita paracletum alium nuncupauit. Si placet igitur, & hoc fidei veritas exigit, vt melior putetur, qui alius dicitur, quoniam pater alius est dictus, & alius paracletus. Ex hoc iam filius subijciatur ambobus, vt saltim sic paracletus coæquetur patri, qui pro eo quod alius nuncupatus est, filio dicitur anteponi:

Responsio. Est alius pater, aliusq; paracletus, solum personali non substantiali differentia.

Vera & æterna filij natiuitas ex eadem substantia in qua pater est.

Cur alius dicitur pater.

Vt huius communione pronominis, in patre & paracleto demonstretur communio deitatis. Si autem paracletus licet alius dicatur, tamen filio non præfertur, nec pater ideo præferendus est filio, quia alius dicitur. Hoc enim pronomine, personarum ostenditur discretio, non naturæ. Denique ne fidei ambiguitate, veritatis regulam deserentes, per deuios circumferamur errores, ipse dominus nobis, & vnam se cum patre retinere substantiam, & alteram se demonstrauit habere personam, dicens in Euangelio: Ego & pater vnum sumus. Quod dictum hi qui diuinæ vnitatis in patre & filio significationem tenuare contendunt, non ad substantialem vnitatem, sed ad voluntatis studeant referre cõcordiam. Quod si sic dominus vellet intelligi, posset dicere: Ego & pater vnum volumus, non, ego & pater vnum sumus. Sed nunc eligat quisque quod velit, vtrum in Deo aliud putet esse, & aliud velle, an hoc credat esse quod velle, vt ei possit huius dicti dominici manifestius veritas apparere Si enim aliam dixerit in Deo voluntatem, quo velle dicitur, & aliam essentiam, quæ esse cognoscitur: ad voluntatem referri non potest, quod secundum essentiam dictum est, Ego & pater vnum sumus. Esse enim ab essentia dicitur. Si autem hoc in Deo (sicut certum est) putatur esse, quod velle, dum voluntatis vnitas asseritur, substantialis etiam vnitas non negetur. Vt & in eo, quod dixit, sumus, agnoscatur non aliud esse quàm pater est: & in eo, quod dixit, sumus, agnoscatur non ipse filius esse qui pater est. Hanc Patres nostri, per omnia Christi sectati doctrinam, vnius esse substantiæ patrem filiúmque dixerunt. Quod Græcè Homousion dictum est, illa scilicet ratione, quoniam in Græcia, noua tunc emerserat hæresis, quæ vnigenitum separare nitebatur à substantia genitoris. Ad hoc vt quisquis illam doctrinam reciperet, non creatoris cultor, sed creaturæ potius appareret. Mirum autem est, quod in hoc nomine sonus tantum à quibusdam attenditur, nec dicti intelligentia vestigatur, cùm pleraque non sint antiquitus dicta, & pro temporum causarumq; oportunitatibus professioni fidei reperiuntur inserta. Sicut ingenitus pater, nusquam in scripturis Canonicis legitur, & tamen secundum fidei veritatem ingenitus prædicatur. Aduersus Sabellium scilicet, qui patrem filiúmque, non communione substantiæ vnum intelligit, sed personali singularitate confundit. Quod si sonus, non sensus, consyderatur in verbis, non censeatur ecclesia nomine catholico, quod nec in veteri, nec in nouo reperitur positum testamento. Si vero hæc omnia, cum in nullo sint canonico volumine, digne tamen tenentur in fide, quur nobis in Homousion putetur prohibendum, non sonum dicti consyderare, sed sensum? Nec attendere nouitatem verbi, sed virtutem intelligere sacramenti? Mirum est autem, eos qui pro vnius substantiæ credulitate, volunt nos homousianos dici, quomodo se nolunt triusianos, pro tribus & diuersis substantijs, appellari. Quamuis etsi tali nomine censeri fugiant, cum hoc eos tamen esse, qualitas suæ credulitatis ostendat. Digne itaque patrem & filium & spiritum sanctum, personarũ proprietate seruata, vnum colimus Deum: quoniam fides vera, nec tres deos recipit, quod faciunt Pagani multicolæ, nec Deum suum creatum asserit, quod cultores prædicant creaturæ.

Ego & pater vnum sumus. Ioan. 10. f

Homousiõ a patribus, non ex scripturis, receptum est.

Homousiani. Triusiani.

OBIECTIO. *Scelus & valde esse blasphemum aduertant homines, qui salutaria præcepta cupiũt sectari. Nam falsitas professionis nunquam prodesse eis poterit, quam quærũt iniuriando Deum per blasphemiam colere vel venerari, si ab hominibus non toleratur iniuria, ab ipso domino auctore qualiter poterit tolerari? Ostendit enim circa infideles suam obiurgationem, dicendo.*

8. Obiectio quod fiat Deo iniuria per cultum filij.

Responsio, maior esset iniuria, si filius minor patre existimaretur.

cendo: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. RESPONSIO. Apostolica fides Deum non iniuriat, sed honorat, quæ diuinam substantiam nec minorari potuisse asserit, nec mutari. Et ideo filium æqualem patri prædicat, quoniam vna vtriusque substantia, perfectionis suæ plenitudinem in vtroque cõseruat. Tunc ergo Deo infertur iniuria, quãdo per diuersitatem diuinitatis cum creatore colitur creatura. Cum creationis nomen in eo sit tantum accipiendum in filio, quod pro redemptione hominum, ex hominibus factus

Neque spiritus sanctus creatura est.

est homo. Spiritum quoque sanctum, si creaturam dominus vellet intelligi, nunquam præciperet sibi & patri, in sacramento baptismatis copulari, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizate eos in nomine patris & filij & spiritus sancti.

9. Obiectio Ex vtero ante luciferũ genuite.

OBIECTIO. De generatione autem eius quod dictum est: Ex vtero ante luciferum genuite. Quis dubitet de carnali natiuitate fuisse dictũ? cum ipsa antescriptio ostẽdat tibi ad intelligendum eum, dicit Propheta: Quòd in splendoribus sanctorum ante luciferum genitus sit. Et splendor sanctorum præconium ostenditur esse prophetarum. Et eorum vaticinatio de eo fuisse adimpleta, vt cum manifestaret ipsam esse, & propheta dicendo: Ex vtero ante luciferum genuite, & splendidum contigit, quod per virginem nasci eum os propheticum ante dixit. Quis dubitet hanc natiuitatem ita contigisse, vt scriptura memorat?

Responsio, quod id nõ de carnali, sed diuina Christi natiuitate debet intelligi Psalm. 109.

RESPONSIO. Multum fallitur, qui huius scripturæ locum, diuinæ natiuitati non credit cõuenire. Et audiens Deum dixisse, Ex vtero ante luciferũ genuite, quia in Deo carnalis vterus non potest credi, æstimet huius loci sensum ei tantummodo generationi, quæ secundum carnem est, coaptandum, cùm præcedes versus, diuinæ magis intellectum generationis insinuet, quo pater dicit ad filium, Tecum principiũ, vt agnoscatur patrem

trem & filium vnum esse principium. Nomen vero veteri trãslato vocabulo dictum est, quo ipsa diuina significaretur natura. Sicut corporalibus nominibus incorporalis substãtia Dei assolet nominari: Vt sensus hominum consuetis naturæ suæ vocabulis, ad intelligentiam diuinitatis possit adduci. Dicũtur enim oculi Dei omnia videre. Sicut scriptũ est: In omni loco oculi Dei speculantur bonos & malos. Quis autẽ dubitet, ita Deum per naturam suam totã videre, sicut eũ per naturæ infinitatẽ omnia fatemur implere? Sed & diuersa corporalium membrorũ vocabula, ob hoc in Deo inuenimus, vt dictũ est, nominari, vt per harũ rerũ efficiẽtias, substantiæ ipsius incorporalis proprietas possit intelligi. Sic ergo & hic se dixit ex vtero filiũ genuisse, vt quę audimus ex vtero genitũ, à natura patris nullus æstimet alienũ.

Nomen vteri, hic pro natura diuina ponitur.

Prouer. 15.

Quod autem ante luciferũ dixit, ostendit filij natiuitatẽ perpetuã initio temporali nõ esse subiectã. Lucifer enim stellæ vocabulũ est, & in initio mundi, cùm Deus luminaria & sydera condidisset, iussit ea esse in dies & menses, & tẽpora & annos, quibus nominũ circulis tẽpus omne reuoluitur. In splendoribus autẽ sanctorũ, non rectè intellecta sunt vaticinia prophetarũ. Splẽdor enim sanctorũ, nõ in officio prædicationis, sed in resurrectionis claritate cõsistit. De quo splẽdore dominus dicit: Tunc iusti fulgebũt sicut sol in regno patris sui. Hunc splendorẽ futuræ resurrectionis, his verbis etiã Daniel propheta cõmemorat: Et multi dormientiũ in terræ fossura, in opertione exurgẽt, hi in vitã æternã, & hi in opprobrium & confusionẽ perpetuã: Et intelligentes splendebunt, vt splendor firmamẽti: Et ex iustis multi, sicut stellæ in sęcula. Hic autẽ splendor tũc sanctis à domino tribuetur, quãdo secundũ Apost. dictũ reformabit corpus humilitatis nostræ, conforme corpori claritatis suæ. In hoc ergo splẽdore, tunc integrè sancti intelligẽt patrẽ & si-

Ante luciferum.

In splendoribus sanctorum.

Matth. 13.

Dan. 12. a

Phil. 3. d

& filium vnum principium esse: nec à se inuicẽ vel substantia vel maiestate distare. Licet ergo confiteamur filium secundum carnem ex vtero virginis procreatum, non tamen ambigimus de vtero patris, id est, de patris substantia genitum. Imò sic confitemur filium de vtero Dei verum Deum natum esse, sicut de virginis vtero verum non dubitamus hominem processisse: ne (quod absit) si de matris substantia verus homo natus credatur, & verus Deus de patris substantia denegetur, potior æstimetur humana natura, quæ id quod est, procreare potuit, quàm diuina substantia, quæ verum Deum generare non valuit.

10. Obiect. quod non recte duo an tres dicãtur vnus.

OBIECTIO. *Non est nimium dedecus, vt fraudibus propriis decipiatur male intelligens animus, vt aliquãdo duo dicantur esse vnus, aliquando tres vnus? Nunquid non occurrit beneficij munus, quando vnus non est cum duobus designatus? Ludibriũ est credere, ex tribus partibus Deum vnum constare, cum adhuc, quod peius est, dicitur de eis, quòd sic credendus est vnus Deus, cum non sit ipse pater qui filius, non ipse filius qui spiritus sanctus. De quibus profitentur differentias inter se habere, honorem verò vnusquisque suum non posse habere, nisi malignum pectus eos in vno Deo inueniatur copulare.*

Responsio. rectissime tres personæ dicũtur vnus Deus.

RESPONSIO. *Nullis fraudibus aut propriis aut alienis decipitur, qui Deum vnum sic colit, vt in Trinitate nouerit nec personas confundere, nec substantiam separare. Et illam vnam naturam vnum Deum intelligit, in qua æternitatem veræ diuinitatis agnoscit. Dicitur enim nobis: Audi Israel, Dominus Deus tuus,* Deut. 6. *dominus vnus est. Item, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Quod si dominum Deum, solum patrem accipere debemus, filio ergo nec vt Deo seruiamus, nec eum adoremus. Quicquid enim ad naturam domini Dei solius non pertinet, vt Deus à nobis ado-*

adorari non debet. Quid autem dicturi sumus de filio? quem in cælis omnesq; virtutes adorant semper & laudant in tantum, vt etiam in forma serui positum, & propter passionem mortis, paulo minus ab angelis minoratum, adorare angeli iubeantur, Moyse dicẽte: Lætamini cæli simul cum eo, & adorent eum omnes angeli Dei. Hominũ quoque adorationem Dauid diuinitus inspiratus, adiungens ait: Adorabunt eum omnes reges Psalm. 71. *terræ: omnes gentes seruient ei. Quomodo ergo & ab hominibus & ab angelis adoratur, si ab vnius Dei substantia separatur? Quomodo illi seruitutem, quæ Deo tantum debetur, audemus exhibere, si vna non est illi natura cum patre? Nam quia vnus est Deus, ita nobis dicitur per Prophetam: Ego Deus, & non est alius* Esa. 45. d *præter me, iustus & saluans, non est alius præter me. Conuertimini ad me, & salui eritis, quia ab extremo terræ ego sum Deus, & non est alius. Per meipsum iuro, quoniam exiuit ex ore meo iustitia, & verba mea non auertentur. Mihi enim inclinauit vniuersitas genu, & iurauit omnis lingua per Deum. Ecce Deus, qui in hoc loco se tantum dicẽs Deum, præter se alium non esse testatur. Quod si quisquam omnem hic noluerit Trinitatem accipere, cogetur hanc vocem soli filio deputare. Quis enim Deus, præter quem alius non est, nisi ille cui Esaias dicit: Laborauit Ægyptus, & mer-* Ibidem e *catus Æthiopũ, & Saba viri excelsi ad te transibunt, & tui erunt serui, & post te sequentur alligati vinculis, & adorabunt te, & in te deprecabuntur, quoniam in te est Deus, & non est Deus præter te. Tu enim es Deus, & nesciebamus: Deus Israel saluator. Erubescẽt & pudebunt omnes qui aduersantur ei, & ibunt cum confusione. Ecce in ipso est Deus, & præter ipsum non est Deus, & ipse est Deus Israel saluator. Superius autẽ is qui dixit, Ego Deus, & non est alius præter me,* Psalm. 44. e *adiun-*

Nõ solum pater Deus est, sed & filius & spiritus sanctus.

Universidad de Deusto Biblioteca

adiunxit: Iustus & saluans, non est alius præter me. Quis autem iustus est? nisi cui Dauid dicit, Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. Quis verò est saluãs? nisi de quo angelus in somnis ad Ioseph locutus est dicens, Ioseph fili Dauid, Noli timere accipere Mariam coniugem tuã, quod enim in ea natũ est, de spiritu sancto est: pariet autem filiũ, & vocabis nomẽ eius Iesum: ipse enim saluũ faciet populũ suum à peccatis eorum. Cui verò conuenit dicere: Conuertimini ad me, & salui eritis: quia ab extremo terræ ego sum Deus, & non est alius, nisi filio? De quo Dauid dicit: Reminiscentur & conuertentur ad dominũ vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius omnes patriæ gentiũ. Quod ergo sequitur, Per meipsum iuro: quis hoc credendus est dicere? Nisi qui hoc modo inuenitur Abrahæ ante iurasse. Hunc autem non patrem, sed filium asserunt, qui filium à patre secundum diuinam naturam, minorem prædicare contendunt. Iste autem Deus, qui per semetipsum iurat, vtrum maiorem se habeat, Paulus nobis beatus ostendit, qui ad Hebræos scribens, ait: Abrahæ namq; promittẽs Deus, quoniã neminẽ habuit, per quẽ iuraret maiorẽ, iurauit per semetipsum, dicẽs: Nisi benedicẽs benedicã te, & multiplicãs multiplicabo te. Iste ergo Deus, qui per semetipsum iurat, quoniã neminem habet, per quẽ iuraret, maiorem. Quid sequitur videamus: Quoniã exibit, inquit, ex ore meo iustitia, & verba mea nõ auertẽtur. Mihi enim inclinauit vniuersitas genu, et iurauit omnis lingua per Deũ. De cuius ore ergo exiyt iustitia? nisi eius, de quo dixit Esaias, Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascẽdet, & requiescet super eũ spiritus domini. Et post paulũ: Iudicauit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mãsuetis terrã. Sequitur deinde: Iste Deus præter quẽ non est alius, & dicit, Verba mea nõ auertẽtur.

Matth. 1.c

Psalm. 21.f

Per meipsum iuro.

Heb. 6.c

Esa 45. Exibit ex ore meo iustitia.

Esa. 2.a

Esa 45.

Cuius

Cuius autẽ hæc vox est, nisi illius qui in Euãgelio dicit, Cælũ et terra transibũt, verba autẽ mea nõ transibunt? Itẽ adiungit Deus iste, præter quẽ non est alius, & dicit: Mihi enim inclinauit vniuersitas genu, & iurauit omnis lingua per deũ. Hoc autẽ de quo intelligi debeat, Paulus nobis, magisterio Christi doctus, ostendat, qui scribẽs ad Rom. sic ait: Nemo enim nostrũ sibi viuit, & nemo sibi moritur: siue enim viuimus, domino viuimus: siue morimur, domino morimur: siue ergo viuimus, siue morimur, domini sumus. Et vt se de Christo dixisse mõstraret, adiũxit: In hoc enim Christus et mortuus est et resurrexit, vt & mortuorũ & viuorum dominetur. Tu autẽ quid iudicas fratrẽ tuũ, aut tu quare spernis fratrẽ tuũ? Omnes enim stabimus ante tribunal Dei: statimq; hoc propheticũ subiycit testimoniũ dicẽs, Scriptũ est enim: Viuo ego, dicit dominus, quoniã mihi flectetur omne genu, & omnis lingua cõfitebitur Deo. Ante tribunal verò Christi, nos adstaturos ipse denuò testatur, dicẽs: Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi: vt recipiat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonũ, siue malũ. Ipsi quoq; omne genu flectendum, idẽ docet Apost. dicens: Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestiũ, terrestriũ, & infernorum: Et omnis lingua cõfiteatur, quia dñs Iesus Christus in gloria est Dei patris. Iam nũc omnia quæ superius dicta sunt, denuo cõsideremus. Dicit Deus: Ego Deus, et non est alius præter me. Et in persona filij dicit Esaias, Quoniã in te est Deus, & præter te nõ est Deus. Tu enim es Deus, et nesciebamus. Deus Israel saluator. Deus autẽ Israel Deus vnus est. Sequitur autẽ. Cætera quæ testimonijs supradictis ad filium ostendimus pertinere. Ipse enim per semetipsum iurat, neminẽ habẽs maiorẽ. Ipse populũ suũ saluat. Ipse iuste iudicat. Ipsi flectitur omne genu cælestiũ, terrestriũ, & infernorũ. Ipsi omnis lingua

Matt. 24.c

Rom. 14.b

Esa. 45.d

2. Cor. 5.

Philip. 2.b

Epilogus huius respõsionis decimæ.

gua confitetur, à quo est retributio reddenda factorũ. Ipse ergo, de quo hæc omnia dicuntur, per prophetam dicit: Ego Deus, & non est alius præter me. Nunquid nam Deum istum, præter quem alius non est, ita solum filium accipimus, vt ab eo patrem & spiritũ sanctum separemus? Absit. Hoc enim impossibile est. Nam præter Deũ patrem Deus filius non est, quia de patre est, & in patre est. Præter patrem & filium Spiritus sanctus non est: quia patris & filij spiritus est, & in patre & in filio est. Vnde cognoscitur, quoniam ista Trinitas vnus dominus Deus est, de quo dicitur, Audi Israel, dominus Deus tuus, dominus vnus est. &: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Huic domino etiam Esaias Propheta dicit: Domine præter te alium non nouimus, nomen tuum nominamus. Hoc autem nomen Saluator noster ostendit, dicens discipulis suis: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Istud est nomen domini, præter quem alium non nouimus, & cuius nomine nominato, à morte liberamur, de potestate tenebrarum eruimur, vt in regnum filij transferamur. In patre ergo & filio & spiritu sancto vnitatem substantiæ accipimus, personas confundere non audemus. Beatus enim Ioannes Apostolus testatur dicẽs: Tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo, Pater Verbum & Spiritus: Et tres vnum sunt. Quod etiam beatissimus martyr Cyprianus in Epistola de vnitate Ecclesiæ confitetur, dicens: Qui pacem Christi & concordiam rumpit, aduersus Christum facit: qui alibi præter ecclesiam colligit, Christi ecclesiam spargit. Atque vt vnam ecclesiam vnius Dei esse monstraret, hæc confestim testimonia de scripturis inseruit: Dicit dominus, Ego & pater vnum sumus. Et iterum: De patre & filio & spiritu sancto scriptum est: & tres vnum sunt. Nam & in libro

Deut 6. a.

Matt. 28. d

Ioan. 10. f
1. Ioan. 5.

Beatiss. Cyprianus lib. de simplicitate Prælatorum: vel secundum vetusta exẽplaria, De vnitate Ecclesiæ Catholicæ.

libro de Oratione dominica, vt ostenderet Trinitatem vnius deitatis esse, nec inter se aliquã diuersitatem habere, Danielem & tres pueros, ternarum horarum circulis reuolutis, oratione fundere solitos memorauit. Vbi & in trium horarũ curriculo, & in vnius orationis officio, vnum Deum esse Trinitatem euidenter ostendit. Non ergo ex tribus partibus vnum colimus Deum, sed Apostolicæ fidei regulam retinentes, perfectum & consempiternum filium, de perfecto & sempiterno patre, sine initio genitum, & potestate non imparem, & natura fatemur æqualem: Sanctum quoque spiritum non aliud fatemur esse quàm Deum, nec à filio, nec à patre diuersum, nec in filio, nec in patre confusum. Vnus est enim, atq; idem patris & filij spiritus, totus de patre procedens, totus in vtroq; consistens, nec est diuisus in singulis, quia inseparabiliter est vtriusq; communis.

Idem in orationem Dominicã.

B. FVLGENTII AD TRASIMVNDVM REGEM VANDALORUM, in Aphrica, Liber primus, de mysterio mediatoris Christi, duas naturas in vna persona retinentis.

CAPVT I.

Liber à Rege destinatus Fulgentio.

TRIVMPHALIBVS tuis sensibus, piissime Rex, nequaquam crediderim obliuione subtractum, quod nuper mihi quoddam volumen, baiulo Felice, præceperis destinari, iubens me illico respondere. Cuius, quia tanta fuit prolixitas, vt egeret aliquanto diutius recenseri, & diurni finis aderat, nocte propinquante, curriculi, vix eiusdem voluminis principia citatæ delibans lectionis

ctionis excursu, poposceram, vt ad cuncta plenæ recensitionis ordine perlegenda, noctis vnius nobis spatium fuisset indultum. Quod vestræ mansuetudinis voluntas omnino statuit abnegandum, ita, vt nec saltem ad residua perlegenda scripturæ nobis præcepisses attribui. Ego vero, cùm spacio quorundam dierum ordinationem tui culminis præstolarer, ac deinceps interrogationis illius tenore subtracto, sola fuisset à nobis flagitata responsio, pauca, quibus, domino adiuuante, nostri paruitas sufficit ingenij, de eadem interrogatione, quam ex principio tenuiter cognoui, vestræ recensendam mansuetudini destinaui: Ne forsitan aut fastidio putarer tumidus, aut taciturnitatis culpa iudicarer obstrictus, quem vestra celsitudo suspicaretur aut superbia responsionem nõ reddere, aut veræ fidei diffidentia tacuisse. Nam studio vestro, clementissime Rex, compertum esse non ambigo, apud eos, qui Christianæ gratiæ participatione redempti sunt, penè id esse, fidem nolle asserere, quod negare. Quippe cum ipse vnigenitus Deus, humani generis conditor & redemptor, sicut se confessurum confitentem, se negaturum negantem, certa prorsus denuntiatione testatur, dicens: Qui me confitebitur coram hominibus, cõfitebor & ego eum coram patre meo qui est in cælis. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui est in cælis. Ita denuo erubescentẽ se suósque sermones, ipse quoque in sua maiestate veniens erubescet. Cuius dicti normam, tali Lucas sententia cognoscitur posuisse, vbi huius confusionis sic exitiale firmat * taciturus silentium, vt erubescentem perditioni non sileat mancipandum. Inter alia dominum hæc dixisse commemoras: Quid enim proficit homini, si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat? Causamq; huius perditionis insinuans

Responsio fulgentij ex iussu regio.

Fidem nolle asserere, est fidem negare.

Matth. 10.

* taciturus

Luc. 9.c

insinuans adiecit: Nam qui me erubuerit, & meos sermones: hũc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & patris, & sanctorũ angelorum. Nec immerito talis seruus & abijcitur & punitur: quoniã vno eodemq; silentio firmat errorem, qui terrore seu tepore possessus, silendo non adstruit veritatem. Dominicam quoque gloriam qui non firmarit, euacuat: & diuinam contumeliam qui non refutarit, adcumulat. Plerunque miles ignauus regia castra, somnolẽto corpore depressius, oppugnantibus tradit: dum competẽtibus excubijs non defendit. Hæc idcirco quàm maximè præmittenda, ne superbæ responsionis aliquatenus notare tua pietas velit, cui ipsa respondẽdi necessitas officium liberæ responsionis imponit. Nam cùm de Deo res agitur, non leuis reatus est, si quod ad salutem pertinet, taceatur. Ita namq; nos oportet corde ad iustitiã credere, vt oris confessio fiat pariter ad salutẽ: quoniam verbum Dei non est vinctum. Huc accedit, quod illud diuinæ præceptionis oraculũ, omnis ecclesiastici prædicatoris personam, non tãtum fidei, sed etiam seruitij quadã communione perstringit, dicente domino: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuã. Quod Esaiæ cùm dicitur, in vno pluribus imperatur. Ipso vnigenito Deo discipulis loquẽte, Quod vni vestrum dico, omnibus dico. Propterea nos etiam beatus Petrus ad respondendum paratos esse debere, paternæ iubet dilectionis instinctu. Parati, inquiens, semper ad respondendum omni poscenti vos rationẽ de fide et spe, quæ in vobis est. Cùm omni poscenti rationem fidei speiq; nostræ præcipimur reddere, cessat prorsus vniuersæ tam dignitatis exceptio quàm personæ. Cui enim veritatis insinuatio deneganda putabitur, cùm se loquutum sine cõfusione coram regibus propheta testatur dicens: Loquebar in testimonijs tuis in conspectu regum, & non confundebar?

Respondẽdi necessitas etiã ex præcepto diuino.

Esa. 58.a

Marc. 13.d

1. Pet. 3.c

Psalm. 118.

CAPVT II.

In respondendo habenda est ratio regiæ dignitatis.

QVocirca cùm pro nostra fide, inquantum facultatem diuinitus accepimus, libere respondemus, nulla contumaciæ seu contumeliæ debemus suspicione notari: cùm nec nostræ humilitatis, nec regiæ simus dignitatis immemores, sciamusq; Deo timorem, honorem regibus exhibendum, Apostolica ita nos præmonente doctrina: Reddite omnibus debita. & paulo post: Cui timorem, timorem: Cui honorem, honorem. Huius timoris honorisque manifesta nobis Beatus Petrus aperuit discretione notitiam, dicens: Sicut serui Dei omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem autem honorificate. Non autem parum clementiæ tuæ dilectionis exhibet & honoris, quisquis interroganti tibi hoc respondet, quod ad fidem pertinet veritatis. Competens igitur mansuetudini tuæ deferimus honoris obsequium, cui regalis apicem culminis diuina cernimus largitate collatum. Nec tamen quenquam sapientem fugit, quanto sempiternus ille rex regum, & dominus dominantium timore debeat suspici, qui temporales etiam reges percipit honorari. Hunc siquis parum metuit, valde contemnit: Huius qui non memorat honorificentiam, auget iniuriam: Nec ingrati refugit culpam, qui creatoris immensitatem perpetuam & perpetuitatem immensam, creaturarum putauerit qualitatibus æstimandam. Hoc benigna mansuetudo tua procul dubio perspicit, hoc ingenij studijq; tui sagacitas recognoscit, quam vere mirandam, quisquis nouit considerare, pronuntiat, non quod insolitum sit, hominem scripturarum studijs insistere, sed quod rarum hactenus habeatur, Barbari regis animum numerosis regni curis iugiter occupatum, tam feruenti cognoscendæ sapientiæ delectatione flammari, cùm huiuscemodi semper infatigabiles nisus, non nisi vel otiosus quis habere soleat, vel Ro-

Rom. 13.

1. Pet. 2. c

Deus plus timendus & honorandus quam rex temporalis.

Laus Barbari regis studio sapientiæ.

manus: per te clementissime rex, per te, inquam, disciplinæ studia moliuntur iura Barbaricæ gentis inuadere, quæ sibi velut vernacula proprietate solet insciticiam vendicare. Inuentus es, qui te ipso potior extitisses, dum sic Aphricano præsides moderando regimini, vt magis desyderes animæ spacia dilatare quam regni, hosti venerabilis rex, & (vt non ambigo) firma tenes sententia comprobatum quãto melioribus inhæreat commodis, qui veritatem desyderat nosse, quàm qui subactis gentibus, temporalis fines regni cupit latius propagare.

CAPVT III.

Studiũ regis erroneũ in Arriana perfidia.

MAgnum bonum confert inquisitio veritatis, quæ tamen tunc desyderato non frustratur effectu, si rectis ad veri cognitionẽ lineis animus innitatur. Tunc etiam veloci proderit ingenio cucurrisse, si tendentis ad veritatẽ gressus, nullo prauitatis teneatur errore. Qualiter autem salubris est credulitas æstimanda, quæ putat in eo cultum religionis diuinæ consistere, vt vel naturali veritate sit priuanda diuinitas; dum negatur in ea, quod non negatur in homine, vel cùm redemptionis nostræ peruertitur incerta confusione mysterium, vt dominum Christum, Dei & hominis filium: vel Deum de Patre naturaliter verum, vel hominem quis audeat negare perfectum, aut si subiacuisse diuinitas æstimetur passionibus hominis, vel non totus homo fuisse credatur in virtutibus deitatis: Ac sic, non dissimili veritas euacuatur errore, si vel in vna persona veri Dei verique hominis Christi, quod diuersum substantialiter constat esse, confunditur: vel in diuinitate patris & filij & spiritus sancti, substantiali diuersitate credita, quod vnum atq; indiuisibile Trinitatis est, separatur: cùm nec diuina simplicitas particularem sibi diuersitatem adscribi permittat, vnde non immerito compositi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tioni subiaceat, nec rationalis intelligẽtia cultu diuersitatis vllatenus egeat, quæ vnius tantũ simplicis sempiternæq; naturæ fidem, ad salutis suæ plenitudinẽ sat esse cognoscat? Vtpote quæ non ignoret, ipsum Deum sibi cælestibus oraculis intonare, Audi Israel, Dominus Deus tuus, dominus vnus est. Et dominum Deũ tuum adorabis, & illi soli seruies: & non erunt tibi dij absq; me. Sed nec illud est humanis mentibus ignorandum, quanto salutis mutetur æternæ dispendio, quisquis veri Dei proprio vnigenitoq; filio quantum ad diuinitatis attinet immensam sempiternamq; substãtiam, vel localis motionis, vel cuiusquã mutabilitatis nõ metuat impijs mortiferisq; contumeliam cogitationibus vel sermonibus irrogare. Vnde non immeritò Dauidici carminis illos ita condemnat eloquium, Dixit insipiens in corde suo, non est Deus: quia reuera si localis, non immensus: si mutabilis, non est Deus.

Deut.6.a

Psalm.13.

CAPVT IIII.

Errores hæreticorum ex malo intellectu circa mysterũ incarnationis 1.Tim.2.

CErtum est autem, penè omnes hæreticæ prauitatis errores hinc quibusdam multipliciter subrepsisse, dum magnum pietatis sacramẽtum, quod manifestum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mũdo, assumptum est in gloria, nonnulli aut non sicut est credunt, aut omnino non credunt. Et ille lapis, qui ab ædificantibus reprobatus, in caput factus est anguli, quibusdã praua credulitatis cæcitate possessis, lapis offensionis & petra scãdali efficitur. Vnde nõ immeritò, cùm Simeon infantem Christum templi dominum, ad templum suum præcepto suæ legis allatum, gaudens vlnis meruisset gestare senilibus, & figuram gerens præsentis æui, carnali senio iam defessi, nouum vetulus hominem sumeret, eum scilicet, qui solus posset ex peccatoribus

Luc.2.d

ribus longæuo dicenti, Tu es Deus saluator meus, & te expectaui toto die, non solum inolitam vetustatem demere, quin etiam iuuentutem, sicut aquilæ, renouare. Vtpote cui etiam Apostolica tuba foret veraciter canitura: Sicut est veritas in Iesu, deponere vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris: renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, eum qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Ille igitur Simeon, mundanæ cernẽs adesse salutationis ac renouationis effectum (non enim misit Deus filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum) cùm primum se vitæ præsentis angoribus precaretur absolui, dicens, Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace, Quia viderunt oculi mei salutare tuum, Quod parasti ante faciem omnium populorum, Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel: paulo post hoc de ipso testatur: Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum. Ibi ergo male credentibus ruinam perfidia generat, vbi recta credulitas fideles exaltat. In vno eodémque Christo, vero Dei veróque hominis filio, minus perspicientium tenebratur hactenus lippitudo, in quo illuminatis veri luminis claret manifesta cognitio. Inde est, quod Iudæus hominem Christum cæcus vidit, & cecidit: cui iam pridem Esaias non destitit prædicare, Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Quid vero essent non visuri videntes, subsequutus ostendit, dum Deum ex virgine nasciturum euidenti vaticinatione testatur. Ecce, inquiens, virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabitis nomen eius Emmanuel, quod interpretatur Euangelista, dicens:

Psal.24.b

Ephes.4.c

Ioan.3.d

Luc.2.d

Cæcitas Iudæorum. Esa.6.

Esa.7.b

dicens: Nobiscum Deus. Audiens ergo Iudæus, remansit surdus: & videns, magis factus est cæcus, à quo nec veri patris sempiternus atque vnigenitus filius creditur, & incorruptæ virginitatis fœcunditas abnegatur.

CAPVT V.

Error Manichæi circa carnem Christi.

HInc etiam Manichæus in Deo vero veram carnem formidat credere, cùm humanam carnem non vitiò culpæ, sed naturali credens proprietate pollutam, naturæ malignam sibi mendaciter fingit, tantam virtutem cæcus attribuit, vt si crediderit, verum Deum veram carnis assumpsisse naturam, diuinitatem, quam fallaci professione dicit inquinabilem, carnis non credat pollutionis expertem: & ideo in Christo carnis phantasiam credere maluit quàm naturam: & dum infirmitatem humanam, ab illa susceptam, medicinali virtute, non vidit: semetipsum miser à remedio salutis exclusit. Sed hæc impuræ demẽtia falsitatis, sancti spiritus præscientia resistente, prius est extincta quã genita. Incoinquinabilem sapientiæ statum his verbis instrumenti veteris serie commendante: Omnium mobilitatum mobilior est sapientia, attingit autem vbiq; propter suam mũditiam. Vapor est enim virtutis Dei, & manatio quædam claritatis omnipotẽtis Dei synceris, & ideo nihil inquinamenti in illam incurrit. Splendor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius: & cùm sit vna, omnia potest, & permanẽs in se, omnia innouat. De qua sapientiæ incoinquinabilitate, atq; incarnationis veritate securus ille, qui de pectore ipsius sapientiæ mysteriorum cælestium meruit intelligentiam illuminatus haurire, fiducialiter dicit: Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est: Omnis spiritus, qui non confitetur Iesum Christum in carne

Ex libro sapientiæ, refutatur error manichæi. Sapien. 7. c

Conuincitur ex epistola. 1. Ioannis.

1. Ioan. 4. a

carne venisse, ex Deo non est, Et hic est Antichristus. Fetulentæ quippe carnis inquinamenta non sensit, qui ad susciendam veram substantiam carnis, & ad eandem mundandam carnis fetulentiam venit. Quoniam ideo carnem immaculatam dignatus est sumere, vt carnem saluans, omnem posset carnis maculam submouere. Memorato rursus Ioane testante: Scimus, quia ille apparuit, vt peccata tolleret, & peccatum in eo non est. Iterum: In hoc apparuit filius Dei, vt soluat opera diaboli. Nam quia Dei opus vinculo tenebatur diabolici operis, apparuit filius Dei, vt illud solueret, hoc saluaret. Ibidem 3. a

CAPVT VI.

IGnorat etiam Fotinus magnum pietatis, quod Apostolus memorat, sacramentum, qui Christi ex virgine fatetur exordium, ignorans in vno Christo sic esse credendam veritatem carnis ex tempore, vt negandi non sit naturalis veritas sempiternæ diuinitatis ex patre. Et propterea non credit sine initio substantialiter Deum natum ex Deo patre, in quo carnis veritatem confitetur ex virgine: Non intelligens de patre Deo substantialiter natum illud verbum, quod in plenitudine temporum caro factum, habitat in nobis: quod secundum diuinam, quam habet ex patre substantiam, in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat. Quibus tribus Euangelistæ sententijs, & sempiterna verbi natiuitas, & personalis inconfusa proprietas, & indiscreta substantialis vnitas patris filiq; monstratur. Vt in verbo caro facto, & habitante in nobis, quod in principio erat, sempiternitatis agnitio, suspicionem cœptæ natiuitatis auferret: quod apud Deum erat, personæ vtriusque inconfusa proprietas, vnionem Sabelliani erroris excluderet: quod autem Deus erat essentialis nominis veritas, vnitatem substantiæ genito-

1. Thi. 3. d

Ex initio Ioannis multi confutãtur errores.

Deus erat verbum naturaliter, nō nuncupatiue solū

ris genitique monstraret. Non enim dixit Ioannes, Deus dictus est verbum: sed, Deus erat verbum: vt dū in Deo verbo essentiæ diuinæ veritas naturalis agnoscitur, consequenter non nuncupatiui, sed naturalis nominis veritas probaretur. Veritas enim naturæ nunquam priuatur nominis veritate. Ac sic illa verbi non prolatiui, sed substantialis verā incarnatio tunc salubriter creditur: si æternum verbum, quod carnem suscepit ex tempore, non initio existendi subditum; non persona cum patre confusum, non aliud natura credamus esse quàm Deum.

CAPVT VII.

Error alius negantium veram in Christo dei tatē simul & humani tatem.

SVnt etiam quidam in eo quamplurimum gratiæ saluatoris ingrati, quod in Christo, Deo scilicet vero, hominéque perfecto, sic se asserunt accipere Dei hominisque naturam: vt vnam falsam, alteram semiplenam non dubitent in Dei filio prædicare substantiam. Nam veram Christi deitatem nolunt credere, cuius ex Deo patre veram natiuitatē negant substantialiter extitisse: volentes Deo filio naturam veri nominis adimere, cui nequeunt nomē naturalis veritatis auferre. Dicunt enim in vnigeniti Dei nomine, non naturalem ex patris generatione substantiam, sed nuncupationem solius esse vocabuli donatione concessam. Humanā quoque naturam sic in Christo credunt, vt quod est melius hominis adimant: quod est inferius, hoc relinquant. Et minus considerantes magnum pietatis, quod Apostolus memorat, sacramentum, ab illa Mediatoris mirabili susceptione rationalem nitūtur animā separare, quam in mediatore Dei & hominū penitus asserunt non fuisse. Aliud quoque ab istis adiycitur memorato errori piaculum, quo confusionis admittunt teterrimæ cauponatum: Nam in vnitate personæ, (in qua Deus & homo vnus Christus, inconfusibilem atque inseparabilem vtriusque veritatem naturæ commendans, verum se Deum diuinis operibus, verúmque hominem humanis passionibus demonstrauit, in passibili habens, per quod homo creatus est sanus: passibile suscipiens, per quod sanaretur infirmus.) sic isti nescio qua deceptione fallūtur, vt quicquid dominus, veram formæ seruilis susceptionem monstrans, humiliter gessit aut dixit, totum ad contumeliā diuinitatis deriuare non metuāt, quam passioni mutabilitatis subiyciunt, dum vtriusque naturæ veritatem tam dictorum quàm operum manifestatione clarissima resplendentem, nulla consideratione distinguunt, non attendentes, vbi demonstretur infirmitas, ab inuicta & impassibili virtute suscepta, vbi per infirmitatē resplendeant inuictæ virtutis insignia: Atque ita diuini mysterij frustrare conantur effectum. Quia reuera homo saluari non potuit, si vel susceptor hominis naturaliter verus Deus non fuit, vel in Dei veri susceptione aliquid hominis defuit.

Error alius eorum qui humanitatis opera in deitatem male referunt.

CAPVT VIII.

Mediatoris duplex natura ex scripturis demōstranda.

ET vt omne submoueatur dubitationis ambiguum, in vna Mediatoris Dei & hominū, hominis Christi persona, perfectio diuinæ humanæq; substantiæ, propheticis est Apostolicisq; testimonijs demonstranda. Esaias, sicut supra memorauimus, dicit: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen eius Emmanuel: butyrum & mel manducabit, priusquam sciat aut proferat maligna, mutabit bonum, quoniam priusquam sciat puer bonum aut malum, nō credit malitiæ, vt eligat quod bonum est, & relinquetur terra desolata: quoniam priusquam sciat puer vocare patrē aut matrem, accipiet virtutē Damasci, & spolia Samariæ. In hoc testimonio tota cōtinetur salutaris mysterij plenitudo. Nā veritas carnis, in virginali cōceptu

cogno-

Ex verbis Esaiæ tria in Christo probantur, caro, anima, & diuinitas.

cognoscitur: & in electione boni, anima intellectualis ostenditur: & in Emmanuel nomine, vera deitatis natura monstratur. Ac sic in vero Deo nec falsa fuit hominis, nec semiplena susceptio. Dignum etenim fuit, vt in sacramento redemptionis humanæ, nec veritas defuisset perfectioni, nec perfectio veritati. Nam si vera caro in Christo non fuit, quid in vtero virgo concepit? Et si anima vel intellectus naturæ in Christo defuisse credetur humanæ, quid in infante bonum malumq; dicitur ignorasse? An illam diuinam filij Dei naturam, ignorantiæ boni maliq; subiicimus, vt humanã in Christo animam denegemus? Itáne credendus est homo susceptus à Deo, quæ Dei sunt, aliquatenus potuisse sapere, in quo ipsa sapientia cognitione boni maliq; dicitur caruisse? Anima igitur humana, quæ rationis capax naturaliter facta est, bonũ malumq; in infante Christo nescisse dicitur, quæ secũdum euangelicam veritatẽ, in puero Iesu sapientia & gratia profecisse narratur. Sicut Lucas ponit & dicit: Puer autem crescebat & confortabatur, plenus sapientiæ, & gratia Dei erat in illo. Et paulo post: Iesus proficiebat sapientia, ætate & gratia, apud Deum & homines. Nam sicut carnis est, ætate proficere: sic est animæ, sapiẽtia & gratia profecisse. Quæ tamen in sapientia nullatenus proficeret, si naturalem intelligentiam (quæ hominibus rationis causa concessa est) non haberet. Non quia hoc susceptor Deus eguit, sed quia hoc pro remedio nostræ salutis effectus piæ susceptionis exegit, vt dum caro & anima rationalis à Deo suscipitur, vtraq; pariter saluaretur. Nam nec caro ipsa fuit à Dei filio suscipienda, nisi diuina fuisset susceptione saluanda. Quod si Deus carne non eguit, sed vt eam saluaret accepit: ita nec anima rationali Deus eguit, sed eam saluandam cũ carne suscepit. Cuius animæ humanæ susceptionem, prophe-

Vera in Christo anima.

Luc. 2. f

prophetico more Dauid sanctus intimat, dicens: Ecce enim Deus adiuuat me, & dominus susceptor est animæ meæ. Adiuuit vtique quam suscepit, quam procul dubio nisi susciperet, non iuuisset. Psalm. 53.

CAPVT IX.

NEcessarium autem reor, perfectam hominis in Christo susceptionem, Euangelicæ quoque parabolæ recensione monstrandã, ouis scilicet erraticæ, quam proprijs humeris subuectam dominus reportauit ad domum, cuius quærendæ Dauid iam pridem flagitabat lachrymabili postulatione subsidium, dicens: Erraui sicut ouis quæ perierat, require seruum tuum. Cùm ergo murmurarent Pharisæi & Scribæ, dicentes, Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis, refert Euangelista, quòd hãc eis dominus parabolam dixerit: Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat illam? Et cùm inuenerit eam, imponet in humeros suos gaudens. Et veniens domum, conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Hanc ouem, in qua peccatoris hominis natura signatur, quali errore dicemus erraſſe? cordis an corporis? errore pedum an errore morum? Non opinor quenquam sic humanæ cogitationis exortem, qui putet hominem quomodolibet à Deo longinquitate habitationis, & non peruersitate cogitationis errare. In via Dei, non gressu corporis, sed mentis ambulatur incessu. Via Dei fides est recta, quæ in tantum via prorsus ostẽditur, vt in ea nos Apostolus ambulare testetur. Per fidem, inquiẽs, ambulamus, nõ per speciem. Via domini iustitia est, per quam se beatus Dauid deductũ esse commemorat dicens: Super aquam refe-

Luc. 15. b

Psalm. 118.

Luc. 15.

Ouis errans peccator est, à Deo abertans.

Viæ domini, fides, iustitia, misericordia, & veritas.

2. Cor. 5. b

Psalm. 22.

Psalm.22. *refectionis aduocauit me, animam meam conuertit. Deduxit me super semitas iustitiæ, propter nomen suum. Viæ etiam domini misericordia & veritas, per quas vtique non corporis gressu, sed animæ magis ambulatur affectu. Hanc nobis ambulandi doctrinam beatus*

1.Ioan.2. *Ioannes intimat, dicens: Qui dicit se in Christo manere, debet quemadmodum ille ambulauit, & ipse ambulare: qua via se præcipit Christus ipse sequendum*

Matth.19. *dicens, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me. Non ergo corporali gressu solo quisquam sequitur Christum, aut errat à Christo. Equidem erroris huius qualitatem dominus ipse Saluatorq;*

Errant nescientes scripturas & virtutē Dei Matth.22. *noster, dum Saducæos increparet, ostendit, dicens: Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei. Propterea vtique miserabiliter errabant, quia illum qui Dei virtus est, nesciebāt. Sicut ergo virtutis Dei scientia tenax est cælestis itineris, sic est insciti a mater erroris. quod etiam beatus Dauid ostendit, dicens de quibusdam:*

Psalm.81. *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant: His atque huiusmodi testimonijs euidentissime demonstratur, ouis illius errorem non solum corpori, sed etiam animæ deputandum, illa scilicet ratione, quoniam & si ab homine corporaliter videatur aliquod admitti peccatum, ex corde sumit exordium: nec extrinsecus quicquam perficitur, nisi hoc intrinsecus cogitationis iudicio porrigatur. Cuius rei veritatem veritas nobis ipsa monstrauit, ita discipulis lo-*

Matt.15.c *quens: De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem. In hoc igitur vnusquisque errat, in quo semetipsum malæ cogitationis assensione commaculat.*

CAP.

CAPVT X.

Ex parabola ouis reportatę probatur totus homo à Christo susceptus.

QVapropter cùm error iste animæ simul intelligatur & corporis, si Dei filius absque anima rationali solam accepit hominis carnem, inferiorem partem illius ouis domum retulit, meliorem verò (quod absit) errori perpetuo dereliquit. Nam manifestum est, quoniam hoc reuocauit, quod proprijs humeris reportauit. Si autem ipse totam se profitetur ouem proprijs humeris impositam reportasse, totus homo cognoscatur in Christo. Quoniam tunc est hominis credenda redemptio, si in filio Dei susceptionis humanæ, id est, ouis illius reportatæ, non defuit plenitudo. Hoc enim Deus in nōbis saluauit, quod pro nobis accepit. Et illam Deus Dei filius naturam fecit participē salutis æternæ, quam sibi coniunxit in vnitate personæ. Illam in cælestē palatium introduxit, cum qua sponsus de thalamo vteri virginalis exiuit. Ipse enim tanquam sponsus proce- Psal.18. *dens de thalamo suo, exultauit vt gygas ad currendam viam. Quis autem moliatur dicere, verbi Dei sponsam carnem fuisse, non animam? cui animæ iam pridem dictum est, ab ipso domino per Prophetam: Et desponsabo* Ose.2.d *te mihi in æternum, & sponsabo te mihi ad iustitiam, & in iudicio, & in misericordia, & pietate. Cuius mysterij Esaias quoque testis fidelis existit, qui ex persona Christi loquentis hæc dicit: Gaudens gaudebo in do-* Esa.61.e *mino, & exultauit anima mea in Deo, qui induit me vestimentum salutis, & indumentum iustitiæ circundedit me, quasi sponsum decoratū corona, & quasi sponsam decoratam monilibus suis. Ecce vnus est spōsus, est, & spōsa, qui se etiam animā habere testatur. Quam vt ostēderet, non sine intellectu susceptā, cor (quod propriū est animæ humanæ) simul cum carne in Deo exultasse, ex persona hominis susceptī monstrauit, dicens: Cor* Psal.83. *meum et caro mea, exultauerunt in Deū viuum. Quia*

vero

vero naturæ primitias suscipiens dominus, sicut in suo corpore cunctorum fidelium corpus, sic in sua anima vniuersorum fidelium animas per naturæ vnitatem & gratiam iustificationis accepit. Per hanc, omnem ecclesiam in coniugium sibi perpetuæ incorruptibilitatis asciuit, cuius desponsionis mirabile sacramentum, sic fidelis sponsi seruus ipsi sponsæ commendat, vt mentis intelligatur magis esse quàm corporis, dicens: Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo. Timeo autem, ne, sicut serpens Euam seduxit astutia sua: ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo. Ibi ergo spiritalis adulter corrumpere quærit castitatem virginalis matrimonij, vbi cernit cælesti sponsõ fidem connubij debere seruari. Inaniter autem animæ castitatem custodiri mandat Apostolus, si huius primitias coniunctionis in se nõ habuit homo à Deo susceptus: Præsertim cùm caput & corpus Christum ecclesiamq; doctor idẽ gentium prædicare non cesset, dicens: Secundum operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo Iesu, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dextram suam in cælestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solũ in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius, plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet. Alio quoque loco dicitur, Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiæ, ipse Saluator corporis. Quomodo ergo anima ecclesiæ poterit saluari, si defuit anima saluatori? vel qualis effectus liberationis credetur sequuturus in corpore, qui nõ præcessit in capite? Nam sicut suis fidelibus dicit, Si vos filius liberauerit: tunc verè liberi eritis. Ita de se quoque pronuntiat, Quia factus

Christus per animã suam ecclesiam in cõiugium recepit.

2. Cor. 11.

Christus caput, ecclesia corpus recte dicitur.

Ephes. 1. d

Ephes. 5. f

Ioan. 8. d

factus est sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Quod ergo caput liberum fecit in se, hoc etiam liberauit in corpore. Quia intrans in domum fortis, atque alligans fortem, hoc ibi à seruitio liberauit, quod primitus in se pro seruo suscepit: nec aliud est in corpore regnantium, quàm quod in capite processit ad cælum. Cuius rei credulitatem fideliter ac fiducialiter gerens Paulus exultat, & dicit: Nostra autem cõuersatio in cælis est. Ibi itaque suam animam conuersari non ambigit, vbi humanam animam in Christo regnare confidit. Propter quod etiam Collossenses huiuscemodi prædicationis hortatur eloquio dicens: Si conresurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est, in dextera Dei sedens.

Psalm. 87.

Matt. 12. Marc. 3.

Alia ratio ex Paulo. Philip. 3.

Colos. 3.

CAPVT XI.

NEc illud est aliquatenus omittendum, quod cum magno prædicationis miraculo Petrus commendat in Christo, Quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, sic enim dicit: Christus pro nobis mortuus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: Nam si Dei filius animam humanam in carnis susceptione non habuit, & hoc beatus Petrus de eius creditur diuinitate dixisse, quid est, quod pro magno in laudem dicitur Christi? quia diuinitas eius immunis esse potuit à labe peccati, cum Dei sit proprium non solum non peccare, sed etiam à peccato saluare. Qui propterea solus potest donare indulgentiam, quia solus admittere non potest culpam. Ideo solus est vulneratorum medicus, quia diuina natura nunquam in se recipit vulnus. Si autem hoc ad Christi carnem creditur referendum, quomodo ab animabus nostris seruari iustitia poterit? quibus exemplum Apostolicæ

Melior adhuc ratio ex Petro, de anima Christi. 1. Pet 2.

memoratum susceptio Christi non dedit. Sed vt ostenderet beatus Petrus, & in anima simul & in carne Christi præcessisse iustitiam, quam nobis imperat imitandam, sequutus adiunxit: Qui cùm malediceretur, non remaledicebat: quod propriè ad animæ patientiam pertinet. Propter quod & alio loco dicit: Non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, sed econtrario, benedicentes: quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditatis possideatis. Cuius benedictionis Saluator noster ex corde prodire commendat exordium, dicens: Homo bonus, de bono thesauro cordis sui proferet bona. Constat ergo in anima beneuolentiam esse, vnde benedictionem possimus maledicentibus redhabere. Vt autem beatus Petrus & animæ nobis & carnis in Christo demonstraret exemplum, cùm dixisset, Qui cũ malediceretur, non remaledicebat: sequutus adiunxit, Cùm pateretur, non comminabatur. Commendabat autem iudicanti iuste, qui peccata nostra pertulit in corpore suo, super lignum, vt à peccatis nostris separati, cum iustitia viuamus, cuius liuore sanati estis, qui sicut oues errabatis: Sed nunc conuertimini ad pastorem & visitatorem animarum vestrarum.

1.Pet.3.b

Matth.12.c

CAPVT XII.

Christus rectè & pastor & ouis ac agnus dicitur.

Psal.118.

Est igitur Dei filius animarum nostrarum visitator & pastor: quia fieri dignatus est animæ humanæ susceptor. Cui ex persona futuræ susceptionis humanæ dicitur in Psalmo, Suscipe me secundũ verbũ tuum & viuam. Christus ergo pastor noster est, cuius nos oues esse, Apostolica testatur authoritas: qui tamẽ, vt plene susceptorem se nostræ naturæ dignaretur ostẽdere, non solum pastorem, sed & ouem se non dedignatus est appellare, vtpote de quo sancto spiritu actus propheta, testatur,

testatur, Sicut ouis ad victimam adductus est, & sicut agnus coram tondente sine voce, sic nõ aperuit os suum. Esa.53.
Et ipse per Hieremiam: Ego sicut agnus innocens adductus sum, vt immolarer, & nescii. In me cogitauerunt cogitationem malam, dicentes: Venite, mittamus lignum in panem eius. De quo etiam Ioannes Baptista proclamat: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Non dissimilia de Christo Petrus quoq; ponit Apostolus dicens: Scientes, quòd non corruptibilibus argẽto vel auro redempti estis de vana vestra cõuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni incontaminati & immaculati Iesu Christi. Vnus igitur idemq; mediator Dei & hominũ, homo Christus Iesus, ipse pastor & ouis, ipse sponsus & sponsa, ipse sacerdos & victima, vnus idemq; & oblator muneris, & munus factus est oblatoris, vt nec oblator à muneris qualitate desciscere, nec munus oblatoris merito discreparet. Qui si minus aliquid habuit humanæ naturæ, nec personam sumere pontificis, nec offerri potuit pro peccatis. In lege enim sacerdotio fungi non poterat, si quis homo minus aliquid habuisset in se: Nec vitiosum vel imperfectum pecus ad sacrificium cuiquam licebat offerre. Pontificem verò nostrum Iesum Christum esse quis ambigat? Quem sub hac Paulus euidenter appellatione commendat: Habentes autem, inquiens, pontificem magnum qui penetrauit cælos, Iesum filium Dei: teneamus cõfessionem. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronũ gratiæ, vt misericordiã cõsequamur, & gratiã inueniamus in auxilio oportuno. Vt autem humanæ naturæ hoc pontificatus officiũ demõstraret, adiecit: Omnis namq; Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur

Alia ratio ex Leuitico, Quia Christus cũ esset pontifex, integer vt esset homo, ex lege tenebatur.

Heb.4.

Heb.5.a

in his quæ sunt ad Deum: vt offerat dona & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit his qui ignorant & errant: quoniam & ipse circundatus est infirmitate. Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tãquam Aaron. Sic & Christus nõ semetipsum clarificauit, vt põtifex fieret: sed qui loquutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quem tamen pontificem dicit per omnia pro similitudine absq; peccato tentatũ. Per quæ autem omnia tentatus fuerit, superius euidenter ostendit dicens: Nusquam enim angelos apprehẽdit, sed semen Abrahæ apprehendit: vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deũ: vt repropitiaret delicta populi. In eo enim quo passus est ipse & tentatus: potens est his qui tentantur auxiliari.

Heb.2.d

CAPVT XIII.

Alia ratio ex Paulo quia Christus in carne & in anima tentatus est.

SI ergo in eo quod tentatus est, tentatis auxilium donat: profecto in quo tentatus non est, tẽtatis auxiliũ non ministrat. Quo conficitur, vt hi qui Christo solam carnem humanam assignant, & animam denegant, in sola carne quærant auxiliũ Christi, in anima verò remaneant destituti: filius Dei namque hoc adiuuat in homine, quod suscepit pro homine. Quod si & in anima & in carne promereri Christi delectantur auxilium: fateantur necesse est (sicut veritas habet) & in anima pariter & in carne tentatum. Et anima igitur humana & caro simul est in Christo tẽtata. Quod si simul est in Christo & anima & caro tentata: simul est ab eo vtraq; suscepta. Et si vtramq; dignatus est suscipere, vtramq; dignatus est sine dubitatione saluare. Dignum namque fuit, nostraq; saluti conueniens, vt Deus verus ex vero patre solus substantialiter natus, veram hominis,

hominis, quam ipse fecit, animam carnemq; susciperet: in vtraque cum tentatore pugnaret, in vtraq; vinceret, ac deinceps in vtraq; tentatis subministraret auxiliũ, cum in vtraq; infirmis ac morituris victoriæ præberet exemplum. Illa quoq; sentẽtia sacramentum Mediatoris manifesto demonstrat indicio, quam ipsa veritas protulit dicens: Venit enim filius hominis saluum facere, & quærere quod perierat. Attendamus igitur, quid perierit terreni hominis lapsu, & agnoscamus quid quæsitum fuerit hominis cælestis aduentu. Consideremus quid in se peccato vendiderit seruus, & apparebit quid suscipiendo redemerit dominus. Attendamus, quid latro in hominis seductione vulnerauerit, vt clareat quid medicus in hominis susceptione sanauerit. Nónne ex carne simul animaq; compositus, præceptum Dei homo primus accepit? Quod si in vtraque præceptum Dei cognoscitur accepisse, in vtraq; debuit obedientiam præcepti seruare. Si autem in vtraq; fuit parendum præcepto, ab vtraq; admissa est transgressio. Quoniam sicut est inchoatum animæ cupiditate peccatum: sic est carnali comestione perfectum. Et ideo quod totus homo reatum transgressionis admisit, totum sibi diabolus captiuauit. Quod si totus tenebatur captiuitatis vinculo, totus eguit liberatoris auxilio. Si autem totum debuit liberare pietas, totum debuit suscipere diuina maiestas. Totius ergo fuit hominis à Deo suscipienda natura, quoniam in toto fuit captiuitas captiuanda: vt tota simul acquireretur de captiuata captiuitate victoria. Et secundum prædicationis Apostolicæ sententiam, captiuam ducens captiuitatem, Principatus & potestates, traduceret confidenter palam triumphans illos in semetipso.

Luc.19.b

Ephes.4. Coloss.2.

CAPVT XIIII.

Alia ratio a diuisione per quatuor membra

AD extremum dicatur, cur ab illa ineffabili diuinitate non fuerit animæ natura susceptæ cũ carne? Vtrum à Deo nõ fuerit facta? an peccato non fuerit vitiata? an carne viliorem vniuersalis medicina despexit? an peccati vulnere sauciatam omnipotẽs curare nequiuit? Sed horum primum postremumq; qui sentiunt, & aduersus virtutem creatoris, & contra potentiam salnatoris rebelles existunt: si vel aliquam creaturam putant à Deo non factam, vel ad salutem animæ conferendam potestatẽ dicunt omnipotẽtis inualidã. Duobus vero medijs, nec peccatum considerant rationalis creaturæ, nec meritum, non intelligentes, carne sua viliorem esse non posse, quæ vitam tribuit carni, & illam grauius vulneratam, quæ per intelligentiam magis potuit resistere tentatori. Illa igitur omnipotens virtus, & pia sapientia, nec despexit velut extraneam, quam à se nouerat factam, nec spreuit sanandam, quam sciebat grauius vulneratam, nec eam quam carne potiorem fecit, à remedio salutis exclusit: sed sicut totũ hominem diabolus decipiendo percussit, ita Deus totũ suscipiendo saluauit, vt agnosceretur idem creaturæ totius conditor & redemptor, qui potuit & quod non erat facere, & quod dilapsum fuerat, reparare.

CAPVT XV.

Alia ratio ex nomine mediatoris vt habeat in se totam naturam.

CVnctos præterea qui salutis esse cupiunt æternæ participes, oportet agnoscere pariter & tenere, non incassum hominem Iesum Christum mediatorem Dei & hominum nuncupatum: nisi quia idem Deus totam in se naturam suscepit hominis, & idem homo totam in se habet substantiam deitatis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus à Deo, inter Deũ irascẽtem, hominemq; peccantem, talis vtique mediatoris debuit interuenire persona, quæ ad propitiandum Deum homini, totum verumq; in se Deum de Deo natum haberet, & ad reconciliandum hominem Deo, totũ verumq; in se de homine natum hominem contineret. Atq; ita ex vtroq; in vtroque vnus Christus esset, vt plenitudo deitatis susceptum non consumeret, sed proueheret hominem: & plenitudo humanitatis nec minoraret immensum, nec mutaret impassibilem deitatem: Ac sic hominis natura, quæ mutata fuerat in deterius, per illum tota redintegraretur, quo nihil est melius. Propterea se Mediator Dei & hominum, plenum Deum plenumq; dignatus est hominem demonstrare.

CAPVT. XVI.

Aliæ quoque rationes, ex diuersis scripturæ locis

QVod si quis ambigit, aut omnino nõ credit, eligat, vtrum sibi nomine an opere velit, quod asserimus, demonstrari. Neque enim scriptura sancta in vno eodemq; Christo, aut Dei vocabulũ prætermisit, aut hominis, Euangelista dicente: In principio erat verbum, Ioan. 1. *& verbum erat apud Deum, & Deus erat verbũ, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et paulo post: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Illud vtiq; verbum carnem factum asserit, quod Deum esse, superius memorauit: vt ostenderet eũdem verum Deum ex patre, qui est homo verus ex homine. Ostendit præterea, in quo naturaliter sempiternum credamus ex Deo patre, & in quo temporaliter ex homine factum hominem debeamus accipere, Aliud in exordio, aliud in subsequentibus monstrans. Æternitas igitur filij Dei asseritur, dum verbum Deus in principio prædicatur. Ibi verbum non dicit factum, quod ex patre nouerat genitum. Ibi nõ est temporis nomẽ, vbi sempiternitas nec initium potest habere, nec finẽ. Cùm autem*

venitur ad carnis vocabulum, tunc verbū caro dicitur factum: vt agnoscamus, eum, qui factus non erat, sed natus de patre semper erat, tunc fieri voluisse: quando quod fecerat, factus opus suum, dignatus est reparare. In hoc facto Beatus quoque Paulus, sicut veritatem hominis, sic veritatem curauit temporis profiteri, dicens: Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege: vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Hoc ipsum vbiq; prophetis cōgruens Apostolica seruat auctoritas, vt factū prædicans Christum, & quid factus sit, & vnde factus sit, euidenter ostendat: vt agnoscatur, rerum omnium dominum, sic formam suscepisse seruilem, vt non aliunde, sed ex homine veram susceperit carnem. Dicit igitur Dauid: Mater Syon dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Ecce in vno Christo sicut vna persona indubitanter asseritur, sic veritas Dei atque hominis inconfusa monstratur. Qui enim homo factus est in ea, ipse fundauit eam altissimus. Huic dicto illud Apostolicum prorsus est comparandum, Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Quod Dauid dicit, Et homo factus est in ea: hoc Paulus firmat, dicens, Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem. Quod autem Dauid asserit, Ipse fundauit eam altissimus: hoc Paulus sequitur dicens, Qui est super omnia Deus benedictus in secula. Testamentum vetus concinit nouo: Dauid Ioanni concordat & Paulo. Quem verum hominem dicit Dauid, quia mater Syon dicet homo, & homo factus est in ea: eundem verum Deum credit & prædicat, Quia ipse fundauit eam altissimus. Quem verum hominem nouit Ioannes, audiēs eum dicentem: Quæritis me occidere hominem, qui veritatem

Gal. 4. a

Psal. 86.

Rom. 9. a

ritatem loquutus sum vobis, eundem verum Deū monstrat, dicens: Hic est verus Deus & vita æterna. Verum hominem Christum recognoscit, quia verbum caro factum est, & habitabit in nobis: eundémque verbum Deum ostendit, quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Quem verum sciebat hominem Paulus, quia voluntarie pietate factus est ex muliere dominus hominis, & factus est sub lege dominus legis, sicut ipse testatur: Quia misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege: Et quia factus est ex semine Dauid secundum carnem: Et quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem: eundem verum Deum confiteri non cessat, dicens: Qui est super omnia Deus benedictus in secula.

Ioan. 8. 1. Ioan. vlt.

Idem sentit Paulus.

Rom. 1. a

Ibid. 9. a

CAPVT XVII.

NEque vero illud ex aduerso nescimus opponi, Quod cum verbum caro factum dicitur, & factus est ex semine Dauid secundum carnem, & quorum patres ex quibus Christus secundum carnem, in supra dictis locis ita quorūdam carnalis sensus carnis nomine teneatur, vt susceptā carne non credatur Christus etiam rationalem animam suscepisse. Sed qui sic sentiunt, minus attendunt id esse locutionis humanæ, qua nonnunquam totum significatur à parte. Nouerint igitur in scripturis sanctis aliquando carnis tantummodo nomine, nonnunquam animæ solius vocabulo, totum hominem demonstrari. Cuius rei veritatem, non solum ex vetere testamēto, verum etiam ex nouo, facile perdocebo. Dauid carnis nomine totum significat hominem, dicens: Exaudi Deus orationem meam, ad te omnis caro veniet. Quid est autem omnis caro, nisi omnis homo? Similiter ab eodem in alio psalmo dicitur: In Deo sperabo, non timebo quid faciat mihi caro. Et vt ostenderet,

Caro pro toto homine.

Psal. 64.

Psalm. 55.

quod carnis nomine totum hominem designaret: paulo
Ibidem. post identidem dicit, In Deo laudabo verbum, in Deo
laudabo sermonem, in Deo sperabo, non timebo, quid
faciat mihi homo. His dictis Esaiæ quoque dictis con-
cordant, cùm Saluatoris nostri aduentum in carne præ-
Esa 40.a nuntians dicit, Erunt praua in directa, & aspera in vias
planas, & videbit omnis caro salutare Dei. Quid est
autem omnis caro, nisi omnis homo? An forsitan exani-
mem sic leuabimus carnem, vt illi non dubitemus diui-
nam tribuere visionem? In nouo quoque Testamento,
ipse humani generis creator & dominus, carnis nomine
totum reperitur hominem nuncupasse, dum tribulatio-
nis extremæ prænuntians qualitatem, hæc discipulis lo-
Matth.24.c quitur: Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non
fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet. Et nisi bre-
uiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro. Sed
Anima pro toto homine. propter electos breuiabuntur dies illi. Animæ quoque
vocabulo totum significari hominem veteris ita demon-
strat series testamenti, cùm dicitur: Erant autem vni-
uersæ animæ de Iacob quinque & septuaginta. Rursus
Leuit.4.a in eodem testamento: Anima quæcunq; deliquerit, ante
dominum, nolens in omnibus præceptis domini, quæ non
oportet facere, & fecerit vnũ de his: si quidem princeps
sacerdos qui vnctus est deliquerit, nec sic plebs faciat,
offerat pro delicto suo, in quo deliquit, vitulũ ex bubus
immaculatum domino. Ecce anima dicitur, & sacerdos
vnctus deinceps nũcupatur: vt cum animam audimus,
totum simul hominem cognoscamus. Nec in nouo testa-
mento huius significationis potuit deesse locutio, siqui-
dem cum sancti spiritus aduentu firmati discipuli, reie-
cta formidine, publicæ prædicationis auspicarentur offi-
ciũ, cõsummato Petri sermone, Liber Actuũ Apostolo-
Act.2.d rũ, Luca narrãte, sic cõtinet: Qui ergo receperũt sermo-
nẽ eius, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa ani-
mæ cir-

mæ circiter tria milia. Quisquis hic animarũ nomine si-
gnificatos homines nititur denegare, ostẽdat necesse est,
qualiter ab Apostolis sine corporibus animæ credantur
sacramentum baptismatis accepisse. Similę huic loco
quiddã Beatus quoq; Petrus sic in sua ponit epistola: In
1.Pet.3.d diebus Noe, inquiens, cùm fabricaretur arca, in qua
pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquã. Cùm
sit igitur manifestũ, scripturarũ more, totum hominem
aliquando carnis, aliquando sõlius animæ vocabulo de-
signari: profecto mõstratur, cùm Euangelista dicit, Ver-
bum caro factum est.

CAPVT XVIII.

Mediator igitur Christus totum hominem suscepit.

PRopterea vtiq; Mediator Dei & hominum, homo
Christus Iesus ab Apostolo prædicatur. Nam quia
Deus erat verbum, in eo quod Deus totum hominẽ sus-
cepit pro nobis: Verbum caro factum est, & habitabit
in nobis. Verbum vtique caro factum est, in eo, quod est
vna in Christo Dei hominisq; persona: Habitauit au-
tem in nobis, quia in Christo vera totaque permanet
diuina humanaq; substantia. Verbum enim habitans
in homine, non est mutatum in hominem. Vbi autem
maxime verbũ potuit habitare? quàm in illa substãtia,
quam ad suam imaginem fecit, hoc est, in anima illius
hominis quẽ suscepit. Quod propheticè per Salomonem
spiritali gratia cernimus intimatum, cùm dicitur: A-
Sapien.7. nima iusti, sedes esse sapientiæ. Nam vt ostendatur
Christus in animæ substãtia specialiter habitare, Pau-
Ephes.3.a lus nobis porrigat suæ adtestationis in veritate subsi-
diũ, qui dicit: Huius rei gratia flecto genua mea ad pa-
trẽ domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas
in cælis et in terra nominatur: vt det vobis secũdũ diui-
tias gloriæ suæ virtute corroborari per spiritũ eius in in-
teriore homine habitare Christũ per fidẽ in cordibus ve-
stris. Ecce et animã nominat, et cor appellat, vbi Christũ
habi-

habitare confirmat. Vnde liquido cognoscitur, verbum Deum totum hominem suscepisse, cùm probetur habitationem filij Dei in anima magis quàm in carne monstrari. Huius inseparabilis veritas sacramenti, quo totum hominem susciperet dignatus est Deus, & totus in Deo monstratur homo manere susceptus, & id quod de homine naturaliter est, filium Dei, & id quod de Deo patre naturaliter est, filium fecit hominis appellari, dicente angelo ad Mariam: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideo quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Marci quoque non discordat assertio, tale scilicet Euangelio suo ponentis exordium, Euangelium Iesu Christi filij Dei. Nathanael quoque, de quo dixerat, A Nazareth potest aliquid boni esse, non cunctatur Dei filium appellare: Rabbi, inquiens, tu es filius Dei, tu es rex Israel. Vbi Iesus, vt plenũ pietatis suæ mysterium demonstraret, nõ solum id, quod de patre naturaliter semper est libenter audiuit, sed etiam quod ex muliere misericorditer factus est, euidentissime prædicauit dicẽs: Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Propter hanc in Christo vnitatem personæ, & inconfusam veritatem diuinæ humanæq; substantiæ, vnus idemq; Christus & puer ab Esaia dicitur, & filius ac Deus pariter prædicatur: Sicut, inquit, puer natus est nobis, filius datus est nobis, cuius principium super humeros eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis. In vno Christo non sunt duæ personæ, vt alius puer & alius Deus fuerit nuncupatus: sed in vna persona est Deus plenus, & homo perfectus, quia substantialiter aliud puer & aliud Deus, cum tamen personaliter nõ sit alius puer & alius Deus. Vnus enim filius & puer & Deus, quia puer, qui natus

Propter duas in Christo naturas & homo filius Dei, & Deus filius hominis appellatur. Luc. 1.

Marc. 1.

Ioan. 1. g

Isa. 9. b

natus est nobis, & idem filius qui datus est nobis, vocatur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis. Hic tamen puer sicut veram carnem, sic & veram habuit animam, vt illa vera diuinitas totam hominis & renouandam susciperet, & susceptam posset renouare naturam, sicut superius est, Luca testante, monstratum: Quia puer, id est, Iesus, proficiebat ætate & sapientia & gratia apud Deum & homines. Propterea in se nec carnis nomen, nec animæ dominus ipse prætermisit ostendere. Carnem quidem se habere verissimam monstrans, cùm dicit: Quod nascitur de carne, caro est. Cuius plena veritas operum quoq; manifestatione resplenduit, cùm infans natus, non solum cunis inuoluitur, & angusto præsepe concluditur, sed etiam circuncisionem suscipiens, carnem veram habere monstratur. Præterea etiam post resurrectionem discipulos cunctantes informat dicens: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Animam quoque se suscepisse cum carne, nec nomine cessauit intimare, nec opere, dum dicit: Animam meam pono pro ouibus meis. Et anima mea turbata est. Et cætera, quæ inferius ostendentur. Hanc animam non sine intellectu rationali susceptam à Christo, per Esaiam sic diuinum demonstrat oraculum: Ecce intelliget puer meus, & exaltabitur, & magnificabitur vehementer.

In Christo vera caro & vera anima.

Luc. 2.

Ioan. 3. b

Luc. 6. f

Ioan. 10. e

Ibid. 12. b

CAPVT XIX.

Vltima ratio, ex actibus Apostolorum, de vera carne & anima Christi

ET quanquam multa supersint, quibus nostra firmetur assertio, tamen quoniam ad finem libelli series orationis nostræ festinat, de Actibus quoque Apostolorum euidentissimũ huius sacramenti indicem beati ponemus Apostoli Petri sermonem, quem de illa mirabili musti spiritalis ebrietate ructauit. Hinc etenim, cùm ex authoritate diuina Iudæos informans, Dauidis

tamen

tamen posuisset eloquium, quod diuinitus edoctus, ò
Psalm. 15. Christi persona cecinerat, dicens: Prouidebam dominum coram me semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propterea iocundatum est cor meum, & exultauit lingua mea: Insuper & caro mea requiescit in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctũ tuum videre corruptionem: Notas mihi fecisti vias vitæ, Adimplebis me iocunditate cum facie tua. Quod testimonium Psalmi cùm beatus
Act. 2. c Petrus commemoraret, vt hoc de Christo manifestè dictum ostẽderet, sequutus adiecit: Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniã & defunctus est & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos vsq; in hodiernũ diem. Propheta igitur cùm esset, & sciret quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prouidens loquutus est de resurrectione Christi, quia neq; derelicta est anima eius in inferno, neq; caro eius vidit corruptionem. Hoc equidẽ testimonium propterea præsenti loco duximus inserendum, vt euidens nominum rerumq; distinctio carnem simul & animam doceret in Christo.
Hæc latius in tertio libro tractabuntur. Cæterum oportunior ei suus exhibebitur locus, cùm de mysterio loquemur dominicæ passionis, vbi etiam illud quod dixit, Tristis est anima mea vsq; ad mortem, Et nunc anima mea turbata est, Et maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suã ponat quis pro amicis suis, speramus ita, Domino adiuuante, tractanda: vt appareat, veram in Christo carnis animæq; substantiam non sõlum vocabulis, verùm etiam manifestis naturalium officiorum indicijs demonstratam.

CAPVT XX.

Epilogus primi libri de diuina
PRoinde si veritas nostræ salutis in saluatore creditur, consequenter in vno eodemq; mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu, diuinæ humanæq; substantiæ indiuisa & inconfusa perfectio non negetur: quoniam Dei filius, de patris substantia genitus, nec sempiternitatem diuinæ naturæ perdidit, dum hoc, quod erat temporale, pro temporalium æterna salute susceperit: Nec dominio naturalis ac veræ diuinitatis caruit, qui veritatem formæ seruilis acceptam interminabili & inamissibili dominio sublimauit: Nec vera virtus, cùm nostram infirmitatem susciperet, infirmari potuit, quæ vitium infirmitatis ab infirmo submouit: Nec imperfectus esse potuit, qui perfectionẽ imperfecto concessit: Nec localiter ad infernum diuinitas Christi descendit, quæ sine mole sic vbique tota consistit, vt licet ea carere nullus locus possit, localiter tamen eam locus vllus continere non possit. Est enim illa Dei vera infinitaq; substantia ineffabiliter in singulis creaturis tota, & in omnibus tota, non minoratur in minimis, nec augetur in magnis, non concluditur tempore, nõ circunscribitur quantitate, non initio cœpta, non termino finienda. A qua totus homo & creatus est ad iustitiã, & sine peccato susceptus est post ruinam. Nunc igitur, quoniam de sacramento Mediatoris (quantũ ipse, qui Verbum patris est, gratiæ suæ dona concessit) disputationis veritas nihil dereliquit ambiguum, quo vnus idemq; Christus totam naturaliter habere deitatem ex patre, & totam hominis naturã habere mõstraretur in homine: Illud est deinceps prouidendũ, quòd nonnullos carnaliter quæ diuina sunt, cogitãtes, eo grauius conceptæ falsitatis error cõfundit, quo diuinitatẽ Christi, aut localiter de cælo venisse, aut ad infernũ descẽdisse localiter fateãtur: quiq; etiam Christũ in carne passum firmare nõ dubitant etiã diuinitate cõpassum. Harũ ergo rerũ demonstrandæ (quãtum sat erit) veritati singulos deputaui curare libellos, vt alter immensam filij Dei diui-

& humana natura Mediatoris in vna persona.

Argumentum subsequentium duorum librorum.

diuinitatem ostendat, tertius verò mysterium Dominicæ passionis manifestissima rerum claritate cõtineat. Hunc itaq; primum libellum, seruata disputandi temperies claudat, vt ad ea, quæ sunt deinceps disputanda, Deus nobis ostium sermonis aperiat.

B. FVLGENTII AD TRASIMVNDVM REGEM, LIBER secundus, de immensitate diuinitatis filij Dei.

CAPVT I.

Incomprehensibilitas trinitatis diuinæ.

QVOTIENS *humanæ conditionis infirmitas semetipsam protinus cognitura, fines molitur aliquatenus suæ paruitatis excedere, atque cælestis illuminationis pregnata cõceptu, Conditoris sui ac redemptoris inquisitionem cœperit parturire: sola, quantum arbitror, immutabilis illa sempiternitas Trinitatis, reperietur incomprehensibilitatis digna miraculo, quæ sic excedit omne quod cogitare vel sapere possumus, sicut superat omne quod sumus. Hoc nobis diuinorum series voluminum veridica protestatur, Esaia dicente: Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ meæ, viæ vestræ, dicit dominus. Quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Quæ ergo humanæ disciplinæ peritia, quæ viuacitas animi, quæ cordis sagacitas, illius essentiæ (id est, Trinitatis, quæ vnus verus & solus est Deus) contingeret arcanum? quæ nec cœpit esse nec desinit, in cuius substantia nihil est quod non fuit, nihil potest non esse quod fuit, cuius nihil loco concluditur, quia totum immensum, nihil initio præuenitur,*

Esa. 55. c

Essentia infinita.

uenitur, quia totum est sempiternum. Quæ se hoc præsertim indicio sempiternam, increatam, immutabilémque monstrauit, cùm ex nihilo, id est, ex eo quod non esset, creare potuit quod fuisset: quæq; rationalem creaturæ suæ partem, hoc præ cæteris gratiæ priuilegio sublimauit, vt munere sibi æternitatis & rationis indulto, hinc liquido sui creatoris ac reparatoris essentiam, sine initio prorsus esse non ambigeret, cum se, quamuis non sine initio factam, nunquam tamen omnimoda consumendam abolitione deinceps cognouisset. Hinc etiam protinus moneretur, quanto infinitatis atque incomprehensibilitatis culmine, creatrix omnium virtus & sapientia, modum creaturæ intellectualis excederet, cùm ipsam rationalem creaturam plena suæ comprehensibilitatis agnitio, creatori quidem comprehensibilis & finita, sibi tamen incomprehensibilis atque infinita, lassaret: vt cùm naturæ suæ inuestigationem, quæ extra se non est, & intimam sibi cerneret & occultam, ita vt tamen supra se non sit, atque in se sit, totum se, sicut est, vestigare non possit. Eo magis paueſcens admiransq; supernæ infinitatis magnitudinem, omnes intelligentiæ terminos excedentem, cuius pax (sicut Paulus dicit) superat omnem intellectum, Cuius etiam iudicia abyssus multa, solo se ad cognitionem altissimi, humilitatis ascensu resipiscere prouehi, à quo superbæ cogitationis casu quondam meruit segregari.

Homo, cũ plene quod in se est nõ cognoscat, Deũ supra se multo minus cognoscere potest.

Philip. 4.

CAPVT II.

SEd hoc nũquam prorsus adgredi posset, si vel exemplo vel auxilio caruisset. Inquirẽdus ergo fuit vnus, cuius esset reformanda munere, informãda lumine, confirmanda virtute: vt æqualitas æterna iustificaret impiam, instrueret insciam veritas, virtus firmaret inualidam. Sed hoc nunquid posset homo per solum homi-

nem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem, aut in ſolo quolibet homine reperire? Nullo modo. Quis enim homo poſſet exiſtere medicus humani vulneris, cùm omnes in radice vitiata, communio circumplecteretur vitij naturalis? vel qualiter poſſet per ſe ſolum medelam vulneratis afferre, cuius ortus teneretur in vulnere? quóve modo beneficentiæ largitor vniuerſalis exiſteret, quem alienæ opis indigum natura monſtraret? Veræ igitur ſalutis exhauſtus homo diuitijs, perenni bonorum poſſeſſione priuatus, forſan angelico fuit iuuamine ſubleuandus, vt ille, qui domus lutea fœculentus ergaſtulo, ad facultatem purioris vitæ nequiuiſſet aliquatenus aſpirare, gratia iuuaretur opitulationis angelicæ, qua priſtinæ offenſionis depoſuiſſet illuuiem, & amiſſæ dudum puritatis reſumeret dignitatem. Veruntamen nec angelico poterat hoc reparationis munus adipiſci ſubſidio. Angelica quippe natura tunc homini reparando aliquatenus eſſet idonea, ſi cadendi mobilitate nunquã naturaliter fuiſſet obſtricta. Cùm vero ſe iuuaminis egenam, conſubſtantialis ruinæ documento teſtetur, profectò cognoſcitur multo minus ad humanæ poſſe redintegrationis efficaciam redũdare, quæ propriæ nequeat ſtabilitati ſufficere. Suis autem ad cuſtodiam ſibi ſat eſſe viribus non incongruè crederetur, ſi nulla pars eius in deterius laberetur. Vnitas enim naturalis vniuerſitatẽ circumplexa naturæ angelicæ, tota procul dubio maneret impaſſibilitatis firmamento ſubnixa: ſi paſſioni non eſſe poſſet obnoxia, nec vnquam pateretur in reliquo, quod perpeti nõ poſſet in toto. Cùm vero quædã pars eius, de cæleſti beatitudinis culmine, in imã perpetuamq; cernitur deuoluta miſeriam, beato Petro dicente, Quia Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed carceribus caliginis inferni tradidit, in iudicio puniendos reſeruari: profectò cognoſcitur, vniformi cunctos opprimi potuiſſe

Nõ potuiſſet angelica natura hominẽ reparare, quia & ipſa cecidit.

2. Pet. 2. b

tuiſſe ruinæ conſortio, niſi quos vellet à caſu prauitatis virtus illa defenderet, quæ ſola naturaliter mutari depraua rive non poſſet.

CAPVT III.

IPſa igitur etiam homini reparando fuit neceſſaria, quia non alia ſtantem angelum à ruina potuit cuſtodire, niſi illa, quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. Vna eſt in vtroque gratia operata, in hoc, vt ſurgeret: in illo, ne caderet. In illo, ne vulneraretur: in iſto, vt ſanaretur. Ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari nõ ſinit. Illius eſca, iſtius medicina. Hunc autem quiſquis ſanum ſapit, filium Dei eſſe non ambigit, qui eſt virtus & ſapientia patris. Sapiẽtia, quæ cuncta diſpoſuit: virtus, quæ omnia creauit. Sapientia, quæ illuminat: virtus, quæ adiutorium præſtat. Sapiẽtia, quia immutabilis: virtus, quia inſuperabilis. Qui omni creaturæ ſuæ, per infinitam potentiam naturalem ſemper adeſt, & immenſus nunquam deeſt, qui hoc in ſe naturaliter habet eſſe quod pater eſt, & ideo potuit & angelum in ſuperioribus ſtabilire, & pro reparatione lapſi hominis ad inferiora deſcendere. Sicut ipſe teſtatur, dicens: Deſcẽdi de cælis, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui me miſit, patris. Hunc quidam, cùm audiunt deſcendiſſe, deſcẽſionem eius affirmare nituntur localem, quia neſciũt Dei, ſicut oportet, conſiderare virtutem, nec valent agnoſcere, ſic pro homine Deum hominem factum, vt accepta hominis forma, maneret immutabilis diuina ſubſtantia: nec ſic intelligunt, temporaliter natum, vt ſemper fuiſſe teneant ſempiternum. Hi ſunt qui etiam conſiderare contemnunt, qualiter deſcenderit, cùm perſeueraret immenſus: vel qualiter humiliatus ſit, qui maneret altiſſimus. Si enim eius natura quæratur, eſt

Sola virtus diuina & hominẽ reparauit, & angelum cuſtodiuit.

Chriſtus virtus & ſapientia patris.

Ioan. 6. d

Universidad de Deusto Biblioteca

essentialiter Deus: quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Est etiam sempiternus, quia sempiterna Dei virtus est, atque diuinitas. Est immensus, quia de ipso Hieremias dicit: Magnus est, & non habet finem: Excelsus & immensus. Et paulo post, vt hæc de filio se dixisse demonstraret, adiecit: Hic Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum. Adinuenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hac in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Altissimum vero quis audeat Dei filium denegare? De quo Dauid dicit, Mater Syon dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. De quo etiam Zacharias, nascente Ioanne, sic prædicat: Et tu puer Propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem domini, parare vias eius. Si ergo docetur esse naturaliter Deus, si immẽsus, si altissimus, si est etiam sempiternus, dicatur, quid melius Deo, quid maius immenso, quid superius altissimo, quid anterius sempiterno? Deus igitur non discrepat à patre, immensus non caret patris æqualitate, nec celsitudine priuatur altissimus, nec est origine posterior sempiternus. Nam quia in Deo patre nihil potest esse mutabile, ex Deo natus est Deus: quia nihil locale, ex immenso processit immensus: quia in Deo humile aliquid non est, altissimum generauit altissimus: & quia initiatum nihil in Deo poterit reperiri, sempiternum protulit sempiternus. Generatio illa, non aliquam separationem patris filiiq; monstrauit, sed errorem cõfusionis excluſit: ne eum, quem cum patre vnum audiremus, natum minime crederemus. De Deo Deus potuit nasci, sed immensus ab immenso nõ potuit segregari. Natus enim extitit, nõ abscessit. Talis est enim illa diuina inenarrabilisq; natiuitas, vt quem pater genuit ex se, haberet

Bar. 3. c

Psal. 86.

Luc. 1. g

Christus est naturaliter Deus, immensus, altissimus, sempiternus.

haberet in se. Hanc fidei regulam per Esaiam nobis vnitas ipsius veræ diuinitatis ostendit, memorato propheta dicente: Quoniam in te est Deus, & nõ est Deus præter te. Tu enim es Deus, & nesciebamus, Deus Israel saluator. Erubescent & pudebunt omnes, qui aduersantur ei, & ibunt cum confusione. Qui autem filio Dei aduersantur, nisi qui patrem in ipso, & ipsum in patre per vnitatem naturalem denegant esse, atq; patrem & filium per naturalem diuersitatem audet perfidæ infidelitatis vitio separare? Sic est enim pater in filio, sicut est filius in patre. Vnitas ibi naturalis sic æqualem demonstrat vtrumq;, vt immensus immensum gigneret, & immensus ex immenso genitus, immensitatis paternæ nihil minus haberet.

Esa. 45. e

Sicut filius est in patre ita pater in filio.

CAPVT IIII.

QVæso, Regnator inclyte, ne ista, quæ de Deo loquimur, corporaliter existimes cogitãda: superat qui fecit cuncta quæ fecit. Cuius est substantialiter sine initio esse, solius est substantialiter sine initio genuisse: cuius est, per ineffabilem immensitatem totum implere quod fecit, eius est, per vnitatem naturæ totum filio inesse, & totum filium in se semper habere quem genuit. Si non omnia filius cum patre disposuit, nõ est sapientia, quæ dicit, Cùm pararet cælum, aderam illi, & cùm segregabat sedem suam super ventos. Quãdo fortes faciebat sursum nubes, & cum stabiles ponebat fontes sub cælo, & inferius: Quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram apud eum disponens. Quod si sapientia patri coæterna non creditur, necesse est, vt etiam Deus in dispositione cœpta mutabilis prædicetur. Si non cuncta fecit filius, nec virtus debeat appellari, nec manus. Et vbi est, quod per prophetam dicitur? Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum: quam domum ædificabitis mihi, dicit dominus? aut quis est locus re-

Pater per filium omnia fecit. Prouer. 8.

Esa. vlt. a

cus requietionis meæ? Nónne manus mea fecit hæc omnia? Nam & Euãgelista dicit: Omnia per ipsum facta Ioan.1.a
sunt, & sine ipso factum est nihil. Si alicui deest, filius immensus non est, si non eum pater corde ructauit, verbũ non debet dici. Si de vtero patris, hoc est, de substantia patris, non est genitus, falsõ (quod absit) nomine verus Deus dicitur. De quo testatur Ioannes: Quia hic 1.Ioan.vlt.
est verus Deus, & vita æterna: In principio quoq; erat verbum, & verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hic sempiternitas ostenditur, hic immensitas inuenitur, hic essentialis natura monstratur. Nam quod in principio erat, nunquam non erat, quia semper erat. Quod vero apud Deũ erat, locale non erat, sed immensum erat: quia cùm Deus localis non sit, verbũ, quod apud Deũ erat, in loco nõ erat. Quod autẽ verbũ Deus erat, in vnitate naturæ & nominis veritate, hoc vtique erat quod ille Deus erat, apud quẽ verbũ Deus erat.

CAPVT V.

Obiectio de eo, quod dicitur, In principio & nõ, ante principium erat verbũ.

AN forte, quia in principio erat, audiuimus dictũ, aliquid filio existendi audebimus assignare principiũ? Et ideo sine initio natus esse nõ creditur, quia Ioãnes non eum ante principium, sed in principio fuisse testatur? Absit, vt hæc insulsa cogitatio cuiusquã mentem sapientis attingat: Absit, vt hæc in quolibet læthalis perfidiæ contagio, puritatẽ Christianæ religionis inficiat. Quis enim non consideret, illud digne principium dici, quod nullo potuit principio præueniri? Nã quicquid ante quodlibet principium cogitare volueris, hoc necesse est verum principiũ fatearis. Et quoniã semper cogitando principium, nullus inuenit terminũ, propterea illud est dicendum verè principium, quod est essentialiter sempiternum. Hinc est profectò, quod ipse filius volens Iudæis immensitatem sempiternitatis suæ certa prorsus manifestatione monstrare, interrogantibus quis esset,

esset, respõdit: Principiũ, quod & loquor vobis. Sed forsitã eo, quod est principium dictus, magis putabitur initio existendi subiectus. Quod si ex hoc vocabulo quisquam molitur præiudicium struere veritati, vt quem principij cognoscit vocari nomine, quoddã principium natiuitatis existimet habuisse, dabit profectò etiam patri (quod nephas est) aliquod existendi principiũ quem cum filio principium cognoscimus nominatũ. Sicut ipse dicit: Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex vtero ante luciferũ genui te. Quid autẽ respondebit, qui de principij nomine asserit filium natiuitatis habere principiũ? Quod si quis pro eo quod principium dicitur, natiuitatem filij habere credit initium, consequens * esse, vt ipsum filium, pro eo quod finis dicitur, finem quoq; asserat habiturum. Nam ipse Dominus, interrogãtibus Iudæis, principium se esse firmauit, dicens: Principium, quod & loquor vobis. Paulus vero Christum finem nominat, dicens: Finis enim legis Christus, ad iustitiam omni credenti. Ipse quoq; de se Dominus: Ego sum Alpha & Ω, initium & finis. Quod si pro eo quod principiũ dicitur, asseritur cœptus, etiã pro eo, quod finis dicitur, putetur etiã finiendus. Et vbi erit Ioãnis illa ructatio, quã de pectore viui fontis bibebat? Scimus quia filius Dei venit, & dedit nobis intellectũ, vt cognoscamus verũ, & simus in vero filio eius Iesu Christo: Hic est verus Deus, & vita æterna. Quã vitã necesse est neget æternã, quisquis asserit defuturã. At ipse qui est verus Deus & vita æterna, iustos dicit ituros in vitam æternam, quomodo ergo iustorum vita æterna erit, si vita ipsa æterna quandoque non erit? Aut vt quid hic labor sanctæ conuersationis, & continui aduersus tentamẽta certaminis toleratur, si præmiũ victoribus quandoq; tolletur? Hæc inest laudabilis in sanctis totius cursus intentio. Propterea

Ioan.8.d
Pſal.109.
Christus & principium & finis.
* est,
Rom.10.
Apoc.1.
1.Ioan.vlt.
Vita æterna Christus.

Universidad de Deusto Biblioteca

2.Cor.9.d corpus suum castigant, & seruituti subijciunt, ob hoc se non in incertum præsumunt currere, & pugnantes sciunt se non aerem verberare: Ideo sibi nouerunt non esse colluctationem aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Idcirco leoni rugienti, & indefesso circuitu 1.Pet.5.c quærenti quem deuoret, resistunt fortiter in fide: vt postquam hic in tribulatione patientes vixerint, consumpta quandoque diuinæ promissionis seductoria magis retributione quàm vera, aut misere viuant, aut omnino non viuant? Vita namque Christus dicitur, sicut Ioan.14. ait: Ego sum via, veritas & vita: Initium & finis Apoc.1.b Christus dicitur, quia similiter ipse dixit, Ego sum Alpha & Ω, initium & finis. Hæc autem vita, si eo quod initium dicitur, initio natiuitatis putatur subdita, consequens est, vt eo quod finis dicitur, quandoque putetur finaliter abolenda. Qualiter vero sine fine victuri sunt, quibus vita æterna dabitur, si vitæ ipsius æternitas finietur? Quod si hæc omnino absurda sunt, consequenter veritas est Catholicæ atque Apostolicæ fidei retinenda, quæ sicut Christum propterea finem nominat, quia non solum in illa substantia, qua natus est naturaliter sempiternus ex patre, sed etiam in ea, quam in tempore sumpsit ex matre, credit sine fine perpetuum: sic eum ideo iustè prædicat veracitérque principium, quoniam in diuina, quam habet, substantia, genitoris semper asserit coæternum. Non autem ambigitur, vero principio nihil anterius: vero fine nihil posterius inueniri. Principiũ igitur Christus, quia sempiternus omnia præcedit: Finis Christus, quia perpetuus, vniuersa concludit. Principium Christus, quia ipse inchoauit perficienda: Finis Christus, quia ipse perficit inchoata. Principium Christus, quoniam ab ipso habent, quæ non fuerunt, vt sint:

Quomodo veritas catholica Christum, principium & finem intelligit.

sint: Finis Christus, quoniam ab ipso habent quædam quæ esse cœperunt, vt semper sint.

CAPVT VI.

QVid autẽ hinc dubitationis creditur derelictum, cùm in Melchisedech (quia Christi futuri pontificis typũ gessit) vnius eiusdemq; Dei & hominis Christi personam significatam demonstraret Apostolus, ostendens eam & secundum diuinam substantiam sine initio sempiternã, & secũdum seruilem formam, quam in tempore accepit, sine fine perpetuam? Sic idem igitur gentiũ Doctor loquitur ad Hebræos: Hic etenim Mel- Heb.7.a chisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde regum, & benedixit ei, cui decimas omnium diuisit Abraham. Primum quidem, qui interpretatur rex iustitiæ, deinde autem & rex Salem, quod est rex pacis: sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem filio Dei, manet sacerdos in perpetuũ. Posset vtcunq; in hoc forsan testimonio quicquam contradictio renitentium, super huius Melchisedech personam, tanto lumini veritatis opponere, si esset credendum, quamlibet creaturam sine initio naturaliter extitisse. At cùm clareat, omnem omnimodis creaturam, vtpote prorsus ex nihilo factam, initio non carere, cuius origo sola Creatoris volũtate & potestate, quãdo faciendam iudicauit, qui mutabiliũ operum dispositionem semper immutabilem habuit, substituta cognoscatur ex nihilo, quæ tamen nunquam fuerit priusquam initio creationis extiterit, nullatenus accipitur, quòd Melchisedech aut ex patre fuerit matreq; non genitus (quod est hominis primi) aut initio existẽdi naturaliter careat, quod solius est Dei. Ille itaque figuræ huius retinet naturaliter veritatem, qui in vtraq; natiuitate

Obiectio de Melchisedech, quod dicitur sine patre & sine matre.

tiuitate mirabilis, nec vspiã veritate naturalis caruit originis, & in vtroque mirabiliter natus est singularis. Quis est enim rex iustitiæ, nisi rex noster Christus? quî factus est pro nobis peccatum, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Quis est etiam rex pacis? nónne ille, qui ait, Pacem meam do vobis, pacem meã dimitto vobis? Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraq; vnum. Ad ipsum Propheta clamat, Domine Deus noster, pacem tuã da nobis: omnia enim dedisti nobis. Domine Deus noster, posside nos. Domine, præter te alium non nouimus, nomen tuum nominamus. Matrem quoque non habuit Christus Dei filius in Dei substantia, quã semper habet ex patre. Rursus idem patrem in hominis natura non habuit, quam ex sola matre suscepit. In veritate namq; vtriusq; natiuitatis singularitatem seruauit, & parentis & prolis: vt quãuis prius de solo patre, postmodũ de sola virgine nasceretur, vnus tamẽ idemq; fuerit, qui & prius de patre, & postmodum sit natus ex virgine, vt in vnius veri Dei veriq; hominis Christi miro atque ineffabili sacramento, nec naturalis genito defuisset ex gignente substantia, nec geminaretur in gignẽte genitõve persona, licet in vno Christo veritatem Dei & hominis naturæ virtus incõfusa seruaret: vnam tamen in Christo personam vtriusque naturæ indiuisa veritas exhiberet, vt nec gemina natiuitas vnius Christi videretur geminare personã, nec personæ vnitas, aut Dei in homine, aut hominis in Deo, verã posset abolere substantiam. Et licet vtraque vera in vno Christo substantia naturalẽ in se testetur & originis natiuitatem, & natiuitatis originem: mysterij tamen pietas mirabilis permanens, quandam diuinæ illius & ineffabilis generationis, quæ initium nõ habet, in hoc quoq; humana generatione certam nobis intelligentiæ lineã demonstrauit. Nam qui semper Deus ex Deo, idem temporaliter ex homine Deus & homo. Et in quo naturalẽ paternæ substantiæ plenitudinem natiuitas sempiterna possedit: in eodem plenam hominis naturã veritas naturalis exhibuit. filius enim Dei, vt nostrum ex visibilibus ad inuisibilia proueheret intellectum, veritatem in se demonstrauit humanæ naturæ, vt consequenter crederetur, ex veri Dei natura Deus verus naturaliter extitisse, quẽ verum hominẽ naturaliter natum cõstaret ex homine.

Christus rex iustitiæ & rex pacis recte dicitur. 2. Cor. 5. Ioan. 14. Ephes. 2. Esa. 26.

Christus sine matre vt Deus, sine patre, vt homo.

In vna Christi persona gemina natiuitas

CAPVT VII.

Temporalis Christi natiuitas ducit in cognitionem æternæ.

INitium quoq; natiuitatis in natura hominis Christus habuit, in qua sine initio non potuit mater esse quæ genuit, vt agnosceretur, naturæ veritate recognita, nullum diuinæ natiuitatis habuisse, vbi sempiterno patri, sicut initium existendi nullum fuit, sic nulla natiuitas initiatæ generationis accessit. Ita namq; vtriusque in se Christus Iesus demonstrauit substãtiæ veritatem, vt sicut in hominis Christi substãtia, salua prærogatiua singularis illius dignitatis, hoc substãtialiter inuenitur, quod naturaliter constat in homine: sic in eodem Deo Christo, hoc substantialiter esse credatur, quod naturaliter subsistit in patre. Vt cùm in homine Christo videtur veritas hominis, in eodẽ Deo Christo cognoscatur paternæ veritas deitatis. Et cũ ista natiuitas inuenitur initio subdita, quæ ex tẽporali homine substãtialis tẽporaliter extitit: illa quoq; sine initio credatur esse natiuitas, quæ de sempiterno Deo substantialis ac sempiterna subsistit. Ipse igitur sine matre in diuina substãtia, quæ est ex solo patre, naturaliter genitus, Ipse sine patre, fructu inuiolatæ virginis, quã coplexus nõ cõtigit maritalis, Ipse sine genealogia, de quo scriptũ est: Generationẽ eius quis enarrauit? Vt cũ in generatione vera filij Dei fides nobis cognitionẽ præstat, sermonẽ vero sempiternitas superat in eo, quod fidei cõstãtia credulitatis firma-

Esa. 53.

firmamento nutritur, Sermonis verò audacia, fideli timore comprimitur, Diuinæ generationis vera naturalis sempiternitas agnoscatur. Nam quia diuina, vtiq; naturaliter vera est, quia in Deo vero nihil est falsum. Quia vero nec cœpta est nec creata, sicut omnem cœptæ creatæq; naturæ superat cogitationis indaginem: sic omnem supergreditur eloquij facultatem. An forsitan quod de Dei pace Apostolicæ auctoritatis veritate percepimus, de eius generatione prorsus accipere dubitamus? cùm nobis Paulus beatissimus dicat, Pax Dei, quæ exuperat omnem intellectum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu. Cuius ergo pax, licet omnem superet intellectum, vera tamen sempiterna naturalisq; creditur, cur eius generationis, quæ superat omne prorsus eloquium, naturalis veritas & infinita sempiternitas abnegetur? Vbi ergo sempiterna pax est, credatur etiam sempiterna natiuitas: & cuius est credenda sempiterna natiuitas, non negetur immensa maiestas. Nullo quippe naturali fine concluditur, quod natiuitatis initio non tenetur. Et ideo immensa prorsus agnoscitur illa substantia, cuius est natiuitas non cœpta, sed vera. Nam quod aliquo circunscribitur fine, necesse est, vt loco teneatur aut tempore. Quomodo autem feciſſe tempus & locũ creditur, si loco ipse temporiue subdatur? Nam per ipsum omnis factus est locus, quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Per ipsum quoque factum tempus agnoscitur. De quo Paulus dicit: Multifariè multisq; modis olim Deus loquens patribus in prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio, quẽ constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula. Non est ergo localis, per quem factus est locus: nec temporalis, per quem factũ est tempus. Nam si localis ipse, locum fecit, & certum est omne locale in loco esse:

Philip. 4. b

Immensa Christi maiestas, quia sempiterna natiuitas.

Heb. 1. a

esse: consequenter intelligitur, quòd prius in loco fuerit, & sic locum creare potuerit. Sed hic locus, in quo fuisse Dei filius dicitur, quæro, vtrũ filio anterior, æquæuus ve credatur. Sed si aliqui anteriorem filio existimant locum, videant in quod barathrum nefariæ assertionis incurrunt, cùm rerum omnium operatori materiam cuiuslibet operis anteponunt. Cumq; Ioannes omnia per ipsum facta commemorat, nullam (quod absit) in se habuisse dicendus est veritatem, si quodlibet opus præcesſit opificem. Quomodo enim locũ facere potuit, ante quem esse, vel sine quo esse, si ita est factus, ipse non potuit? Tunc deinde solicita consideratione perpẽdat, quoniam sempiternitatis infinitatem loco videntur dare, quam filio Dei conantur adimere. Nam si propterea filium Dei non sine initio natum asserunt, quia dicit Euangelista, In principio erat verbum, & non dicit, ante principium erat verbum: Isti, qui locum ante verbum fuisse asserunt, ante principium quoque fuisse necesse est fateantur. Quoniam id, quod fuisse putant ante verbum, hoc existimant nõ habuisse principium. Si autem principium non habuit locus, ipse est sempiterno patri sine dubio coæternus. Et quoniam sempiternum distare non potest sempiterno, talis hanc impietatem profecto consequitur absurditas, vt aut localis putetur Deus, aut locus hoc credatur esse quod Deus, aut ipsum locum aliquod existiment esse sine Deo principium, quod sempiternitate sui naturaliter perseueret infectum. Sed quoniam hæc non sine impietate creduntur, idcirco non solum filio anterior, sed nec æquæuus dicendus est locus: per quem enim omnia facta sunt, huic facta quælibet anteferri conferrive non possunt. Quoniam qui omnia in numero & pondere & mensura disposuit, sicut tempore numerari, sic loco mensurari non potuit. Proinde Psalmus veraciter canit: Magnus dominus Deus noster,

Non fuit locus ante filium Dei, in quo naſceretur.

Nec fuit vllus locus verbo coæquæuus.

Psal. 146.

ster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus. Atque vt huius admirabilis sempiternitatis infinita mõstraretur immensitas, alio loco dicitur: Magnus dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Quia reuera necesse est, naturaliter pronuncietur immensum, quod est naturaliter sempiternum: quia quod semper est, non capitur numero: & quod vbique totum est, non concluditur loco. Idcirco denique alio scripturæ testimonio de sapientia dicitur, Attingit autem vbique propter suam mundiciam. Et paulo post: Attingit autem à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Hic vtique cum à fine vsque ad finem sapientiam audimus attingere, intelligendum est, quia cum à fine vsque ad finem attingit, vtrumque finem immensitate suæ infinitatis excedit. Ille enim omnem potest creaturam attingere, quem omnis non potest creatura concludere. Nam sicut implens cælum perseuerat immensus: sic à fine vsque ad finem attingens, permanet infinitus. Tale namque est, Attingit à fine vsque ad finem fortiter: quale est & illud, quod per Hieremiam dicitur: Ego Deus proximans, & non Deus de longinquo. Si absconditus fuerit homo in occulto, ego ergo non videbo eum? Nonne cælum & terram ego impleo? Qui implet omnia, videt omnia. Et in eo demonstrauit, quid sit, videbo eum, quod adiunxit dicens: Cælum & terram ego impleo. Neq; enim more corporali videre credendus est Deus, tanquam alibi sit ipse cùm videt, & alibi quod videt. Quicquid enim videt, non extra se videt, quia ipse implet vniuersa quæ videt. Nam scriptum est: Quoniam in omni loco oculi Dei speculantur bonos & malos. Et alio loco: Oculi domini super iustos, & aures eius ad preces eorum: vultus autem domini super facientes mala.

Psal.144.a

Sapientia attingit à fine vsq; ad finem.

Sapien.7.

Sapien.8.

Hie.23.c

Prouer.15.a

Psal.33.

CAP.

CAPVT VIII.

VBi non prætereundæ locus nascitur quæstiouis, in eo, quod Salomon dicit, In omni loco oculi Dei speculantur bonos & malos: & rursus Propheta dicit ad Dominũ: Mundus est oculus tuus, ne videat malum. Metuendum est enim ne hic, qui dicitur ea videre quæ dicitur implere, putetur alicubi non esse, cum dicitur aliquid non videre, quoniam non vbique substantialiter est, si vel in malis non est. Sed in diuinis sermonibus, si teneatur humilitas cordis, nulla reperietur repugnantia veritatis. Quodãmodo ergo videt omnia Deus, & quodammodo quædam non videt Deus, sicut quodammodo vbique totus est, & quodammodo alicubi non est: non quia substantialiter alicubi deest, (de quo scriptum est, Omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: quiq; secundum propheticum dictum, Mensus est manu aquam, & cælum palmo, & vniuersam terram clausa manu.) sed quia non omnibus æqualiter adest. Vbique enim adest per potentiam, non vbique per gratiam. Per potentiam, qua cũcta Deus implet & continet, per ipsam videt omnia: Per gratiam verò illud videre dicitur, quod ipse largitur, & quod in suis fidelibus operatur. Vidit enim Deus omnia quæ fecit, & ecce bona valde. Ac per hoc & vbi quædam nõ videt, vt tribuat: videt, vt retribuat. Sic etiã videt malum, & non videt malum: quia quod non videt vt probet, videt vt iudicet. Et quod non videt per gratiam suam donatum, videt à peccante per iustitiam exigendum. Quoniam & vbi non adest iustificandi largitas, non deest iudicandi seueritas, Beato Paulo dicente: Vide ergo bonitatem & seueritatẽ Dei, in eos quidẽ, qui ceciderũt, seueritatem: in te autem bonitatẽ, si permãseris in bonitate. Quæ cùm ita sint, quomodo potest substantialiter alicubi deesse?

Aba.1.d

Coloss.1.a

Esa.40.a

Gen.1.

Rom.2.c

Cum

Ioan. 1.a *Cùm lux etiam in tenebris luceat, licet tenebræ eam non cõprehendant. Aut quomodo potest aliquid substantialiter non videre? De quo B. Paulus euidentissime protestatur, dicens: Viuus est enim Dei sermo, &*

Heb. 4.c *efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus. Compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis, & nõ est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Omnia autẽ nuda & aperta sunt oculis eius. Nec hic, sicut superius diximus, vlla debet corporeæ visionis subintrare suspicio, tanquam Dei filius in cælo sit, & exinde cuncta videat, vbi non sit. Hoc est enim Deo videre, quod esse, & quantam insinuat visionem suam, tantã vult credi substantiam suam: vt cùm audimus, omnia nuda & aperta esse oculis eius, nullum terminum putemus substantiæ eius.*

CAPVT IX.

VT autem vnius infinitatis cum patre filius monstraretur, sancta scriptura curauit de sapientia

Sapien. 7.d *dicere, Splendor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. In hoc testimonio & naturalis vnitas, & personarum proprietas, & æqualitatis immensitas patris filiiq; monstratur. Patrem namque lucem, filium verò splẽdorem hoc in loco nullus ambigit appellari. De quo etiã Apo-*

Heb. 1.a *stolica dicit auctoritas: Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, gerens quoque omnia verbo virtutis suæ. Ecce & splendor esse filius, & omnia gerere perhibetur. Si quis ergo patrem putat immensum, filium vero quantitate credit aliqua terminatum, demonstret nobis qualiter lux & splendor diuersæ possint esse substantiæ: cùm nec confundantur nomine, nec segregentur genere, nec alterum altero differat quantitate.*

Nam lucis & splendoris non sunt confusa nomina, sed lucis & splendoris non est discreta natura. Rursus luci splendor sic indiuiduus vnitur, vt ab ea nullatenus separetur, tantumq; lux in se habet splendorem, quantam in se splendor continet lucem, nec lux vt luceat, splendore potest priuari, nec splẽdor, vt splendeat, luce potest aliquando destitui. Sed quæcunq; lux complet, æqualis in splendore permanens, eadem & splendor complet, in luce pariter æqualis existens. Quocirca si etiam lux illa æterna, nec sine suo potuit splendore esse, nec eodem potest carere: consequenter aut patri filioq; vnus dabitur qualitatis quantitatisq; terminus, aut æqualiter vterque necesse est prædicetur immensus. Quantus est enim splendor illius lucis, tantam necesse est lucem splendoris illius fatearis, quoniam lucem sic æquat suus in omnibus splendor, vt nec maior ibi possit esse nec minor.

CAPVT X.

MVltum verò miramur istos, qui in contumeliam filij Dei conspirant, æstimantes eum secundum deitatis substantiam, aut ad locum de loco motu locali transire, aut nõ posse simul omnia deitatis suæ immensitate complere: in tantum, vt cùm eum audiunt ad terram descendere, credant eum in cælo vel apud inferos non fuisse, & ad infernum secundum deitatis substantiam ita descendisse confirment, vt eum cælo defuisse tunc & terris existiment. Quomodo non considerant secundum scripturarum morem, quo parvulorum intellectui cælestia solent eloquia coaptari, nonnunquam in persona quoque patris similia reperiri? Vt enim illa legalium voluminum loca prætream, quibus dicitur, Et descendit dominus videre ciuitatẽ & turrim: tanquam si non descenderet, non videret, cum superius de-

Non descendit filius de cælo localiter.

Pater quoque in scripturis descendere & venire dicitur, sed nõ localiter.

Universidad de Deusto
Biblioteca

monstrauerimus, scripturam dixisse: In omni loco oculi Dei speculantur bonos & malos. Et ipse dominus ad prophetam, Ego sum Dominus Deus vniuersæ carnis, nunquid à me absconditur aliquid? Sed & illud, quod paulo post dicitur: Venite, descendamus & confundamus in illis linguas eorum. Ut ergo hæc silentio nunc interim deputentur, quoniam solent hæc aliquanti non totius Trinitatis, sed solius filij deputare personæ: quid de illo loco Euangelij dicturi sunt, in quo filius ipse discipulos, priusquam pateretur, informans ait, Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum? Cumq; Iudas discipulus non traditor respondisset dicens, Domine quid factum est, quia nobis manifestaturus es teipsum, & non mundo? Ut ostenderet manifestationis gratiam aduentus nomine demonstrari, Respondit Iesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Simul diligunt, simul veniunt, & apud suum dilectorem simul vnam faciunt mansionem, simul se manifestant: quia vno aduentus sui lumine cor dilectoris illuminant. Et quoniam reuelando se manifestant, non se sine sancto spiritu reuelant, quia non se sine sancto spiritu manifestant. Sic enim sine sancto spiritu cognosci non possunt: sicut sine suo spiritu esse non possunt. Et ob hoc, sicut vna est manifestatio, sic vna est reuelatio Trinitatis. Et vbi vnum est diuinæ reuelationis munus, ibi vnus est indiuiduæ Trinitatis aduentus. Nam sicut pater reuelare monstratur, ipso filio dicente, Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis: Ita filius patrem reuelare suo sermone monstratur, dicit enim

Genes. 1. b

Ioan. 14. c

Matth. 16.

enim: Nemo nouit filium, nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Non est etiam sancti spiritus dissimilis æstimanda reuelatio, in quo est ipsius Dei naturalis agnitio, dicente Apostolo: Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei. De ipso dicit idem gentium doctor: Nobis enim reuelauit Deus per spiritū suum. De hoc denuo ad Ephesios ita scribit: Vt Deus domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis. Et vt ostenderet, agnitionem Dei in nobis reuelationē spiritus operari, cùm dixisset, Det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis, adiecit: In agnitione eius. Sola vero se potest Trinitas reuelare, quia sola se plene potest ipsa Trinitas nosse. Et quantum se dederit agnoscendam, tantum se condonat reuelandam. Ibi autem est plena sui cognitio, vbi non est naturalis vlla discretio. Immensus namque ab immenso plene cognoscitur: & scientiæ infinitas manet, vbi substantia finem non habet. Nec scientiæ terminus ab aliqua creatura contingitur, vbi quod immensum est nullatenus terminatur.

Matth. 11.

1. Cor. 2. c

Ibidē paulo supra Ephes. 1. c

CAPVT XI.

SOla est ergo vna Trinitas, quæ cùm se manifestat, ineffabiliter venit: & cùm se indignis occultat, ineffabiliter omnino discedit. Veniunt atque abeunt proprio & incomprehensibili modo pater, & filius, & spiritus sanctus: nec tamen localiter aut pater, aut filius mouetur, aut spiritus. Nouerunt sic venire atque abire, vt nec ad locum localiter veniant, nec localiter de loco discedant. Hic aduentus patris, & filij, & spiritus sancti, non mobilitatem, sed pietatem Dei venientis ostendit. Vna enim deitas Trinitatis, quæ

Deus aduenit hominibus nō mobilitate vel loco, sed pietate.

omnia implet, omnia continet, illi venire dicitur, cui se manifestare dignatur: & ab illo discedit, à quo lumen suæ dilectionis abscondit. Nec tamen localiter absens efficitur, cùm iustè relinquit indignum: nec loco præsens efficitur, cùm misericorditer visitat quem fecerit dignum. Propterea, licet Deus dicat, Cælum & terram ego impleo: tamen de quodam dicitur, Non est Deus in conspectu eius. Et licet totum impleat pater, dicitur tamen in libro Sapientiæ: Peruersæ enim cogitationes separant à Deo: & cùm de filio, id est, de sapientia Dei dicatur, Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter: eadem tamen de se dicit: Quærunt me mali, & non inuenient. Et rursus dicitur: In maleuolam animam non introibit sapientia, nec inhabitat in corpore subdito peccatis. Spiritus quoque sanctus, cùm immensus omnimodis prædicetur, quia spiritus Domini repleuit orbem terrarum, de eodem tamen dicitur, Sanctus enim spiritus effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Quantum ergo ad substantiam & potentiam suam, vbique est Trinitas, vnus Deus, totus, totum complens virtute, non mole, totus in singulis, totus simul in omnibus creaturis. Quantum vero ad cogitationes attinet nostras, descendere ad nos Deus dicitur, cùm sermonem suum ita nobis diuinitas temperat, vt humano nobiscum more loquens, agnitionem & dilectionem suam nobis intimare dignetur. Ascendit autem in nobis, quando nos ascendimus per charitatem & scientiam deitatis, vt discamus, nec in immenso quicquam locale sapere, nec de altissimo humile aliquid æstimare, nec aliquid in Deo credere mutabile, nec in sempiterno temporale aliquid cogitare.

Psal. 9. e

Sapien. 8. a

Sapien. 1. a

Ibidé paulo post.

CAP.

CAPVT XII.

Quomodo Deus requieuit & operatus est, voluntate & nõ labore. Sapien. 12. Psalm. 133.

TAlis est patris & filij & spiritus sancti credendus aduentus, quoniam sicut mundana operatione primordialiter consummata, requieuisse dicitur Deus, qui tamen non laborauit in opere, quia cuncta sola operatus est voluntate. Huic enim dicitur: Subest enim tibi cùm voles, posse. Sicut & in Psalmo audimus: Omnia quæcunq; voluit fecit in cælo, & in terra, et in mari, & in omnibus abyssis. Cuius voluntatis omnipotẽtiam euãgelicus ille leprosus diuina illuminatione cognoscẽs, hanc ad suæ mundationis sufficere testatur effectum, dicens: Domine si vis, potes me mundare. Cùm dicit, si vis potes, ostendit diuinam voluntatem ipsam esse plenissimam potestatem. Denique etiam dominus hoc misericorditer effectu curationis ostendit, quod crediderat fideliter qui popposcit. Ait enim, Volo: mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Sicut faciens ergo mundum, non cuiusquã sensit laboris incommodum, vt vires labore operationis exhaustas, quietis posset instaurare successu, sed cum se requieuisse dicit, nos post bona opera requieturos ostendit: Ita cùm venisse vel descendisse dicitur, diuinæ reuelationis erga nos gratia commendatur: & cùm non descendere, sed ascendere dicitur, profectus nostræ illuminationis agnitionisq; monstratur.

Matth. 8. a

CAPVT XIII.

Noli me tãgere, nõ-dũ enim ascẽdi ad patrẽ. Ioan. 20.

TAlem Dominus Iesus ascẽsum significauit, quando tangendi se facultatem Mariæ Magdalenæ prohibuit. Post resurrectionem namq;, cùm flenti misericorditer appareret, Ioannes cum dixisse commemorat: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Hic tactus, de quo dominus loquitur, credulitatis probatur esse, nõ corporis: alioquin repugnãs Euan-

gelistarum reperietur assertio. Nam cùm Ioãnes tangendi dominum Mariæ facultatem præreptam, ipsius domini testetur imperio, dicentis, Noli me tãgere, nondum enim ascendi ad patrem meum, & Dominũ in cælum secundum hominem ascendisse quadragesimo resurrectionis die scriptura confirmet, quod non solũ Ecclesiæ sanctæ Catholicæ fides intemerata retinet, sed etiam variarum hæresum, earum duntaxat, quæ veræ carnis in Dei filio non abnuunt sacramentum, diuersa multiformisq; credulitas, vniuoco prorsus concelebret assensu. Si priusquã Dominus ascendisset ad patrem, voluit corporali ascẽsu Mariæ cõtingi, quomodo Matthæus, ipso resurrectionis die, Mariam Magdalene, & aliam Mariam, pedes Iesu memorat tenuisse? Quod vt manifestius agnoscatur, totum eiusdem loci capitulum, sicut Matthæus posuit, huic operi duximus inserendum. Ait igitur: Vespere autem Sabathi, quæ lucescit in prima sabathi, venit Maria Magdalene & altera Maria, videre sepulchrum. Et ecce, terræ motus factus est magnus. Angelus autẽ Domini descendit de cælo, & accedẽs reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentũ eius sicut nix. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondẽs autẽ angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos, scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis: nõ est hic, surrexit enim sicut dixit. Venite, videte locum, vbi positus erat Dominus: & cito eũtes, dicite discipulis eius, quia surrexit, & ecce præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis. Ecce dixi vobis. Et exierunt cito de monumento, cum timore & gaudio magno, currentes nuntiare discipulis eius. Et ecce Iesus occurrit illis dicens: Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Quomodo ergo se, eo quod nondum

Act. 1. a

Matt. 28. a

dum ascẽdisset ad patrem, à Maria Magdalene tangi vetuit, à qua sibi eodem die pedes teneri permisit? An ita quisquam peruerso sensu raptatur, vt momẽtaneis putet Christi sententias motibus variatas? tanquam qui postmodum melius recogitans Mariæ tribuerit, quod antea denegarit? Sed tali cogitationi protinus Vas electionis obsistit, qui in Dei filio, secundum immutabilitatem diuinitatis æternæ, nulla nos mutabilitatis suspicione permittit errare, Corinthijs ita scribens: Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me & Syluanũ & Timotheum, nõ fuit in illo, est & nõ, sed, est, in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est. Ideo & per ipsum dicimus, Amen Deo, ad gloriam vestram. Non ergo hic Euangelistarum discrepat intellectus, nec Christus aut inaniter se tangi, nondum ascendens ad patrem prohibuit, aut incassum sibi pedes teneri permisit. In vno enim demonstrauit veritatem carnis: In altero insinuauit gloriam deitatis. Illic permisit manum, hic amouit intellectum: vt in homine Christo resuscitatæ carnis tangeretur veritas, & in eodem Deo Christo paternæ diuinitatis crederetur æqualitas. Ideo igitur dicit, Noli me tangere, quia nondum ascendi ad patrem meum: quia Maria Magdalene nondum patri æqualem credebat, quem velut extinctum fœminea pietate plangebat. Quid est enim, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum? Nisi, noli hoc in me tantum credere quod putas, noli hoc in corde firmare quod æstimas, quia quãdiu in me illa tantum quæ sunt carnis attendis, æqualitatem meã cum patre non sentis. Et reuera nondũ illis Christus ascendit ad patrem, qui patri filiũ non confitentur æqualem. Festinãdum itaq; est, vt vnusquisq; perfectionẽ & veritatẽ humanæ naturæ in Deo filio credens tanquã pedes Christi teneat,

Dissolutio quæ videtur Euangeliorum.

1. Cor. 1. d

Noli me tangere.

eiusdémque filij de patre natam substantiam fateatur, vt illi Christus ad patrem per æqualitatem naturalis diuinitatis ascendat. Quid est enim, Nondum ascendi ad patrem meum, nisi infra patrem existimas, quem mortuum ploras? Et quid est, Noli me tangere? noli in eo fidei tuæ motum statuere. Quotienscunque enim volumus quolibet membro aliquid tangere, nisi eiusdem membri finierimus motum, non dicimus tactum. Tamdiu autem membrum illud necesse est moueamus, donec ad rem, quam volumus tangere, veniamus: Vlterius autem motum membri nõ porrigimus, postquam ad tactum integrum venerimus. Sic & animi nostri motum illic statuimus, quod in corde nostro credulitate firmamus. Proinde si quæ digna & congrua sunt credamus de Christo, tunc tangimus Christum. Quisquis autem Dei filium, secundum diuinam naturam, æqualem patri non credit, nondum illi ad patrem Christus ascendit: Et cui filius non ascendit ad patrem, tangendi Christum non accipit facultatem. Illi autem verè filius ascendit ad patrem, qui filium patri æqualem, sempiternitatis & immensitatis paritate nõ ambigit, vt filium Deum de Deo patre naturaliter genitũ, nec posteriorem æstimet, nec minorem: quia non æqualis, si minor immenso, nec coæternus, si posterior sempiterno. Vterq; autem sensus à Christi tactu separat, quia non exæquat patri filium, sed minorat. Huiusmodi autem digne audit à Christo, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Quisquis enim tãgere Christum non sinitur, ab eius vtiq; corpore separatur. Quod est autem corpus Christi, nisi Ecclesia Christi? Vnde intelligitur, quia donec aliquis filium Dei secũdum diuinam substantiam æqualem non credit patri: membris Christi per tactum fidei non potest copulari. Ille autem Dominici corporis tenet profecto compagem, cui filius ascendit

ascendit ad patrem: Illi autẽ filius ascendit ad patrem, qui Deitatem filij Deo patri fatetur æqualem. Manifestè itaque claret, per illum ad patrem ascensum filij, nostræ potius profectum fidei demõstrari: nos enim eum quodammodo in nostris cordibus exaltamus, quando sic in eius intelligentia crescimus, vt de illo, tanquam de Deo vero, quæ* diuinæ celsitudini digna sunt, cogitemus.

* diuina celsitudine

CAPVT XIIII.

AD hanc nos Dei exaltationem Dauid sanctus hortatur, dicens: Exaltate dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Et paulo post: Exaltate dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius, quoniam sanctus dominus Deus noster. Quid est autẽ exaltare dominũ, nisi quæ altissima sunt de altissimo credere? Hoc est vtique in monte adorare, vt cùm de Deo cogitamus, nihil de illo humile sapiamus. Sic in nobis verè exaltatur, quando eum exaltamus, cùm sit ipse semper altissimus, sicut in nobis sanctificatur, quando eum sanctificamus, cum semper ipse maneat sanctus. Nam Beatus Petrus admonet nos, dicens: Dominum verò Christum sanctificate in cordibus vestris. Quid est autem Christum sanctificare, nisi de Christo quæ sancta sunt cogitare? quæ cogitatio non illum, sed nos sanctificat, & sanctificando conseruat. Sicut Salomon dicit: Cõgitatio sancta seruabit te. Ipse quoq; dominus iubet, vt in oratione dicamus: Sanctificetur nomen tuum. Et tamen hunc orationis locum sic beatus intellexisse cognoscitur Cyprianus: vt in hac diuini nominis sanctificatione, nõ Deum diceret sanctificari, sed nobis donum sanctificationis diuinæ conferri. In epistola namque de Dominica oratione, quibusdam præmissis, ita loquitur; Post hoc dicimus, Sanctificetur nomen tuum: non quod optemus

Exaltate dominũ Deũ nostrum. Psalm. 98. Ibidem.

1. Pet. 3.

Sanctificetur nomen tuum. S. Cyprianus in Oratione Dominicam.

Universidad de Deusto Biblioteca

mus Deo,vt sanctificetur orationibus nostris: sed quòd petimus ab eo,vt nomen eius sanctificetur in nobis. Cæterũ à quo Deus sanctificatur,qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit,Sancti estote,quia & ego sanctus sum:id petimus & rogamus,vt qui in baptismo sanctificati sumus,in eo quod esse cœpimus,perseueremus:& hoc quotidie deprecamur. Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione:vt qui quotidie delinquimus,delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus. Si ergo sanctificantes Christum nos sanctificamur,et nomen Dei sanctificari poscẽtes,nos donum sanctificationis accipimus: cur exaltãtes Deũ,non potius nos per intelligentiæ profectũ exaltari credamus? Quod si Deũ exaltãtes,nos potius exaltamus: similiter cùm nobis venire dicitur,nostrũ profectum debemus credere, in eo quòd se diuina maiestas nostris dignatur cordibus reuelare.*

Leuit.20.

* exaltamur:

CAPVT XV.

Quomodo à Christo virtus exijt,mulie re fimbriã eius tangente. Luc.8.f

NAm si filius Dei ad nos locali motu descẽdit, localiter de illo virtus exiuit. Cùm enim quædã mulier,in profluuio sanguinis cõstituta, facultatibus viribusq; consumptis,omnia quæ habuit propter infirmitatem finiret,& solam infirmitatem,quam habere nollet, finire non posset, atq; cælesti medico gratis curari desiderans,occulte fimbriam tangens,fideli raptu,sanitatis sibi furaretur effectũ:ille credulitatis cõscius & salutis, ait:Tetigit me aliquis. Nam ego noui virtutem de me exisse. Quid igitur hæc virtus,quæ de domino exiuit? Nunquid exeundo discessit? An ad sanandã sic exiens potuit peruenire,vt à Saluatore localiter non posset exire? Quod si localiter ab eo, qui virtus dicitur, virtus exiuit, dicatur qualiter virtus à virtute discessit? Si verò talis credulitas, fidei Christianæ videtur incongrua,non aliũ putemus illũ de Christo virtutis exitum, nisi

nisi diuinæ curationis effectũ. Tunc enim ad mulierem virtus Saluatoris exiuit,quãdo in se virtutem diuinæ curationis agnouit. Sic ergo Dei filius,qui est virtus & sapientia Dei, locorũ creator & temporum, quẽadmodum tẽpus omne sempiternus præcedit, sic omnẽ locum immensus excedit. Qui nobis tunc venire dicitur,cùm nos illuminare dignatur. De ipso namq; dicit Euangelista: In mũdo erat,& mundus per ipsum factus est,& mundus eum nõ cognouit. In propria venit,& sui eum non receperunt. Quomodo igitur & in mundo fuisse dicitur,& in mundũ venisse firmatur? An illud est potẽtiæ,istud gratiæ deputandũ? ita planè. Secundũ diuinitatẽ namq; suã nec cælo vnquã defuit,nec inferno,nec mũdo. Omnia enim per ipsum & in ipso creata sunt,& ipse est ante omnes,& omnia in ipso constãt. Secundum gratiã verò tunc in mundũ venit,quãdo pereunti mũdo mira pietate subuenit. Quod etiã ipse testatur,dicens: Non enim misit Deus filiũ suũ,vt iudicet mũdum:sed vt saluetur mũdus per ipsum. Est igitur immensus Dei filius, sicut pater & spiritus:quoniã de ipso dictum est, Magnus est,& nõ habet finẽ,excelsus & immẽsus. De quo paulo post dicitur, Post hæc in terris visus est,& cũ hominibus conuersatus est. Immensus est etiã spiritus sanctus. Quod sciẽs Propheta dicebat ad Deũ: Quo ibo à spiritu tuo,& à facie tua quo fugiã? Quem spiritum Dei,vt ipsum sanctum spiritum Propheta memoratus ostenderet, dicit Deo: Ne proijcias me à facie tua, & spiritũ sanctum tuũ ne auferas à me. Quẽ spiritũ Dei ipsum esse spiritũ sanctũ Apostolus quoq; hac attestatione significat: Nolite cõtristare spiritum sanctũ Dei, in quo signati estis in die redẽptionis. Et alio loco: Qui autẽ hæc spernit, nõ hominẽ spernit,sed Deũ,qui etiam dedit spiritũ suum sanctũ in nobis. Hunc spiritum Dei sanctum sic immensum Dauid pronũtiat,vt Deo,sicut superius

Quomodo Christus nobis veni re dicitur, aut in propria.

Ioan.3.b

Bar.3.c.d

Spiritus sanctus quoq; immensus est.

Psal.138.

Psalm.50.

Ephes.4.d

superius memorauimus, dicat: Quo ibo à spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: & si descendero in infernum, ades. Et si assumpsero pennas meas in directione, siue (sicut alia translatio habet) ante lucem, & habitauero in nouissimo maris: Etenim illuc manus tua deducet me, & continebit me dextera tua. Psal. 138.

Tota trinitas immẽsa

Manum patris, filium nullus ambigit nominari, de quo ipse Deus dicit, Nónne manus mea fecit hæc omnia? Attamen Propheta, vt Trinitatem æqualiter prædicaret immẽsam, & patrem significauit, cui dixit, Quo ibo à spiritu tuo: Et ipsum spiritum, à quo se ire vel fugere, nullo modo posse testatur: Et filiũ demonstrauit, vbi se à Dei manu etiam in nouissimo maris prædicat deducendum: vt agnoscatur patris, & filij, & spiritus sancti vna esse immensitas, & vna præsentia in omnibus creaturis. Hæc est Trinitas vnus Deus, qui sicut potuit solus vniuersa condere, sic potest omnia solus implere. Nec localis in loco, nec temporalis in tempore, nec terminabilis termino creaturæ.

CAPVT XVI.

Deus est vbique, imo & in secreto preces audit.

NAm immensitatem diuinitatis filij Dei, manifesta prædicatione, & eloquiorum diuinorum attestatione, Beatus martyr Cyprianus affirmat in epistola de Oratione Dominica, dicens: Denique magisterio suo dominus secretò nos orare præcepit, in abditis & secretis locis, in cubiculis ipsis: quod magis conuenit fidei, vt sciamus Deum vbiq; esse præsentem, audire omnes & videre, & maiestatis suæ plenitudine in abdita quoque & occulta penetrare, sicut scriptum est: Ego Deus approximans, & non Deus de longinquo. Si absconditus fuerit homo in absconditis, ego ergo nõ videbo eum? Nónne cælum & terram ego impleo? Et iterum: Hie. 23. c

Proue. 15. a

In omni loco oculi Dei speculantur bonos & malos. Et quando in vnum cum fratribus conuenimus, & Sacrificia Diuina cum Dei sacerdote celebramus, verecundiæ & disciplinæ memores esse debemus: nõ passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modestè, Deo tumultuosa loquacitate iactare, quia Deus non vocis, sed cordis auditor est: nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes videt: Probante domino & dicẽte, Quid cogitatis nequam in Luc. 5.

cordibus vestris? Et alio loco: Sciẽt omnes ecclesiæ, quia Hier. 17.

ego sum scrutator renis & cordis. Beatus certè Cyprianus Deum, quem dixit vbique esse præsentem, audire omnes & videre, & maiestatis suæ plenitudine abdita quoque & occulta penetrare, ipsum quoque non vocis, sed cordis asserit auditorem, nec admonendum clamoribus qui cogitationes videt, ipsum quoque ponit dicentem: Quid cogitatis nequam in cordibus vestris? Et alio loco: Scient omnes ecclesiæ, quia ego sum scrutator renis & cordis. Hæc autem quis nesciat à filio Dei dicta? sicut Apocalypsis Euangeliumq; testatur. Filius igitur (sicut sanctus asserit Cyprianus) vbique præsens est, idem omnes audit & videt, & maiestatis suæ plenitudine in abdita quoque & occulta penetrat, nec clamoribus admonendus est qui cogitationes videt. Huic sensui, Ioannis Euangelistæ dicta concordant, qui dicit de quibusdam: Quia Iesus non credebat semetipsum Ioan. 2.

illis, eo quòd ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat, quid esset in homine.

Ex dictis quoque B. Cypriani filius Dei immensus est.

CAPVT XVII.

Christus nunquam suos derelinquit solos, quia eis vbique adest.

SImile quiddam beatus Cyprianus etiam ad Tybaritanos scribens, de filij Dei immensitate testatur his verbis: Solus non est, cui Christus in fuga comes est: Solus non est, qui templum Dei seruans, vbicunque fuerit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuerit, sine domino non est. Et si fugientem in solitudine ac montibus latro oppresserit, fera inuaserit, fames aut sitis aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti nauigatione properantem tempestas aut procella submerserit: spectat militẽ suum Christus vbicunq; pugnantem. Serm. 5. In epistola quoque de lapsis, quisquis volet, hæc inserta reperiet: Videt ille corda & pectora singulorũ, & iudicaturus nõ tamen de factis, sed & verbis et cogitationibus nostris, omniũ mentes voluntatésq; conceptas intra ipsas adhuc clausi pectoris latebras intuetur. Filius ergo Dei, tam auctoritate diuina quàm sanctorũ patrum fideli veraciq; sententia, secundũ diuinam naturã infinitus immẽsusq; probatur, vbiq; præsens, omnia replẽs, testis nunc cogitationũ & operum, futurus iudex retributorq; cunctorum. Quia vero idem filius Dei verus Deus natus de Deo patre, verus homo factus est pro nobis ex homine, factus est enim ex semine Dauid secundum carnẽ, diuinæ humanæq; naturæ in se continẽs veritatem, quæ fuerũt veræ diuinitatis non amisit, & quæ sunt veræ humanitatis accepit. Vnus idemq; secundum carnem de matre temporaliter natus, qui secundũ diuinitatem de patre permanet sempiternus. Vnus idemq; homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex patre. Vnus idemq; secundũ humanã substantiam, absens cælo, cùm esset in terra: & derelinquens terram, cum ascendisset in cælum. Secundum diuinam vero immensamq; substantiam, nec cælum dimittens, cum de cælo descendit: nec terram deserens, cum ad cælum ascendit. Quod ipsius Domini certissimo potest cognosci sermone, qui vt localem ostenderet humanitatẽ suam, dicit discipulis suis: Ascendo ad patrem meum & ad patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. De Lazaro quoque cùm dixisset, Lazarus mortuus est, adiunxit dicens: Et gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram

Deo omnia manifesta.

Ioan.20.d

Ioan.11.

eram ibi. Immensitatem vero suæ diuinitatis ostendens discipulis dicit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Quomodo autẽ ascendit in cælũ, nisi quia localis & verus est homo? Aut quomodo adest fidelibus suis, nisi quia idem immensus & verus est Deus? De ipso rursum dicit scriptura, Quia vere habitauit Deus cum hominibus in terra: de quo Euangelista dicit, Verbũ caro factũ est, & habitauit in nobis. Quod verbum, vt agnosceretur etiam cùm caro factum est, & habitauit in nobis, nũquam discessisse de cælo: propterea Dauid dicit: In æternum domine permanet verbum tuum in cælo. De ipso vno eodémque Dei sempiterno filio, & futuro tunc hominis filio, in quo permansisset vera & immensa diuinitas, & à quo suscipienda esset vera localisq; humanitas, Propheticæ inspirationis agnitione repletus, dixerat Hieremias: Hic Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum. Adinuenit omnẽ viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus cõuersatus est. Et quoniã de ipso superius dixerat, Magnus est, & nõ habet finẽ, excelsus & immensus, ne ista Dei in terra visio, & cum hominibus cõuersatio Deum immensum putarẽt alienasse de cælo: propter hoc ipse filius, vt immensitatem diuinitatis suæ in terra positus demõstraret, & secundũ hominẽ, quem susceperat in terra positus, secũdum Deũ quod semper erat præsentẽ se etiã cælo doceret, ait: Nemo ascendit in cælũ, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo. Nõ quia humana Christi substantia fuisset vbiq; diffusa, sed quoniã vnus idemq; Dei filius atq; hominis filius, verus Deus ex patre, sicut homo verus ex homine, licet secundum veram humanitatem suam localiter tunc esset in terra, secundũ diuinitatem tamẽ (quæ loco nullatenus cõtinetur) cælum totus impleret & terram.

Matth. vlt.

1. Para. 6. d

Psal. 118.

Prophetia Baruch de Christo verba sunt Hieremiæ.

Ioan. 3. c

CAP.

CAPVT XVIII.

Ex verbis apostoli Christus & immēsus & localis probatur.

ISTam Christi veram humanitatem, quæ localis est, vt veram diuinitatem (quæ immensa semper est) Apostolica quoque nobis doctrina cernimus intimari. Nam vt Christi veri hominis corpus localiter contineri, Paulus monstraret Apostolus, ait ad Thessalonicenses: 1.Thes.1.d Quomodo conuersi estis ad Deum à simulacris, seruire Deo viuo & vero, & expectare filium eius de cælis, quem suscitauit à mortuis Iesum, ipsum vtique monstrans corporaliter de cælo venturum, quem corporaliter à mortuis nouerat suscitatum. Propterea rursus ait: Phil.3.d Nostra autem conuersatio in cælis est: Vnde etiam saluatorem expectamus dominum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, cōforme corpori claritatis suæ, secūdum operationem, qua potest etiam subijcere sibi omnia. Interim quoniam loci oportunitas non est prætereunda silentio, attendatur hic locus, in quo Apostolus filiū dicit, omnia sibi posse subijcere, ne pater existimetur cuncta tanquam inualido subiecisse, dicit etiam corpus humilitatis nostræ reformaturum conforme corpori claritatis suæ. Quod si verum est corpus Christi, loco potest vtiq; cōtineri. Hanc veritatem corporis Christi de cælo venturi, Ioannes Apoc.1.b quoque confirmat, dicens: Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt.

Corporalis Christi ascensus. Act.1. In libro quoque Actuum Apostolorum, sic eius corporalis intimatur ascensus, Et cūm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumq; intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta eos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus, quem vidistis euntem in cælum, sic

Habitat in nobis Christus. veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Cūm ergo caro Christi localis absq; dubitatione monstraretur,

straretur, diuinitas tamen eius vbiq; semper esse, Paulo testante, cognoscitur, qui fidelibus dicit, An experimentū quæritis eius, qui in me loquitur, Christi? Quomodo autem in eo loqui potuit, si in illo non fuit? Vel quomodo corporaliter ascendit in cælum, & in suis fidelibus esse prædicatur in terra, si non est in illo diuinitatis immensitas, quæ cælum implere possit & terram? Nam Corinthijs Paulus dicit, An non cognoscitis vos ipsos? quia Iesus Christus in vobis est. Et ad Ephesios ait: In interiori homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Est itaque filius in cælo, & habitat in nobis in terra: scilicet illa suæ immensitatis præsentia, qua in nobis pater spiritusq; sanctus habitat. Nam Deus pater suam in nobis habitationem sic, Propheta loquente, monstrauit: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus: & ipsi erūt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus: Et immundū ne tetigeritis, & ego recipiā vos: & ero vobis in patrē, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit dominus omnipotens. Spiritū quoq; sanctum in nobis pariter habitare Paulus ostendit, ita Corinthijs scribens, Nescitis, quia templū Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? ac ne quis eorum, qui spiritum sanctum minorem patre filioq; constituunt, hic vbi dictū est, Spiritus Dei habitat in vobis, ad personam sancti spiritus deneget pertinere: quid in illo replicaturus est loco, vbi Apostolus Timotheum solicitudine paterni amoris informat, Bonum depositum, inquiens, custodi per spiritum sanctum qui habitat in nobis? 2.Cor.13. Habitat in nobis Deus pater. Leuit.26. 2.Cor.6.d Esa.52. Hier.3. Habitat in nobis spiritus sanctus 1.Cor.3. 2.Tim.1.d

CAPVT XIX.

Eiusmodi habitatio non localiter est sed immensa.

HÆc vtique patris & filij & spiritus sancti in nobis habitatio, non localis est, sed immensa: non comprehensibilis cogitatione, sed venerabilis fide. In-

habitat enim Trinitas in suis fidelibus, sicut tota in singulis, sic tota in cunctis, quæ nec cæli terræq; spatio distenditur, nec vniuersæ creaturæ termino terminatur, nec per separatos homines & separata loca, particulariter separatur, nec inferno deest: cùm terræ non desit & cælo. Qui enim potuit omnia facere, solus potest vniuersa replere. Quisquis autem localem filij & spiritus sancti aduentũ habitationémve considerat, prius est, vt patrem in nobis localiter non solum habitare, verum etiam ambulare confirmet, quem beatus Paulus dixisse asserit per Prophetam: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo. Explicetur ergo, qualiter in nobis filius vel spiritus sanctus inhabitat. Nam si hac humano more credimus metienda, maioris est quantitatis qui habitare tantummodo dicitur, quàm ille qui etiam in nobis ambulare monstratur. Potest enim qui habitat, totum implere quod habitat. Qui autem inambulare dicitur, minor vtique spatio, in quo ambulat, absque dubitatione monstratur. Sed hanc cogitationis ineptiam deterior consequetur absurditas. Procul dubio enim cordis nostri spatia videbuntur ipsa Trinitate maiora, in quibus sit locus, quem filius atque spiritus sanctus inhabitando implere possint, & locus quem inambulando pater implere non possit. Quod si hac non conueniunt veritati, credamus habitationem Trinitatis, secundum immensitatis illius incomprehensibilem maiestatem ineffabiliter designari.

2.Cor.6.

Cor nostrũ dilatatur Deo inhabitante.

Et cùm Deum in nobis habitare atque inambulare audimus, ita spiritaliter cognoscamus, vt nõ credamus, quod Deus localiter moueatur in corde nostro: sed quod cor nostrum dilatetur in Deo. De qua cordis latitudine Apostolus loquebatur dicens: Os nostrũ patet ad vos ô Corinthij, Cor nostrũ dilatatum est. Eandem autem habentes remunerationem (tanquam filijs dico) dilatamini

2.Cor.6.

mini & vos. Vbi paulo post testimonium Prophetæ posuit superius memoratum, dicens: Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis & inambulabo.

CAPVT XX.

Immẽsitas trinitatis ex forma ostenditur.

SEd nec illud est aliquatenus omittendum, quo manifestissima Trinitatis immẽsitas, & per omnia non localis, sed diuina mirabilisq; præsentia demonstratur, dum in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, secundum ipsius domini præceptum credentes, vbi cognoscimus baptizari. Si enim omnis Trinitas in baptismate sanctificare creditur, omnis vtique Trinitas adesse mõstratur. Cùm autem vbique vno tempore per totum orbem baptisma celebratur in nomine Trinitatis, si tota Trinitas adest ad sanctificandum, ecce vbique mirabiliter exhibet præsentiam maiestatis immensæ, quoniam solius est Dei, simul vniuersa complere. Si autem non tota Trinitas vbique pariter adest, si filius aut spiritus sanctus putatur deesse, nominandus vtique in baptismate non est, qui ad sanctificandum adesse non potest. Quisquis ergo putat, æqualitatem immensitatis paternæ denegandam filio vel spiritui sancto: nomen eorum prius auferat de baptismatis sacramento. In hoc igitur quammaxime fidei catholicæ veritas agnoscitur, quæ recte in nomine patris, & filij, & spiritus sancti baptizare consueuit: quoniam omnem Trinitatem vbique pariter adesse confidit. Posset adhuc immensitas diuinitatis filij Dei testimonijs innumerabilibus demonstrari: sed nos maluimus pauca de pluribus ponere, volentes etiam secundum librum celerius terminare: quammaxime prospicientes, vt in his quæ vestræ clementiæ destinamus, animum regalibus curis fœliciter occupatum non lectionis prolixitas

Conclusio secundi libri de immensitate diuinitatis filij Dei.

Universidad de Deusto
Biblioteca

oneret, sed manifestatio veritatis informet. Proinde quæ de immensitate diuinitatis filij Dei disputata sunt, isto concludamus termino: vt ea quæ de Sacramẽto dicenda sunt Dominicæ passionis, alio rursus incipiamus exordio.

B. FVLGENTII AD TRASIMVNDVM REGEM,

Liber tertius, De sacramento Dominicæ passionis.

CAPVT I.

QVANQVAM secundo libro, superni muneris opitulatione subnixi, diuinitatẽ filij Dei probauerimus immensam, nec tempore scilicet nec loco conclusam: vtpote quæ omnia replet, omnia continet, omnia sempiternitate præcedit, omnia pariter immensitate concludit, quod idcirco quammaxime curauimus demonstrandum, vt si qui nunc vsque spiritaliter de Deo nequeunt cogitare, localis in Dei filio suspicionis absoluerentur errore: non minor nobis est solicitudo residua, tertij quoque huius voluminis absoluendi, quo de Sacramento dominicæ passionis, quod ipse, qui pro nobis passus est, donauerit, sumus vtique tractaturi. Vbi non minimo timore concutimur, nec leui formidine perurgemur. Sumus enim prorsus (quantum ad nos attinet) explicationi tantæ profunditatis inualidi. Sed ille, qui aperuit os mutum, & linguas infantium facit disertas, ipse (sicut confidimus) dabit sermonem directum & bene sonantem in os nostrum, tantamq; huic operi (quod per nos dignatur misericorditer operari) demonstrãdæ veritatis gratiam largietur: vt manifestis scripturarũ clareat documentis, &

Difficultas tertij libri de passione Domini.

tis, & rectitudo Catholici dogmatis, & tortuosus error ac multiplex hæreticæ prauitatis. Sunt enim quidam, qui de sacramento dominicæ passionis aliter, quàm se pietas habet, cogitantes, dum salutem quærunt, dispendium salutis incurrunt: & dum in Deo id accipiunt, quod in hominibus cernunt, quadam velut lanceæ perversæ loquutionis latus percutiunt saluatoris: Et cùm increduli milites detrahere ausi non fuerint morienti, quidam nunc sub Christiani nominis fuco non metuũt derogare regnanti. Hi sunt, qui cùm in vno Christo Deo vero homineq; perfecto humanam diuinamq; forsitan nequeunt, aut certe negligunt, secundum naturalem veritatem considerare substantiam, in id erroris incurrunt, vt non humanam in Dei filio naturam, manente diuinæ virtutis immutabilitate considerent, sed vt diuinam substantiam diuinæ infirmitatis passibilitate dedecorent. Quod vtique diuino spiritu prænidẽs, dicebat Apostolus: Verbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salui fiunt, virtus Dei est. Pereunt in verbo crucis, non solum qui putant Dei filium quæ humana sunt in carne pati non potuisse: verumetiam qui credunt diuinitatem filij Dei, dolores vel passionẽ substantialiter in cruce sensisse. Quomodo autem verbum crucis virtus est Dei, si in cruce diuina substantia potuit infirmari? vel qualiter nos ad immutabilitatis atq; incorruptionis gratiã perductu-rus est Christus, si ipse secundum diuinam naturam probatur in deterius commutatus? Cum diuinæ naturæ sit proprium, nec defectum capere, nec profectum.

Impietas erroris circa humanitatẽ Christi

Verbũ crucis pereuntibus stultitia est. 1. Cor. 1.

CAPVT II.

Cautè de Christo tractandũ propter duas naturas in vna persona.

IGitur quid in Christo semper impassibile, quidve ante mortem carnis passibile fuerit, tractaturi: primitus libello huic inserẽda duximus, quæ de vno Christo Deo

sto Deo homineq3 credimus & tenemus. Ne quis, cùm in vno Christo cœperimus ea quæ ad proprietatẽ diuinæ humanæq3 naturæ pertinent, demonstrare, aut duos Christos nos existimet credere, secundum vtramq3 naturam, aut quartã à nobis inseri putet Trinitati personam. Nos enim fidem retinentes Euangelicæ veritatis, sic in Mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu, propria vniuscuiusque naturæ cognoscimus: vt vnitatem personæ nullatenus diuidamus: Scientes, quod sic vtriusque in Christo substantiæ manserit vnita proprietas: vt in carne patiens impassibilis Deus, & veram passionem (quia voluit) in vera carne sentiret, & in diuinitate prorsus impassibiliter permaneret: Nec alius in carne passus fuerit, nisi ille, qui in vera carnis passione impassibilis omnino permansit. Nec alius semetipsum morti dignatus sit tradere, quàm ille qui sic potuit moriendo mortem vincere, vt mortẽ non posset in morte sentire. Sed hæc qualiter in vnitate personæ, substantiarum in Christo proprietate seruata dicamus, professionis nostræ series subiecta monstrabit.

CAPVT III.

Recta fides de diuinitate filij Dei.

CRedimus igitur Dei filium, ante omne prorsus initium, hoc est, sine aliquo suæ natiuitatis initio, de patris substantia genitum, Deum de Deo, Dominum de domino, non ex nihilo, quia de patre, non nuncupatiuũ, quia nomen habet ex veritate naturæ: non ex aliqua natura, quia nõ aliquid fuit coæternum Deo, vnde origo filio præstaretur: nec posteriorem filium eo qui genuit, nec minorem, sed (sicut etiam in secundo libello diximus) patri prorsus & sempiternitate immensitatis, & immensitate sempiternitatis æqualem, immutabilem mutabilium conditorem: Intemporalem, temporalium factorem & temporum, quem nullus continet locus,

locus, quo nullus caret locus, quia cuncta replet Creator immensus. Qui non propterea non est Deus, quia dicitur genitus, sed ideo verus digne creditur, quia de patre substãtialiter genitus prædicatur. Quod enim dicitur genitus, non hoc est nomen diuinitatis in filio, sed nomen est natiuitatis in Deo: vt quem cõstat de patre naturaliter genitum, constet non aliud esse quàm Deum. Hic itaq3 de patre sempiternus existens, vnam tenuit cum Deo patre naturam, sed propriam sumpsit ex genitore personam, quia diuina natiuitas, nõ diuisionem naturalis vnitatis habuit, sed personam filij subsistentis à patre distinxit, & ex vocabulo patris alium qui natus est monstrat, vt errorẽ Sabellianæ confusionis excludat, sicut ipse filius protestatur, dicens: Alius est, qui testimonium perhibet de me. Et scio, quia verum est testimoniũ, quod perhibet de me. Et vt ostenderet, quem alium diceret, post pauca subiecit. Qui misit me pater, ipse testimonium perhibet de me. Alio loco similiter suam personam patrisq3 discernens, Non sum, inquit, solus, quia pater mecum est. Ad hanc distinctionẽ geminæ personæ & professionẽ vnius substantiæ in patre & filio perdocendam, ipse filius dicit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me: & qui videt me, videt eum qui me misit. Vnus est igitur filius ex patris natura genitus, qui ideo vnigenitus dicitur, vt ex proprietate paternæ naturæ vnus & genitus demonstretur. Sed hic, qui vnigenitus ex patre naturaliter dicitur, sicut inseparabilis est vnitate naturæ, sic inconfusibilis permanet proprietate personæ. Ob hoc se tantummodo Dei filius vnigenitum nominat dicens: Sic enim dilexit Deus mundum, vt filiũ suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitã æternã. Et paulo post: Qui credit in eum, non iudicabitur: qui autẽ non credit, iã iudicatus est:

Alia persona patris, alia filij, in vna natura

Ioan. 5. c

Ibidem 8. b

Ibid. 12. f

Christus vnigenitus. Dei.

Ioan. 3.

tus est: quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Ioan.1. De solo Ioannes quoque protestatur, & dicit: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Plenus gratiæ & veritatis. Verbum caro factum, plenum est gratiæ susceptionis humanæ, quia Christus nihil in se minus hominis habet: Idémque vnigenitus à patre, plenus est veritatis paternæ substantiæ, quia omnem in se diuinitatis paternæ plenitudinem naturaliter habet. Plenum igitur gratiæ & veritatis Euangelista cognouit, quem vnum eundémque verum hominem gratia veræ incarnationis ostenderet, & verum Deum vnigenitum à patre natiuitatis æternæ veritas declararet. Quid autem filio prodest vt nuncupetur vnigeniti nomine, si priuatur vocabuli veritate? Frustra namque vnigenitus dicitur, si in eius generatione non naturalis de Deo generante veritas, sed creationis ex donante largitas prædicatur. Ibidem. Et alijs enim quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quod si etiam vnigenitus filius factus dicitur ex gratia, non vere genitus ex natura: procul dubio nomen & veritatem vnigeniti perdidit, postquam fratres habere iam cœpit. Priuatur enim huius veritate nominis, si in vnigenito non est de patre veritas naturalis.

CAPVT IIII.

Filij Dei adoptiui in eodem regno diuersa inter se claritate.

ET enim in filijs Dei, qui non de Dei patris natura subsistunt, adoptiuæ communio dignitatis diuersitatem munerum potest habere, non nominum. Et adoptantis gratia, cunctis ex Deo nascentibus, quamuis diuersæ retributionis munus pro laboris merito repromittat, vnum tamen cunctis filiorum nomen accommodat, & vna per fidem veram renatis vita cœlestis regni promittitur, quamuis differens regnaturis gloria tribuatur,

buatur, Paulo Beato dicente: Alia claritas solis, & alia 1.Cor.15. claritas lunæ, & alia claritas stellarum: Stella enim ab stella differt in claritate. Sic & resurrectio mortuorum, & his tamen omnibus pro illa potestate, quam eis dedit, filios Dei fieri, simul dicetur dextris: Venite be- Matt.25. nedicti patris mei, percipite regnum, quod paratum est vobis ab origine mundi. Simul etiam de omnibus dicitur: Iusti autem ibunt in vitam æternam. Ibidem. Æqualiter igitur tenebit cunctos Dei filios vnigenitas adoptiui nominis, licet meritorum qualitatem monstratura sit differentia claritatis. Nec in eo, quod spiritalis esse cœpimus natiuitatis exortu, discernimur nomine, quamuis ex profectu simus discernendi mercede. In eo namq;, quod voluntarie genuit nos verbo veritatis, pariter filios nuncupauit gratia genitoris. Quod si diuina illa filij sempiternáque natiuitas, non de natura Dei patris, sed ex gratia creditur substitisse, non debet vnigenitus vocari, sed tantummodo genitus. Quoniam sicut ei nomen geniti largitas adoptionis paternæ contribuit: sic eum ab vnigeniti nomine, nobis quoque tributa communio paternæ adoptionis excluſit: Vnigenitus enim non vocatur, quamuis genitus possit vocari cum genitis. Quod si ita est, deleatur, quod Ioannes ausus est nomen vnigeniti scribere, vt probetur falsum, quod meruit de pectore veritatis haurire. Si vero proprietas vnigeniti manifeste demõstranda est significationis indicio, sic multi filij Dei dicantur ex gratia, vt cognoscatur vnus genitus ex natura. Quis enim natus est Deus verus de Deo vero, nisi vnigenitus filius, qui est in sinu patris? Quem ideo solum à cæteris Dei filijs exceptio segregat incommunicabilis nominis, quia in solo permanet de patre veritas naturalis.

CAPVT V.

Christus exinaniuit seipsum, plenus gratiæ & veritatis. Philip. 2.

HIc verus Deus & vita æterna, cùm in forma Dei esset, nõ rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: æqualitatem enim Dei veri Deus verus non rapuit, quam vnitate naturali sempiternus cum genitore possedit. Idcirco vnigenitus Dei filius, etiam quando formam serui accipiens, semetipsum exinaniuit, plenus gratiæ veritatisq; permansit. Vidimus, inquit Ioannes, gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Hoc est vtique, quod in vno eodemq; semetipsum exinaniente, & pleno gratiæ & veritatis, accepta serui forma, veritatem voluntariæ prorsus exinanitionis ostendit, in coæterna permanens Dei forma, plenitudinem gratiæ veritatisq; monstrauit. Quæ est igitur illa vnigeniti exinanitio, nisi accepta passibilis & mortalis humanitas Christi? Quæ autem est vnigeniti plenitudo, nisi permanens impassibilis atque immortalis diuinitas Christi? in quo perfectus homo plenus est gratiæ, & in quo perfectus Deus plenus est veritatis. Quo procul dubio plenitudinis nomẽ, vt diuinitatis esse mõstretur, Apostolum de Christo loquentem pariter audiamus: Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illa repleti. Quæ autem sit, quæ in Christo inhabitat, plenitudo diuinitatis, Ioãnes ostendat. Verbum, inquit, caro factum est, & habitauit in nobis. De ista plenitudine Baptista Ioannes nos asserit accepisse, dicens: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.

Colos. 1. b

Ioan. 1. b

Ibidem.

CAPVT VI.

In vno Christo dũæ naturæ nõ confusæ, sed vnitæ.

VNus igitur idémque Christus Dei & hominis filius, qui & semetipsum exinaniuit, & plenus gratiæ veritatisque permansit: verè mutabilis factus, immutabilis manens: vere passus, passioni non subiacẽs: vere mortuus, mortẽ non sentiens, sed extinguens. Hæc autem cuncta vnus Christus & gessit & pertulit, quia in vno eodemq; Christo vera diuinitatis veraq; humanitatis natura permansit: dum Deus nõ confusus homini, sed vnitus, sic in vna persona vtriusque naturæ permanẽtis, indicia demõstrauit, vt verus Deus & plenus veris diuinisq; virtutibus in homine clareret assumpto, & veritas infirmitatis humanæ verũ plenumq; hominem monstraret in Deo. Propter quod Beatus Apostolus vnum eundemq; Christum & crucifixũ prædicat, & Dei virtutem sapientiamq; pronuntiat, dicens: Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autẽ stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis atq; Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Et vt infirmitate susceptionis humanæ magnitudinẽ diuinæ virtutis mõstraret, adiecit: Quod enim stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Ille igitur Dei filius, Dei virtus, & Dei sapientia, in exordio redẽptionis nostræ, diuersum quidẽ peregit in homine, quã quod semper habebat in patre. Quia videlicet aliud ibi maiestatis natiuitas habuit, aliud hic pietas redẽptionis exegit. In illo enim sempiternæ natiuitatis arcano, sempiternus atq; incõmutabilis pater, alterũ genuit, nõ diuersum. Et quantũ generando protulit, tantus ipse permansit, personaliter distinxit à se, quem naturaliter totum habet in se. Hoc ipsius filij nobis manifestatur eloquio, dicentis: Ego in patre, & pater in me. Inconfusibiliter ergo vnit vtrunque natura, quãuis inseparabiliter discernat vtrunq; persona. Ideo filius ipse testatur: Ego & pater vnum sumus. Per hoc, quod vnũ dicit, nõ separatur à Deo diuinitas: Per hoc, quod dicit sumus, nõ confunditur in genitore natiuitas.

1. Cor. 1. d

Ibidem.

Ego in patre & pater in me. Ioan. 14.

Ego & pater vnum sumus. Ioan. 10.

CAPVT VII.

Mediator Christus duas veras habuit naturas.

HIc autem, dum nostræ redemptionis commercium gereretur, pleno veróque homini plenum verumq; Deum decebat vniri: sic tamen, vt in vnitate personæ, nec in homine Deus, nec homo posset in Deo confundi. Nunquam enim quisquam hominum, ad vincendum humani generis inimicum, fuisset idoneus: si in Mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu aut aliquid fuisset hominis minus, aut homo à Deo susceptus, diuina fuisset susceptione consumptus. Non autem humana natura poterat in reparatione consumi, cuius pars damnata non consumetur æternitate supplicij. Cum autem pœnæ sit consumere, gratiæ reparare: redemptor humani generis, plenus confitendus est Deus, plenum suscipiens hominem: plenus gratiæ, qua homo fieri dignatus est Deus: & plenus veritatis, qua Deus ipse, qui homo factus, permanet immutatus. Sicut per Prophetam ante iam dixerat, Videte, quia ego sum, & non sum mutatus. De quo etiam Paulus beatum Dauid cecinisse commemorat: Mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es. Vnus ergo idemq; Christus, in eo quòd plenus gratiæ, nihil minus habens humanæ naturæ, plenus homo natus ex homine: & in eo quòd plenus veritatis, nihil minus paternæ diuinitatis habens, Deus plenus generatur ex patre: Nam non erat plenus gratiæ vnigenitus à patre, si in Dei filio minus fuit aliquid hominis: nec erat plenus veritatis, si in eodem hominis filio, minus fuit aliquid deitatis. Ille igitur ineffabilis Deus de patre naturaliter sine initio genitus, postquã venit plenitudo temporis, vt missus à patre fieret ex muliere, fieret sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorũ reciperemus, totus regnans in sinu patris, totus semetipsum formans in vtero virginis.

Hebr. 1. Deus homo factus, absque sui mutatione.

CAP.

CAPVT VIII.

Christus totus in patre, totus in vtero matris.

NEque enim pars eius remansit in patre, & pars eius descẽdit in virginem, cùm totus in patre maneret quod erat, & totus in virgine fieret, quod non erat: Totus cum patre, totum implens & continens mundum, totus sibi in vtero virginis ædificans domum. Prouer. 9. *Scriptum est enim: Sapientia ædificauit sibi domum. Totus in patre sempiterno, totus in homine suscepto: Totus in cælo, totus in mundo, totus etiam in inferno. Sic in se totum hominem verus Deus & summus accepit, & sic plenitudo diuinitatis veritate diuinæ humanæq; substantiæ inconfusibiliter permanente, semetipsum pleno coniunxit homini, vt vnitate deinceps in æternum manente personæ, nec homo Christus à sua diuinitate, nec idem Deus Christus à sua posset humanitate disiungi. Hoc enim infirmitatis nostræ medela poscebat, vt sicut naturalis vnitas in patre manet & filio: sic personalis vnitas maneret in Christo. Et sicut personalis duas non facit in patre & filio substantias, sic naturalis discretio duas non faceret in Christo personas. Rursus, sicut vnitas naturalis patrem nõ confundit & filium: sic vnitas personalis hominem non confudisset & verbum. Et quemadmodũ à genitore Deo per vnitatem naturæ nunquam segregari potest vnigenitus filius: sic à susceptore Deo per vnitatem personæ nunquam posset homo separari susceptus. Sic tamen, vt quamuis Christus nec confundi posset aliquando nec diuidi, vnus tamen atq; idem Christus & ex veritate passionis humanæ, quæ nostra fuerant, redderet: & ex veritate impassibilitatis diuinæ, quæ sua fuerant, tribuisset. Vt dum ille pauper efficeretur, in suis diuitijs manens, nos ex pauperibus diuites faceret, quibus suæ paupertatis infinitas diuitias contulisset. Quod Vas electionis manifesto videtur denuntiare sermone, dicẽs,*

Christus in se dives, propter nos egenus factus est.

Scitis

2.Cor.8. *Scitis enim gratiam domini nostri Iesu Christi, quia propter vos egenus factus est, cùm esset diues: vt illius paupertate vos diuites essetis. Hoc igitur personæ inseparabilis vnitas, in qua Deus & homo vnus est Christus, fecit, vt & homo Christus per gratiam nasceretur ex Deo, salua veritate ac plenitudine humanæ naturæ: & idem Deus Christus voluntariè pateretur in carne, salua impassibili plenitudine diuinæ substantiæ. Quo-*

Rom.9.a *niam sicut vnus est, De quo Apostolus dicit, Quorum patres, ex quibus Christus secũdum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula: Sic vnus est, de*

2.Cor.13. *quo idem dicit Apostolus, Nam & si crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. Vnus est igitur Christus, in quo crucifixo vera fuit infirmitas carnis, & in quo viuẽte virtus veræ claruit deitatis. Quod humanum est, habens Deus in veritate humanæ: & quod diuinum est, habens homo in veritate diuinæ substantiæ. Hinc incomprehensibilis in cruce, inuiolabilis in vulnere, impassibilis in passione, immortalis prædicatur in morte.*

CAPVT IX.

Christo passo non est Deus compassus. *HÆc dum quidam minus attendunt, diuinitatem Christi nõ dubitant subijcere passioni: Et audientes Christum in carne passum, putant Deũ carni fuisse compassum, minus attendentes diuinam illam atque immutabilem fily Dei substãtiam, & in carne passibili passionem suscepisse, & cum carne passionem sentire non*

1.Pet.4.a *potuisse. Quod vtiq; beatus Petrus in veritate diuinæ inspirationis cõfirmat, & dicit: Christo igitur in carne passo, & vos eadem scientia armamini. Qui si sciret Christi diuinitatem fuisse passibilem, sufficisset vt diceret: Christo igitur passo, nec addidisset, in carne. Sed quoniam nouerat, in vno eodemq; Christo & passibilem ante mortem fuisse humanam naturã: & impassibilem*

semper

semper diuinam manere substantiam: propterea Christum passum fatetur in carne, cuius diuinitatem nouerat prorsus impassibilem permanere.

CAPVT X.

Diuinitas Christi passionem cũ carne non sensit. *SEd forsitan dicetur, Christum ideo in carne passum prædicari, quia diuinitas, quæ ante carnem pati non potuit, passibilem suscipiens carnem, passionem quoque cum carne persensit, quia pro susceptione passibilis carnis, ipsa impassibilis in passione permanere non potuit. Quod si ita est, primum mutabilis asseritur diuinitas Christi, & Apostolo contraitur, qui filium Dei Iesum Christum immutabilem prædicans euidenter Corinthijs dicit: Dei enim filius Iesus Christus qui in vobis*

2.Cor.1. *per nos prædicatus est, per me & Syluanum & Timotheum non fuit Est & non, sed Est in illo fuit. Quod*

In Christo non fuit Est & non, sed semper idem est. Hebr.1. *vt ipsum, Est, prorsus immutabile demonstraret, denuo sic ad Hebræos loquitur, vbi euidenter de filio memorat dictum: Tu in principio Domine terrã fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentũ veterascẽt, & velut amictũ mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem es. Quid autẽ est idem esse, nisi immutabilẽ esse? Sicut de se ipse testatur dicens: Ego sum, qui sum. Et dices filijs Israel, Qui est, misit me ad vos. Quod si quis inter patrẽ filiumq; diuinitatis cupiens differentiã demonstrare, locum istum, quo dictum est, Ego sum, qui*

Exod.3.c *sum, personæ solius patris asserat cõuenire: Primum meminerit, quia patrẽ Moysi apparuisse fatebitur: deinde quia sibi in propria substãtia pater apparuit: Ergo pater visibilis fuit. Quod si etiam nũc visibilis permanet, iam non est corporeis oculis inuisibilis Deus. Si autem, tunc quidem substantialiter visus, postmodũ inuisibilis putatur effectus, ergo Deus ante mutabilitati subiacẽs,*

imper-

imperfectus vtique fuit, & postmodum perfectum immutabilis factus statum plenæ perfectionis accepit. Quod si ex imperfecto perfectus est factus, quærendus est alius, qui semper fuisse perfectus credatur, à quo iste, qui imperfectus fuit, donum perfectionis accepit.

CAPVT XI.

Deus inuisibilis, per subiectam creationem visibiliter apparuit.

SI verò hæc Christianæ mentes auresq; non tolerant, credatur Deus nunquam per propriam visibiliter hominibus apparuisse substantiam, sed per subiectam (sicut ipse voluit) creaturam: & pariter inuisibilis, sicut pater, credatur & filius. Qui sicut intemporalis permanens, potuit temporalia condere, sic inuisibilis permanens, potuit, in his, quæ visibilia condidit, visibiliter apparere: tametsi personæ patris à quolibet adsignetur hic locus, quo dicitur, Ego sum qui sum: nec sic filius ab æqualitate immutabilitatis paternæ creditur secernendus. Quoniam sicut pater dicit, Ego sum qui sum: sic de filio dicit Apostolus, sicut supra posuimus, Non fuit Est & non, sed Est in illo fuit. Et rursum: Tu autem idem es. Cùm itaque illud singulare Est, sicut inuenitur in patre, sic reperiatur in filio, aut vterque immutabilis creditur, aut vterque mutabilitati subditur. Sed quoniam valde impium est, vt patrem mutabilem dicamus, hoc sine dubio pium est, vt sicut immutabilem patrem, sic immutabilem filium prædicemus. Et si immutabilis est diuinitas filij, nihil ei vtique accessit aut decessit in tempore: quoniam nihil mutabilitatis recipit, quod immutabile naturali veritate subsistit. Restat igitur, vt diuinitatem Christi, quam immutabilem sancta scriptura commendat, sic passam fateamur in carne: vt eam tamen credamus copassam non fuisse cum carne. Ideo enim Deus in carne passus est, quia passibilem carnem Deus accepit: Ideo autem carni

Sicut pater immutabilis, ita & filius.

carni compassus non est, quia in carne patiens impassibilis natura diuina permansit, communem passionem diuinitatis & carnis, vnitasq; personæ fecit in Christo, non diuinæ humanæq; naturæ confusio.

CAPVT XII.

Dominus gloriæ crucifixus author vitæ interéptus. 1.Cor.2.

PEr hanc vnitatem personæ, Dominus gloriæ asseritur crucifixus, dicente beato Paulo: Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Propter hanc vnitatem personæ Auctor vitæ dicitur interemptus, sicut in Actibus Apostolorum Petrus Iudæos increpat, dicens: Et petistis virum homicidam donari nobis, Auctorem vero vitæ interemistis. Quis autem quemlibet hominem, vitæ auctorem diceret, nisi pro nobis Deus hominem suscepisset? Ex quo igitur Deus vitæ auctor, hominem in vnitate personæ suscepit, ex eo ille homo nomen vitæ auctoris obtinuit: sicut ex eo, quod Dei filius hominem suscepit in vtero virginali, ex eo simul Deus & homo vnus cœpit Dei filius nominari, Angelo dicente ad Mariam: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoq; quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. De quo etiam paulo superius eidem virgini dicit: Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Non solum verò filius Dei, secundum id quod natus est de homine, dictus est Christus: verum etiam homo ille Deus dicitur, pro eo quod est à Deo susceptus. Quod nobis indubitanter Psalmorum liber ostendit, in quo dicitur: Thronus tuus Deus in seculum seculi, virga æquitatis virga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis, præ participibus tuis.

Act.3.c.

Luc.1.d

Psal.44.b

CAPVT XIII.

Vnxit te Deus tuus præ participibus tuis. Act.10.f

HAnc autem vnctionem ad hominem potius referendam, beatus Petrus ostendit dicens: Iesum à Nazareth, quem vnxit Deus spiritu sancto & virtute. Quæ igitur à Nazareth, nisi humana in Christo natura potuit prædicari? Nam in tantũ à Nazareth non diuinitas Christi, sed humanitas prædicatur, vt etiam Philippus, quẽ à Nazareth dicit, Ioseph filium æstimaret. Sicut ad Nathanael loquens, quem scripsit Moyses, inquit, & prophetæ, inueniemus Iesũ, filiũ Ioseph à Nazareth. Hic igitur qui spiritu sancto vnctus dicitur, Deus Dauidico carmine nominatur. Qualiter autem homo ille habere potuit Dei nomẽ, nisi quoniam à Deo susceptus, vnã cum eo possedit nominis dignitatẽ? Sed si in eo quod dicitur, Vnxit te Deus Deus tuus, diuina creditur accipienda natura, in qua putatur filius à Deo vnctus; eguit profecto Deus verus sanctificationis munere, priusquam homo verus idem nasceretur in carne.

Ioan. 1.

Psal.44.c

CAPVT XIIII.

Nihil medium inter patrem & filium per quod filius & Deus vngeretur.

DIcatur ergo, quid potuit esse Dei filio sanctius, cuius vnctione sanctificatio illi, aut daretur ante nõ habita, aut perficeretur quæ inerat imperfecta? Et si aliquid dicitur Dei filio melius (cui solum præferendum existimant patrem) sine dubio, quicquid illud est patri fatebuntur æquale. Sed siue coæquetur, siue etiam postponatur patri, filio interim quicquid aliud est, præferatur. Iniuste ergo in Baptismate patri & filio spiritus sanctus iungitur: cum potius illud debuerit patri filioq; coniungi, quod potioris merito sanctificationis filio debuit anteponi. Qualis vero virtus illa credetur, quæ diuinitatẽ filij Dei vnctione sanctificauit, & eius carnem sanctificare non potuit? Nam vtique si posset Christum hominem plene sanctificare, non opus erat, vt vngeretur sancto spiritu & virtute. Attendatur ergo, ne forsitan & ipso Dei filio, & illo, qua vnctus virtute dicitur, potior atq; sanctior credendus sit spiritus sanctus. Iesum enim à Nazareth, hoc est, filium Dei secundum carnem, sicut beati Petri manifestat assertio, vnxit Deus spiritu sancto & virtute. Quod si homo Christus, sine sancti spiritus gratia, plene sanctificari nõ potuit, superflua dicetur collatio illius vnctionis. Si autem sine sancto spiritu plene sanctificari non potuit, & plenam sanctificationis gratiã sine spiritu sancto Christus homo non habuit, vtpote quem pater sanctificauit & misit in mundum, & qui de se ipso dixit, Et ego sanctifico me ipsum: & in quo sancti spiritus sanctificatio similiter agnoscitur, quoniam vnxit eum Deus spiritu sancto & virtute: quomodo quis sanctum spiritum minorem patre vel filio audet dicere, sine quo sanctificationis perfectionem videt constare non posse? Quid autem dubitatur olei nomine spiritum sanctum demonstratum, cum Dauid & Petrus, tam olei quàm sancti spiritus vocabulo vnum prædicent vnctionis dominicæ sacramentum? Dauid enim dicit: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis, præ participibus tuis. Et vtique hominem significat, cùm participes nominat. Nam illa diuinitas filij Dei, nullius creaturæ habet participium, quia cum creatura non habet naturale consortium. Deus ergo in carne vnctus est, vt in illo homine Christo, quem sine peccato mater & concepit & peperit, plena diuinæ sanctificationis agnosceretur gratia, quæ nomine Trinitatis esset fidelibus conferẽda. Propterea beatus Petrus dicit: Iesum à Nazareth, quẽ vnxit Deus spiritu sancto et virtute. Et tamẽ ille Iesus à Nazareth Deus in Psalmo dicitur. Vnde quæso, nisi quoniam Deus & homo vnus est Christus? Et ideo manente in vnitate personæ naturali hominis

Ioan. 10.f

Christum secundum carnem vnxit Deus.

Act.10.f

& Dei inconfusa & inseparabili veritate : sicut Deus Christus in homine nomen hominis sumpsit : sic idem homo Christus in Deo vocabulum deitatis accepit.

CAPVT XV.

Christus nō cæleste sed humanum corpus assumpsit.

NAm si non ex coniunctione naturali, nomen Dei & hominis vnitas personalis habet in Christo: cōsequenter secundus homo, quem de cælo cælestem prædicat Paulus, nihil habere naturaliter putetur ex virgine, & secūdum cælestem naturam, cælestis carnis dicatur habere substantiam. Præsertim quoniam ipse

Ioan. 3. quoque de se Deminus profitetur: Nemo ascēdit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo. Quod si cæleste corpus, & non humanum susceпisse credendus est Christus, quomodo veritate Dauid

Psal. 84. ici Psalmi vaticinatio fulcietur? vbi scriptum est: Vt inhabitet gloria in terra nostra, veritas de terra orta est. Christum autem quis negare audeat veritatē, cum

Ioan. 14. a ipse se hoc nomine nuncuparit, dicens: Ego sum via, veritas & vita? Si veritas igitur de terra orta est, quomodo secundus homo de cælo cælestis, nisi quoniam à Dei filio susceпta materies terreni corporis, in cæleste nomen transijt per consortium deitatis? Et quomodo rursus filius hominis descendit de cælo, nisi quia filius Dei non locali motu, sed pietatis descendit affectu? Qui sicut in carne susceпta, ex homine dignatus est nasci: sic pro vna Dei susciпientis & hominis susceпti persona, qui Dei filius erat, dignatus est hominis filius nuncupari. Ad hanc vnitatem personæ sine vlla confusione vtriusque substantiæ cognoscendam, Christus discipulos

Matt. 16. c interrogat, dicens: Quem me dicunt homines esse filium hominis? Cumque illi opinionem vulgi protinus indicarent, tunc propriè ab eis qualitas veræ fidei expetitur, vt erroris humani falsitas auferatur.

*tur. Hæc igitur est domini interrogatio consecuta, Vos autem quē me esse dicitis, me vtiq; filium hominis? Ibi iam Petrus Apostolus reuelationis diuinæ firmamento subnixus, generalis salutis cōfessus est sacramentum. Tu es, inquit, Christus filius Dei viui. Quid est hoc? Quantum ad ignaros congruit interrogationi responsio. Petrus enim de filio hominis interrogatur, & ipse Dei filium confitetur. Nunquid interrogantem Iesum minus audiuit, aut ipse veritatem in confessione non tenuit? Absit. Quomodo error hominis ore laudari poterat veritatis? Sed * quid vere Christus fuit, hoc interrogans dixit. Et quod vere Christus fuit, hoc ex ore Petri confitentis audiuit. Filius enim hominis Christus Dei viui filius fuit. Nec immerito diuina voce promeruit beatitudinem, qui propria voce fidei protulit veritatē. Propter hoc audit: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi: sed pater meus qui est in cælis. Etiam ipse Christus Dei se vtique iam confessus est filium, cum à patre suo, qui est in cælis, Petro asseruit reuelatum. Nec hoc tamē otio-*

Tu es Christus filius Dei viui.

* quod

se prætereundum existimo, quod Christo primum se filium hominis nūcupanti, Petrus dicit: Tu es Christus filius Dei viui. Etenim Dei filius carnis humilitate susceпta, debuit in se sacramentum magnæ pietatis ostendere: homo verò redemptus, debuit in hominis filio, veram diuinæ natiuitatis substantiam prædicare: vt dum à redemptore beneficium gratuitæ miserationis ostenditur, à redempto diuinæ confessionis obsequiū redderetur. Et nemo verum Deum de natura patris ambigeret, quem ex hominis natura verum hominem cognouisset. Ac per hoc, quem hominem verum constaret esse passionibus hominis, eundem verum Deum crederemus operibus deitatis, Ipso filio dicente: Si mihi non vultis credere, vel operibus credite. Vnus ergo atq; idē

Vnus idemque Christus & filius hominis & filius Dei est.

Ioan. 10. g

Christus, qui infirmitate humana passionem pertulit, & miracula beneficiorum omnipotentia virtutis diuinæ perfecit.

CAPVT XVI.

Quomodo in Christo duę naturę sine cõfusione & mutatione.

A Ipso namq; conceptionis virginalis exordio, sic in Christo personalis vnitas mansit, & sic vtriusq; naturæ incõfusa veritas perdurauit: vt nec homo à Deo diuelli, nec Deus à suscepto posset homine separari: nec tamen Deus hominem consumeret, nec homo Deum in aliquo permutaret. Et licet in Christi morte carnem morientem fuisset anima desertura: diuinitas tamen Christi nec ab anima, nec à carne posset separari susceptæ. Igitur quia totum hominem Deus ille suscepit: ideo totius hominis in se passiones in veritate mõstrauit. Et animam quidem rationalem habens, quicquid fuit infirmitatis animæ, sine peccato & suscepit, & pertulit: vt dũ humanæ animæ passiones, in anima, quam accepit, vinceret, nostras quoque animas ab infirmitatibus liberaret. Carnem quoq; humanam accipiens, in eiusdem veritate carnis, veritatem voluntariæ habuit passionis, vt in carne mortuus, totam in se hominis occideret mortem: & in æternam vitam immortalis resurgens, æternæ nobis vitæ gratiam condonaret. Verus ergo in anima humana Christus Lazarum suscitaturus (sicut Euãgelista dicit) fremuit spiritu, & turbauit seipsum: Idemq; verus in carne humana Christus, cùm dixisset, Vbi posuistis eum? Dicunt ei, Domine veni & vide: Et lachrymatus est Iesus. Idem quoque verus in diuina natura Christus nec animam suam, dũ semetipsum turbaret, deseruit, quia ipse semetipsum turbauit: nec à carne sua, cum fleret, abscessit, quia Iesus lachrymas fudit, & tamen ipsa in anima carneq; diuinitas, immutabilis atq; impassibilis manens secundũ diuinam naturam, nec lachrymas proferre, nec turbationem po-

In Christo totus homo ex vera anima & carne passus.

Ex resuscitatione Lazari probatur in Christo anima, caro & diuinitas. Ioan. 11.

nem potuit in animi morte sentire. Sic etiam passione propinquante, Christus secundum animam turbatur, ipsõ dicente: Nunc anima mea turbata est. Itẽ in cruce Christus secundum carnem moritur, Apostolo dicente: Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundũ scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundũ scripturas. Cùm igitur euidenti fuerit manifestatione discretum, quid in Christo proprium fuerit animæ, quid carnis, quid etiã deitatis, cum vnus idẽq; Christus fuerit & turbatus & mortuus: sic tamen est vtrobiq; veritas Dei hominisq; seruata, vt licet Christus secundum animam turbaretur, propinquante passione, & idem Christus secundum corpus moreretur in cruce: inperturbabilis manens immortalisq; Christi diuinitas, nec ab anima perturbata, nec à corpore moriente discederet, non tamen aut turbaretur in animæ turbatione, aut moreretur in corporis morte. Vnus namq; Christus, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, sicut verè mortuus, mori non potuit: sic in vera passione impassibilis mansit.

Diuinitas nec ab anima perturbata, nec à carne moriente discessit. Ioan. 12. 1. Cor. 15.

CAPVT XVII.

Q Vi ad demonstrandum in se & veram mortalitatem hominis, & veram immortalitatem deitatis, Iudæis dicentibus, Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? respondit Iesus & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Quod autem fuerit illud templum, sanctus Euangelista monstrauit dicens: Ipse autem dicebat de templo corporis sui. Ostensa est igitur & veritas humanæ substantiæ, quam Iudæi possent in Christo, ipsõ volente, soluere: & veritas diuinæ naturæ, quia Christus templum suí corporis poterat suscitare. Quando enim mortuo

Soluite tẽplum hoc, & in tribus diebus excitabo illud Ioan. 2. d

Christo, anima deseruit carnem, tunc solutum est illud templum, quod fuit ex anima carnéque constructum: & cùm anima reuerteretur ad carnem, tunc est illud templum die tertia suscitatum. Et tamẽ propter vnam Christi Dei hominisque personam, idem mortuus est in corpore suo, qui suscitauit templum corporis sui. Sic etiam, secundum Esaiæ vaticinantis oraculum, dorsum suum posuit ad flagella, maxillas suas ad palmas, faciem autem suam non auertit à confusione sputorum. Hæc omnia Deus in carne passus, non est carni compassus: quia Deus passionem in carne sensit, cum carne non sensit. Esa. 50. c

Vna enim persona est Dei & hominis Christi, quam etiam Paulus commendat dicens: Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi. Et quamuis vna sit in Christo persona, nõ vna tamen in Christo substantia: quia sic verus Deus verum suscepit hominem, vt in veritate humanæ susceptionis, veritatem non amitteret deitatis. Et sic dignatus est fieri quod ante non erat, vt nõ desisteret esse quod semper erat. Sic etiam voluit vnam cum homine personam Deus habere: vt licet non alius esset Christus Deus, & alius Christus homo, verus tamen Deus permaneret in homine, & verus homo permaneret in Deo: atque ita, in vno Christo diuinæ humanæq; naturæ esset inconfusa pariter & indiuisa perfectio. 2. Cor. 2. c

CAPVT XVIII.

In Christo quæ carnis erant aut animæ, non sunt deitati ascribenda.

Non tunc nata est Christi diuinitas in se, cùm nata est pro nobis in carne. Fuit infans verbum secundum carnem, & fandi non habuit facultatem: sed idem verbum Deus, nullo vnquã potuit coerceri silentio, quia ipse est patris sempiterna loquutio. Crescebat puer ætatis accessu: sed quia in Deo nulla est ætas, in puero crescente nõ crescebat diuina maiestas. Sapientia quoque nouimus Christum secundum animam profeciſſe: sed sapientia Christus nõ potuit cum anima proficiente proficere. Ac per hoc idem Christus, & in carne sua creuit, & in anima sua profecit: qui tamen & in carne sua crescens, & in anima sua proficiens, nec cum anima sua proficere, nec cum carne sua potuit ætatis incrementa sentire. Item secundum susceptam animã Deus tristis fuit: sed qui in anima tristitiam sensit, cum anima tristitiam sentire non potuit. In sua Deus anima suam voluit esse tristitiam, & in sua carne suam Deus esse voluit passionem: quia totus in toto homine permanens inseparabilis Deus, nec animæ tristanti defuit, nec carnem suam in passione deseruit. Sed in Christo tristi & passo, licet deitate separari non posset patiens & tristis humanitas, in toto tamen homine tristi, non est diuinitas tristata, & in homine toto patiens, non est diuina natura compassa: sicut moriente carne, non solum deitas, sed nec anima Christi potest ostendi commortua. Aliud est enim in carne passum Deum dicere, aliud carni prædicare compassum: aliud in anima contristatum, & aliud cum anima contristatum. Passus est Deus in homine, quia vna est Dei hominisq; persona: nõ est compassus Deus homini, quia in vno Christo non est cõfusa Dei hominisq; substantia. Quod euidentibus scripturarum potest testimonijs comprobari, vt cognoscatur ita tristitiam passionemq; toto deputandã Christo, vt officiorum naturalium veritate monstrata, non sit aliqua Dei hominisque confusio. Matthæus narrat, Dominum, propinquante tempore passionis, dixisse discipulis: Sedete hic, donec vadam illuc & orem. Et assumpto Petro & duobus filijs Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse. Marcus vero sic posuisse cognoscitur: Et veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani, & ait discipulis suis: Sedete hic, donec orem. Et assumpsit Petrum

Non est diuinitas vel compassa vel contristata.

Cœpit Iesus contristari & mœstus esse, pauere & tedere. Matt. 26. Marc. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Petrum & Iacobum & Ioannem secum, & cœpit pauere & tædere.

CAPVT XIX.

NOn ignoro, quàm maxime nunc nostræ congruet responsionis officio, vt nõ solũ vocabulis, sed etiam effectibus, sit in Dei filio carnis animæq; monstranda proprietas. Tunc enim diuinæ impassibilitatis natura splẽdebit: cùm quid animæ, quidve carnis sit proprium, non solum ratione, sed etiam diuinarum scripturarum auctoritate claruerit. Matthæus itaq; dicit, Iesum contristari & mœstum esse: Marcus, pauere tædereq; commemorat. Dicãt igitur, quibus in Christo dissplicet animæ humanæ susceptio, vtrum tristitiam, mœrorem, tædium, & pauorem, diuinitati an carni existiment deputanda? Et si quidem carnis hæc fuisse responderint, ab omnibus passionum generibus erit excepta diuinitas, quæ particeps passionum generibus carnis non fuit, licet susceptæ carni nec in passione defuerit. Si autem Deitatem Christi asserunt tristitia, mœrore, tædio, & pauore concussam: passibilem dicentes deitatem, animabus nostris fatebuntur æqualem. Restat autem vt angelorum imparem dicant, quam passioni subiacere pronuntiant. Hoc enim nostris sunt animabus angeli quãmaxime potiores: quia sicut à peccatis, ita sunt à passionibus alieni. Quod etiam rectè se colentibus, & sanctè conuersantibus, in retributione dominus repromittit dicens: Erunt sicut angeli Dei in cælo. Tunc vtique, cum secundum beati Pauli testimonium, corruptibile (hoc est mortale) ita induetur incorruptione & immortalitate, vt corruptio incorruptionem possidere non possit. Quæ non solum in peccato consistit, sed etiam in infirmitate, quæ præuaricatori ex pœna cognoscitur accidisse peccati. Nam peccato nos & infirmitate tunc omnimodis carituros Apostolus testatur, & dicit: Tunc fiet sermo,

Liquet ex his verbis verã fuisse in Christo animam.

In retributione erunt iusti sicut angeli Dei. Matt. 22. c

1. Cor. 15.

sermo, qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. Vbi est mors cõtentio tua? Vbi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est. Absorpta ergo morte in victoriã, nulla erit animæ carnisve corruptio. Quoniã cùm à nobis amota fuerit omnis iniquitas, nulla remanebit infirmitas. De talibus vtiq; dicit Esaias: Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet ab eis dolor & gemitus. De his etiam Ioannes in Apocalypsi lõquitur: Non esurient, neque sitient, neque cadet super eos sol, neque vllus æstus. Et vt ostendat, hanc eos Christi dono gratiã adepturos, sequutus adiunxit: Quia agnus qui in medio Throni est, reget eos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarũ: & absterget dominus omnẽ lachrymã ab oculis eorũ. Cùm ergo talis hodie sit angelorũ beata securitas & lætitia, passionum prorsus ignara, vt nullo peccati casu, nullo infirmitatis quatiantur incursu: tandem resipiscant, in quod blasphemiæ Barathrum deuoluuntur, qui diuinitatem Christi passionibus subiycientes humanis, Dominum angelorum conantur in substantia quam habet ex patre, inferiorem angelis demonstrare. Falsum igitur est, quod ipse dicit: Non est seruus maior domino suo.*

Esa. 35. d

Apoc. 7. d

* resipiciãt,

CAPVT XX.

AN illud abiyciendum putant, quod Dauid dicit de filio hominis, Domine quid est homo, nisi quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minorasti eum paulo minus ab angelis. Sed aduertant Paulum Apostolum, hunc locum ad mortis humanæ intelligentiam referentem, ita vt istam minorationem non solum naturæ humanitatis assignet, quin etiam diuinitatem Christi à consortio passionis & mortis exceptet. Ita namque ad Hebræos loquitur: Eum autem, qui modico quàm angeli minoratus est, vidimus Iesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum,

Minorasti eum paulo minus ab angelis. Psal. 8.

Heb. 2. b

Universidad de Deusto
Biblioteca

ronatum, vt sine Deo pro omnibus gustaret mortem. Non autem hic Christum diuisit Apostolus, sed ostendit in vno Christo, quæ substantia passibilis & mortalis fuerit, quæ autem impassibilis immortalisq; permanserit. Sine Deo igitur homo ille gustauit mortem, quantum ad conditionem attinet carnis, nõ autem sine Deo, quantum ad susceptionem pertinet deitatis: quia impassibilis atque immortalis illa diuinitas, cum in veritate formæ seruilis, & pati voluntarie pro nobis dignaretur & mori, sicut in morte sõlius carnis immortalis fuit, sic in passionibus totius hominis impassibilis omnino permansit.

CAPVT XXI.

Tristitia & similes affectus nõ carni nec deitati, sed animæ Christi tribuuntur.

SEd nunc ostendendum à nobis est, passionem tristitiæ, mœroris, tædij, & timoris, ad animæ substãtiam proprie pertinere, vt in eo, quod ingrati gratiæ Christi, diuinitatem eius cupiunt subdere passioni, appareat quid cuiusque naturæ sit proprium: & in eo magis agnoscatur domini mirabilis inuictáque clementia, cum probauerimus animæ carnisq; substantiam, ob hoc cum suis passionibus à Deo susceptam, vt sicut saluo diuinæ impassibilitatis statu, voluntaria susceptione mortis in carne sua, mortem nostram cognoscitur occidisse: sic voluntaria susceptione tristitiæ ad hoc cognoscatur animam rationalem cum suis passionibus suscepisse, vt animas nostras ab omnibus dignaretur passionibus liberare. Ostendamus igitur tristitiam Christi non ad diuinitatis, nec ad carnis, sed ad animæ pertinuisse substantiam. Atque vt hoc integra possit manifestatione cognosci, attendamus quid discipulis penè sub ipso dixerit tempore passionis, vt se veram animæ substãtiam non minus officio quàm nomine demonstraret. Tristis est, inquit, anima mea vsque ad mortem. Quis autem ambigat, nec in diuinitatem posse tristitiam cadere, nec ad carnis officium pertinere? Animæ namque est propriũ metuere, desiderare, tristari, gaudere. Sicut etiam carminis Dauidici textus ostendit, dicentis: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Anima tristatur, ipsa turbatur. Ideo & ipse Saluator, vt ostenderet perturbationem istam non carni, sed animæ deputandam, sic discipulos suos consolatur, cùm de futuro eius contristarentur abscessu: Non turbetur cor vestrum neque formidet. Ad eosdem denuò sic loquitur: Nunc vado ad eum qui me misit, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? Sed quia hæc loquutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Quis carni vel diuinitati audeat assignare, quod ad officium cordis dominus dicit proprie pertinere? Nam cùm superius dixerit, Non turbetur cor vestrum neque formidet, vbi proprie cordis nomine humanam animam demonstrauit, ac deinde dixerit, Tristitia impleuit cor vestrum, vt euidentius ostenderet, & tristitiam & gaudium ad animam pertinere, rursus Apostolis dicit, Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos: Mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium, Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: Cùm autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum, Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis: Itèrum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Ecce proprie in homine tristitia, formido & gaudium, cordi (id est animæ) deputãtur. Propterea & Apostolus dicit: Ipse autem dominus Iesus Christus, & Deus & pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia: consoletur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono. Vbi autem potest adhiberi consolatio, nisi vbi

Tristis est anima mea vsque ad mortem. Psal. 41.42

Non conturbetur cor vestrũ. Ioan. 14.d

Ioan. 16.a

Et gaudebit cor vestrũ.

2. Thes. 2.d

vbi potest irrepere mœstitudo? Quæ quia propriè ad animam pertinent, propterea de Christo scriptum est, Quia cœpit contristari & mœstus esse, & cœpit pauere & tædere. Et ipse dicit, Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Et nunc anima mea turbata est.

CAPVT XXII.

Gaudeo vt credatis, quia non eram ibi. Ioan. 11.

GAudium quoque in sua Saluator anima monstrauit, cùm discipulis de Lazaro diceret: Lazarus amicus noster mortuus est, & gaudeo, vt credatis, quia non eram ibi. Substantia hominis vtique gaudebat in Christo, quæ pro naturali consortio gaudiũ iam habuit de Lazaro suscitãdo, simul vt & discipuli verũ Deum intelligerent in homine, quem cognouissent etiam longe posita non latere. Atque vt omnia in se Christus animæ officia demonstraret, etiam desiderium à sua anima fieri noluit alienum, dicens discipulis: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antequã patiar.

Desiderio desideraui hoc pascha, &c. Luc. 22.

Nemo potest hæc omnia vel naturæ deputare carnis, vel substantiæ deitatis: quoniam caro nec viuere potest per semetipsam, nec sentire, nec tristari, nec desiderare, nec metuere, nec mœrere. Deitas nihil metuit, quoniam omnium dominatur: in nullo tristatur, quoniam ei nihil passionis infertur: in nullo metuit, quia nulla est illi naturalis infirmitas. Nihil desiderat: quia omnia potest, & omnia possidet. Hæc ergo cuncta in anima, quam susceperat, pertulit Christus, vt veram totamq; in se cum suis infirmitatibus, hominis demonstraret accepti substantiã, & infirmitatibus, quas pro infirmis accepit, virtutem perficeret, quã infirmis attribuit. Qui & hominis carnem propterea mortalem habuit, vt mortalibus plenam conferret immortalitatis gratiam: & hominis animã cum infirmitatibus suis sine peccato suscepit, vt nostris animabus impẽderet medicinã: quia sicut, Esaia teste,

Infirmitates Christus accepit vt in nobis virtutem perficeret.

teste, vulneratus est propter iniquitates nostras (quod propriũ carnis fuit, quippe cùm iam defuncti latus lancea percuteret miles) ita infirmatus est propter peccata nostra, quod est animæ, cuius pro nobis infirmitatẽ suscepit. Huius animæ ponendæ ac resumẽdæ habens plenissimam potestatem, dicebat: Propterea me pater diligit, quia ego pono animã meam, & iterum sumã eam. nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à me ipso. potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumẽdi eam: Hoc præceptum accepi à patre meo. Quæro in hoc loco ab his, qui in Christo humanã animam dicunt omnimodis non fuisse, quam hic substantiã credãt animæ vocabulo nuncupatam? vtrũ diuinitatis, an carnis? vel quæ in Christo substantia ponendæ animæ sibi vindicet potestatem? Quod si diuinæ substãtiæ hanc potestatem tribuunt, vt carnem dicant animæ vocabulo nuncupatam, quam in passione fuerat positura diuinitas, vt secũdum eorum voluntatem nunc interim disputemus. Si diuinitas de carne dicit, Potestatem habeo ponendi animam meam: dum carnem, vocabulo animæ nuncupat, carni sine dubio cunctas etiam infirmitates assignat, dum dicit, Anima mea turbata est: Dum dicit, Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Cùm ergo non dixerit Christus, Tristis sum vsq; ad mortem, sed dixerit: Tristis est anima mea vsque ad mortem: nec dixerit, Turbatus sum, sed anima mea turbata est: has vtique passiones carnis esse monstrauit: Diuinitatem verò suam impassibilem omnino perdocuit. Quod si fortè substantiæ carnis hanc tribuunt potestatem, tanquam caro de diuinitate dixerit, Potestatem habeo ponendi animam meam: tantúmne eos diuinam Christi delectat minorare substantiam, vt eam carnis suæ potestati subiiciant? vt ipsa obedierit carni, cùm ei caro debuerit famulari?

In Christo potestas ponendæ & resumendæ animæ. Ioan. 10.

CAP.

CAPVT XXIII.

Potestatem habeo ponendi animam meã.

ILla ergo vox, qua dictum est, Potestatem habeo ponendi animam meam, totius hominis esse credenda est. Sicut enim totus semetipsum tradidit, & totus homo semetipsum obtulit, (De quo dicit Apostolus: Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis) ita totus homo animã suam posuit, cùm anima in cruce, carne moriente, discessit. Quam tamen carnem nec in morte diuinitas deseruit, sicut nec in inferno animam dereliquit. De qua etiam Propheta dixerat: Non derelinques animam meam in inferno. Cùm ergo homo Christus tantam acceperit potestatem, vt cùm vellet animam poneret, & cùm vellet denuo resumeret: quantam potuit habere Christi diuinitas potestatem, cui hoc est semper velle quod posse? Nam in hoc loco verè impassibilis atque inuicta diuinitas, vniuersa prorsus hæreticæ falsitatis commenta destruxit. Si enim integra fuit dicentis potestas, voluntaria fuit patientis infirmitas. Voluntas autem, quæ ex potestate venit, naturalem vtique veritatem diuinitatis humanitatisq; seruauit. Nam potestas naturalis procul dubio defuit, si in diuinitate Christi qualibet infirmitas fuit. Qualiter autem patiendi potestatem humanitas habuit, si plenam impassibilitatem diuinitas habere non potuit? Cognoscatur ergo, quoniam vbi naturaliter plena est potestas, nulla potest esse passionis infirmitas: quoniam potestas Christi, qua immortalis permansit, cùm moriens in carne Christus animam poneret, ipsa sine tristitia permansit, cùm voluntariam ex potestate Christus in anima tristitiam sustineret. Ideo autem ille homo potestatẽ ponendæ animæ habuit: quia eum diuina potestas in vnitatem personæ suscepit. Quæ autem plena est potestas, nisi sola diuinitas? de qua

Ephes. 5. a

Psal. 15.

Sola diuinitas plenam habet potestatem.

qua dicitur: Omnia quæcunque voluit fecit. Et cui dicitur: Subest enim tibi, cum voles, posse. Propterea in illo dignè plena potestas creditur, cui tantũ posse quantum velle, & tantum velle quantum posse, naturaliter suffragatur.

Psalm. 134. c
Sapiẽ. 12. a

CAPVT XXIIII.

Vera in Christo anima.

ADhuc autem veram se Christus animam suscepisse tam nomine dignatur mõstrare quàm opere, dicens: Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam quis ponat pro amicis suis. Vnde sciens Petrus animam Christi proprio substantialiq; vocabulo nuncupatã, ne quisquam putaret, à domino carnem, nomine forsitan animæ designari, perfectæ imitationis, quam fuit postmodum accepturus, cupiẽs sectari virtutem, dicenti domino, Quo ego vado, non potes me sequi modo, sequêris autem postea: respondit, Domine, quare non possum sequi te modo? Animã meam pro te ponam: ostendit vtiq; Christum pro se animam positurum, cùm se in hoc eum sequi diceret, vt etiã ipse pro Christo animam posuisset. Nam quia diuinitatis naturam cõmunem Petrus cum Christo non habuit: non ei de diuinitate potuit dicere, Animam meam pro te ponã. Rursus, si carnem pro se nosset Christum tantummodo posuisse, posset etiam ipse dicere, Corpus meum pro te ponã: sicut proprie corpus ostendit Paulus, vbi dixit, Si tradidero corpus meum vt ardeam. Sed quoniam sciebat Petrus Christum pro nobis animam positurum, propterea in eo se dominum velle sequi monstrauit, in quo pro eo animæ ponendæ demonstrauit affectum, vt quam pro se Christum posuisse sciret, hanc ipse pro Christo similiter posuisset. Et vt omnis pranæ caligo sententiæ clarissimo prorsus Catholicæ veritatis lumine dissipetur, Ioannis informemur eloquio, qui ad imitationem Christi fideles exhortans, quod in capite nouerat factum, hoc in

Ioan. 15.

Ioan. 13. d

1. Cor. 13. a

membris

1.Ioan.3. membris præcipit faciendum. In hoc, inquiens, cognoscimus charitatem, quoniam ille pro nobis animã suam posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Animam igitur ponere, dilectionis est proprium. Vbi autem dilectio non est, corpus tradi dicitur, anima poni non dicitur: sicut Vas electionis, plenum dilectionis, omnino testatur: Si tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem autẽ nõ habuero, nihil mihi prodest. Ostendit sine charitate corpus posse tradi, non animam poni: Vbi autẽ dilectionis suæ significare nititur puritatem,

1.Thes.2.b sic Thessalonicensibus scribit: Cupidè volebamus tradere vobis, non solum Euangeliũ Dei, sed etiã animas nostras. Et vt charitatis hoc esse demonstraret, adiecit: Quoniam charissimi nobis facti estis. Ideo etiam Petrum qui se pro Domino animã suam spoponderat positurum, vt agnosceremus, officium ponendæ animæ in dilectione constare: primitus Christus ad confessionem amoris inuitat, vt facultatem ponendæ animæ, suo de-

Ioan.21.d inceps amatori concedat, sic eum denig, interrogat: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei, Etiam domine: tu scis quia amo te. Cumq, hoc etiam secundo dixisset, dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me? Cúmque ille tertiò interroganti trinum amoris sui testimonium reddidisset, statim Dominus Petro ponendæ pro se animæ largitus est facultatem, dicens: Amen amen dico tibi, Cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo non vis. Statim Euangelista subiecit dicens: Hoc autem dixit, significans, qua morte clarificaturus esset eum. Et hoc cùm dixisset, dicit ei, Sequere me. Ecce qualiter eum & antea sequi Petrus volebat, quando pro eo animam ponere cupiebat, sicut eum postea recto dilectionis itinere sequi meruit, quando pro eo animam in passione deposuit.

CAP.

CAPVT XXV.

In Christo veræ fuerũt infirmitates humanæ, sed tamen voluntariæ.

QVocirca, quia manifesta scripturarum attestatione probatum est, dilectionem deesse, vbi solum corpus ponitur: ibi autem charitatem esse, vbi anima cum corpore ponitur: Christus ex virgine plenus credendus est Deus, & plenus homo, id est, anima rationalis & caro, & sicut fidei catholicæ veritas habet, in vno eodémque Christo credamus secũdum veram substantiam carnis, voluntariam & veram famem, cùm esuriens ad ficulneam veniret: voluntariam & veram sitim, cùm bibere à Samaritana deposceret, vel cùm se sitire in cruce dixisset: voluntariam & veram lassitudinem, cùm fatigatus ab itinere super puteum sederet: voluntarium & verum vulnus, cùm militis lancea percuteretur in latere: voluntariam & veram mortem, cùm inclinato capite spiritum emisisset in cruce: voluntariam & veram sepulturam, cùm eum depositum de ligno Ioseph & Nicodemus ponerent in sepulchro. Has enim carnis omnes infirmitates, voluntarias quidem, sed veras Christus habuit: quia carnis humanæ naturam, non in phantasia, sed in veritate suscepit. Quas passiones propterea in carne voluntarias habuit: vt in veritate carnis, diuina potentia, quæ nec pati potuit aliquando nec mori, infirmitatem mortemq, deuinceret, & carnem suam in vitam virtutémque perpetuam suscitaret. Quod Paulus sic ore veridico protestatur, Christus surgens à mortuis, iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo. Quis autem ignoret Christum nec in diuinitate, sed in solo corpore mortuum & sepultum? Quod euidenter Ioannes his verbis ostendit: Post hæc autem, inquiens, rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathia, eo quòd

Christus surgens à mortuis iã nõ moritur

Rom.6.

Ioseph rogauit corpus Iesu.

esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum, vt tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Iesu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & alligauerunt * eum linteis cum aromatibus, sicut Iudæis mos est sepelire. Ecce facta distinctione diuinitatis, carnis & animæ, quantum ad proprietatem substantiæ attinet, solum corpus Iesu dicit de cruce depositum, aromatibus conditum, & linteis obuolutum. Propter vnitatem vero personæ, quoniam Deus hominem, quem ex virginis vtero susceperit, nec in morte, nec in sepulchro deseruit, propterea secutus Ioannes adiecit: Erat autem in loco vbi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter Parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum. Vere diuino spiritu plenus, sanctus Euangelista loquutus est, vt primitus, quid in Christo mortuum fuerit, & sepultum, ostendens, diceret acceptum corpus Iesu, & ligatum linteis cum aromatibus. Et quia quod Deus coniunxit, homo nõ separat, propterea nõ corpus Iesu, sed Iesum dicit in monumento positum. Sciebat enim quod ille susceptor pleni hominis Deus, totus esset cum carne sua in sepulchro, totus cum anima sua in inferno, totus in mundo, totus in cælo, totus in vnitate naturæ in patre, de quo extitit, totus per omnipotentiam diuinitatis suæ in tota creatura quam fecit.

Ioan. 19.

* illud.

Ibi posuerũt Iesum, non dicit corpus Iesu, quia in sepulchro erat & diuinitas.

CAPVT XXVI.

Vnitas personæ Christi, ex verbis apostoli

HAnc in Christo vnitatem personæ seruans Apostolus, sic Corinthiorum in fide veritatis confirmat ecclesiam. Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi:

accepi: quia Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secũdum scripturas. Mortuum dixit non corpus Christi, sed Christum: vt vnitatem personæ Dei hominisq; seruaret. Vt autem substantialem proprietatem deitatis & humanitatis ostenderet, alio loco (sicut superius iam posuimus) dicit: Nam & si crucifixus est, ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. Attendenda est Apostolicorum virtus præclara dictorum, si & Paulus dixisset de Christo, quia crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute, & non addidisset, Dei: nec sic debuit infirmitas passibilitatis humanæ cum diuinæ virtutis impassibilitate confundi: At cùm virtutem deitati Paulus assignet, quis non videat, quod ea, quæ infirmitatis videntur, hominis esse denuntiet? Nam & quod dicit de Christo, quia viuit ex virtute Dei, ex sua deitate vtique viuit, quod ipse est virtus Dei, & sic viuit, sicut pater viuit. Quoniam ipse est via veritas & vita. Nam vt vnã vitam patris filiiq; Ioãnes nobis insinuaret Apostolus, epistolæ suæ hoc ponere curauit exordium: Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod inspeximus, & manus nostræ cõtrectauerunt de verbo vitæ, & vita palam facta est. Et vidimus, & testamur, & nuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & palam facta est nobis, Filium Dei, quem verbum Dei superius dixit, vitam in subsequentibus nominauit. Quod est autẽ verbum vitæ, nisi verbum Dei? Et quoniã verbum vitæ vita est, vna est vtiq; vita: Illud vitæ verbũ, & vita cuius est verbum. Ideo ergo Christus, qui mortuus est ex infirmitate, viuit ex virtute Dei: quoniam illi diuinitati hoc est vitam esse, quod est virtutẽ esse: & propterea hoc est illi posse, quod viuere. Et ideo nec in passione virtutem vita deseruit, nec in morte Christi

2. Cor. 13. b

Viuit ex virtute Dei

1. Ioan. 1. a

Universidad de Deusto
Biblioteca

virtus à vita discessit: quoniam Christi diuinitas (quæ virtus & vita est) mutari non potuit.

CAPVT XXVII.

RVrsus pro vnitate personæ in Christo firmissime commendanda, sic Paulus scribens Romanis, posuit, dicens de Deo: Qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Atque vt illa traditio voluntaria ex potestate filij monstraretur effecta, filium quoq; pro nobis se memorat tradidisse, dicēs alio loco: Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Sed vt ostenderetur, quid in Christo potuerit tradi, prophetice dicit liber Iob: Terra tradita est in manus impij. Et tamen pro vnitate personæ, non solum humanitatem Christi, sed Christum traditum tenet & confitetur Ecclesia, quoniam in illa traditione, salua proprietate vtriusque naturæ, nec homo susceptus separari potuit à Deo, nec Deus potuit ab homine segregari susceptо. Sicut ergo passionem mortis & mortem propter vnitatem personæ, Dei quidem filio scriptura prorsus assignat, & tamen deitatē impassibilem immortalemq; pronūtiat: ita & animæ tristitiam & perturbationem, quam voluntariam in anima Dei filius habuit, sic habuisse credatur, vt etiam ipsas humanæ animæ passiones, & ex voluntate veras, & in veritate voluntarias non negemus. Ipsa quoq; Christi diuinitas, quæ secundum animam contristari, & secundum carnem dignata pro nobis est mori: secundum substātiæ proprietatem, sicut immortalis, sic est impassibilis prædicanda. Quæ quia verum hominē susceptit, ideo cūctas naturæ humanæ infirmitates, veras quidem, sed volūtarias in eadem veritate naturæ dūtaxat humanæ sustinuit. Quis autē tā mortiferā sectetur improuidus de Christo sententiā, vt fa-

Pro nobis omnibus tradidit illō, qui tradidit semet ipsum pro me. Rom. 8. Gal. 3. d Iob. 9. c

Propter vnitatem personæ in Christo mortuus dicitur filius Dei.

Non sunt Christi infirmitates, eius deitati ascribendæ

vt famem illam, sitim, lassitudinē, passionem, & mortem, & rursus tristitiam, perturbationem, metum, & tædiū (quæ carnis & animæ esse, nemo potest aliquatenus dubitare) sic vera fuisse credat in natura hominis, vt ab his immunem non credat substantiam deitatis? cùm sperantibus in se, hoc vt superent Christus dederit, quod pro nobis ipse voluntate persensit. Propter quod diuinitus inspiratus, perfidis ac mortiferis cogitationibus Esaias obnititur dicens: Deus æternus, Deus qui fecit fines terræ, non esuriet, neque laborauit, neque inueniri potest prudentia eius, præstans esurientibus vires, & non dolentibus mœrorem. Esuriēt enim iuuenes, & laborabunt adolescentes, & electi sine viribus erunt. Qui vero expectant Dominum exultabunt, cum virtute perducent pennas sicut Aquilæ, current & non laborabunt; ambulabunt & non esurient. Ipse quoq; panis, qui de cælo descendit, credētibus in se perfectam satietatem veraciter repromittit dicēs: Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet in æternum. Rogo, qualiter hæc virtus cōcedetur hominibus, si eam habere non potuit Deus? Aut quomodo Christus in sua diuinitate non habuit, quod ab eo Paulus vt haberet accepit? Ipse enim de se similibúsque testatur, dicens: Tribulationem patimur, sed non coangustamur. Et alio loco: Quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Quam graue atque incongruum est; & à vera fide modis omnibus alienum, vt Paulus in vna eadémque animæ substantia, cum tristatur, possit in domo Christi semper gaudere? Et de Christi diuinitate dicatur, quod tristis in anima, quam suscepit, non potuit in seipsa sine tristitia permanere.

Esa. 40. 8

Qui venit ad me non esuriet. Ioan. 6.

2. Cor. 4. e

2. Cor. 6.

CAPVT XXVIII.

Perfecta charitas foras mittit timorem. 1. Ioan. 4. d Matth. 10.

NOn timet Ioannes, qui dicit: Timor non est in charitate, nã perfecta charitas foras mittit timorem. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Audierat enim à domino, Nolite timere eos qui occidunt corpus: animam autem non possunt occidere. Timorem nullus audet adscribere Ioanni, & timor mortis adscribitur Deitati? Sperat in illo Dauid, & dicit, In Deo sperabo, non timebo quid faciat mihi homo. Idémque confidenter ingeminat, Dominus illuminatio mea, & salus mea, quẽ timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo? Et ipse dominus Apostolis dicit, Non turbetur cor vestrum neq; formidet. Idem denuo, Gaudete, inquit, quia ego vici mundum. Expectantes igitur eum, fortitudinem sumunt, pennas producunt, quibus ad cælestia subleuentur, currentes nesciunt laborẽ, ignorant ambulantes esuriem, in tribulatione non patiuntur angustiam, morientes retinent vitam, tristes quidem videntur, tamen semper gaudentes exultant, egeni diuitias pluribus conferunt, & omnia possident, dum nihil habere contendunt, dilectione Christi repleti, carent timore, ab ipso illuminati, fatentur se nullum metuere, ipso defensore, nequeunt ab aliquo trepidare. de corde eorum turbatio propellitur & formido, gaudent, quia vident mundum à Christo deuictum. Si hæc seruis accipientibus nemo potest adimere, qualiter domino largienti. perfida cæcitas, vel potius cæca perfidia quod diuinum naturaliter habet, conatur auferre? Quis autem non videat in illis passionibus Christi, quædam nostrarum virtutum semina contineri? Vnus ergo idémque Christus, in humanitate, quæ humana sunt sensit: in diuinitate autem impassibilis immortalisque permansit.

Psal. 55.

Psal. 26.

Ioan. 14. d

Ioan. 16 g

CAP.

CAPVT XXIX.

Nomina filij Dei quo ad eius diuinitatem. Esa. 46. 56. 1. Cor. 1. Ioan. 6. Ioan. 14.

DEi enim filius verbum & sapientia patris, ipse est salus, de quo propheta dicit: Salus nostra cito veniet. Ipse virtus & sapientia: Christus enim Dei virtus & Dei sapientia. Ipse saturitas: quia panis est qui de cælo descendit. Idem via, ipse veritas, ipse vita. Idem gaudium & lætitia nostra: de quo propheta dicit, Et factum est mihi verbum tuum in gaudium & lætitiam cordis mei. Ipse lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. His nominibus superius designatis, incommutabilis atque impassibilis inuenitur. Ægrotare non potest salus, infirmari non nouit virtus, nescit saturitas esurire, via nequit errare, sapientia non mutatur, vita non moritur, lumen non extinguitur, nec veritas deprauatur, nescit tristari lætitia, Deitas non potest superari. Propterea vtique etiam Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in vnitate personæ diuinitas accepit, quæ naturaliter peccare non nouit. Homo ergo Christus, quoniam peccata non habuit propria: portare dignatus est aliena. Illorum autem à se voluit peccata portari, cum quibus tenebatur consortio naturali, dicente Apostolo: Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes. Propter quam causam, non confunditur fratres eos vocare, dicens, Nuntiabo nomen tuum fratribus meis. Esaias etiam propheta, pietatis huius taliter effectum prænuntiat, vt hominis in eo nomen euidenter ostendat, hæc dicens: Domine quis credidit auditui nostro, & brachium domini cui reuelatum est? Cum dicit brachium domini, diuinitatem filij Dei ostendit. Ac deinceps incipit incarnationis & passionis mysterium prædicare. Annuntiauimus coram ipso, vt pater, vt radix in terra sitienti. Non est ei species neque gloria. Et vidimus eum, & non habuit

Ioan. 1.

Homo christus peccata nostra portauit.

Heb. 2.

Psal. 21.

Esa. 53. a

speciem neque decorem, sed species eius sine honore, & abiecta præ omnibus hominibus, homo in plaga, & sciens ferre infirmitatem, quoniam aduersatus est, facies eius dehonestata est, nec aliquid æstimata est. Hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet, & nos existimauimus eum in doloribus esse, & in plaga, & in vexatione: Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, & infirmatus est propter peccata nostra. Eruditio pacis nostræ in eum, liuore eius nos sanati sumus, omnes vt oues errauimus. homo à via sua errauit, & dominus tradidit eum pro peccatis nostris, & ipse, quia male tractatus est, non aperuit os: vt ouis ad immolandum ductus est, & vt agnus ante eum qui se tondet sine voce, sic non aperuit os suum. In humiliatione iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit? quoniam tolletur à terra vita eius, ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem. Et vt propheta plenam in Christo substantiam hominis demonstraret, paulo inferius adiecit: Peccata eorum ipse portabit. Ideo ipse hæreditate possidebit multos, & fortium partietur spolia, propter quod tradita est in morte anima eius, & inter iniquos deputatus est. Et ipse peccata multorum sustinuit, & propter iniquitates eorum traditus est. Ex his prophetæ verbis, & anima tradita cognoscitur Saluatoris & caro: quia totus pro nobis ad crucem ductus est homo. Sic enim oportuit nostrorum peccatorum deleri chirographum, vt dum vetus homo noster simul cruci affigitur, tanquam in trophæo, triumphatoris victoria panderetur.

Plena humanitas Christi.

CAPVT XXX.

Non sensit caro christi corruptionem in se.

REstabat tamen ad plenum nostræ redemptionis effectum, vt illuc vsque homo sine peccato à Deo susceptus descenderet, quousque homo separatus à Deo,

Deo, peccati merito cecidisset, id est, ad infernum, vbi solebat peccatoris anima torqueri, & ad sepulchrum, vbi consueuerat peccatoris caro corrumpi: sic tamen, vt nec Christi caro in sepulchro corrumperetur, nec inferni doloribus anima torqueretur. Quoniam anima immunis à peccato, non erat subdenda supplicio: & carnem sine peccato non debuit vitiare corruptio. Nam quia peccans homo meruit in seipso per supplicium diuidi, quia maluit à Deo, qui diuidi non potest, prænarrationis reatu disiungi: propterea factum est, vt peccatoris mors carnem peccati ad sepulchrum corrumpendam perduceret, animam inferno torquendam protinus manciparet. Sed hæc vlciscentis Dei æquitas fecit, quæ ideo taliter peccatorem addixit, quia ne peccaret, ante prædixit. Hæc fuit retributio peccatori reddenda, vt iustè peccati supplicium lueret, qui Deo iusto iniustè peccasset. Vt autem peccator fuisset gratuito munere liberatus, factum est, vt mortem corporis, quam à Deo iusto peccator homo pertulerat, iuste Dei filius à peccatore pateretur iniustè: & ad sepulchrum perueniret caro iusti, quousque fuerat caro deuoluta peccati: & vsque ad infernum descenderet anima saluatoris, vbi peccati merito torquebatur anima peccatoris. Hoc autem ideo factum est, vt per morientem temporaliter carnem iusti, donaretur vita æterna carni: & per descendentem ad infernum animam iusti, dolores soluerentur inferni. Vtrunque autem scriptura sancta non tacuit. De resurrectione quidem carnis sic Beato Paulo loquente: Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur. Idem homo Christus est, qui pro nobis & pontifex factus est, dum semetipsum passioni obtulit, & hostia factus est, dum passionem ipse susceptit

pulchro, nec anima eius pœnâ in inferno.

Ista Dei vltio de peccato primi hominis.

Salua per Christum & caro & anima hominis.

1. Cor. 15.

Psal.109. *suscepit. Huic dicitur: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Et sacerdos tamen & hostia, humanæ naturæ tam officia cognoscuntur esse quàm nomina. Et quoniam idem pontifex infirmitates nostras suscepit & habuit, propterea de ipso Apostolus*

Heb 4.d *dicit: Non enim habemus pontificẽ, qui non possit compati infirmitatibus nostris. Et vt se de natura humana loqui doceret, adiecit: Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Et paulo inferius subdi-*

Ibidem.8.a *dit: Omnis enim pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui cõdolere possit his qui ignorant & errant: quoniam & ipse circun-*

Christus condoluit & compassus est nobis. *datus est infirmitate. In eo ergo, quo circundatus fuit infirmitate, in eo condoluit ignorantiæ & erroribus nostris, & in eo compassus est infirmitatibus nostris. Ibi est enim vnitas compassionis, vbi est vnitas naturalis.*

Rom.8. *In eo autem nobis pontifex ille compassus est, in quo etiam nos compatimur, dicẽte beato Apostolo: Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. si autem filij, & hæredes: hæredes quidẽ Dei, cohæredes autem Christi. Si tamen compatimur, vt &*

* conglorificemur. ** glorificemur. Beatus quoq; Petrus ad huius nos gratiam compassionis hortatur, dicens:*

1.Pet.4.c *Charissimi nolite expauescere in feruorem, qui ad tentationem vobis fit. Nolite pauere, tanquam noui vobis aliquid contingat, sed vt communicantes Christi passionibus gaudete: vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. In natura ergo humana pontifex ille veritatem sustinens*

Coloss.1, *passionis, in ea vtique nouit compati membris suis. Propterea & beatus Paulus dicebat, Vt adimpleam ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.*

CAP.

CAPVT XXXI.

QVid autem mirum, quod pontifici nostro naturali communione compatimur, cùm nos beatus Apostolus etiam cum illo mortuos esse testetur, his verbis: *Si mortui estis cum Christo, quid adhuc, tanquam viuentes in mundo, discernitis? Dicit etiam Timotheo: Memor esto Iesum Christum resurrexisse à mortuis, ex semine Dauid, secũdum euangelium meum, in quo laboro vsq; ad vincula, quasi male operans: sed verbum Dei non est alligatum. Omnia autem sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria cælesti. Sciens ergo Apostolus Iesum Christum ex semine Dauid à mortuis surrexisse, in quo vtiq; communio naturæ manifestatur humanæ, in quo eum mortuum nouerat, in eo nos illi commortuos esse commemorat, dicens: Fidelis sermo, Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus. Pontifex ergo ille, qui semetipsum pro nobis obtulit (sicut Apostolus dicit) oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis, sicut mortuus pro nobis, omnes nos sibi commori fecit: sic solutis doloribus inferni, omnes fideles ab ijsdem doloribus liberauit. Sicut beatus Petrus testificatur, & dicit: Iesum à Nazareth, virum approbatum à Deo in vobis virtutibus & signis, & prodigijs, quæ fecit per illum Deus in medio vestri, sicut vos scitis: hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis. Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat, teneri illum ab eo. Vbi etiam Dauidicum illud (quod in primo libro posuimus) testimonium, ita protulisse monstratur. Dauid enim dicit in ipsum, Prouidebã Dominum coram me semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propter hoc iocundatum est cor meum, & exultauit lingua*

Nos quoq; oportet cõpati & cõmori Christo. Coloss 2.d 2.Tim.2.

Ibidem.

Ephes.5.

Testimonium S. Petri de resurrectione carnis & animæ Christi. Act.2.

Psal.15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lingua mea: Insuper & caro mea requiescit in spe. Quoniam nõ derelinques animã meam in inferno, nec dabis sanctũ tuũ videre corruptionẽ. Notas mihi fecisti vias vitæ, & adimplebis me iocunditate cum facie tua. Ibi beatus Petrus diuino vere spiritu luminatus, & secundum domini sermonẽ, lux mundi effectus, qualiter hũc locũ intelligere deberemus, clarissima luce prædicationis ostendit, ne quis in Christo veram carnem sic intelligeret, vt veram in illo animam denegaret. Sequitur ergo:

Act. 2. e *Viri fratres, liceat audẽter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quia & defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos vsq; in hodiernum diem. Propheta igitur cùm esset, & sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus, De fructu lũbi eius sedere super sedem*

Psal. 131. *eius, prouidens loquutus est de resurrectione Christi, quia neq; derelicta est anima eius in inferno, neq; caro eius vidit corruptionem. In hoc igitur diuinitas Christi virtutem suæ impassibilitatis ostendit, qua vbiq; semper atque ineffabiliter præsens, & secundum animam suam in inferno sine doloribus fuit, & secundum carnem suam in sepulchro sine corruptione iacuit: quia nec carni suæ defuit, cùm animam suam in inferno dolere non sineret, nec animam suam in inferno deseruit, cum*

Nõ habuit in inferno anima christi doloré. *in sepulchro carnẽ suam à corruptione seruaret. Dignũ namq; fuit, vt carnem sepulchri non corrumperet locus, quam peccati non corrupit affectus: & animã dolor non contingeret inferni, quam seruitus nequiuit tenere peccati. Propter hoc in Psalmo, cùm ex forma serui, in*

Psal. 87. *qua Christus nostra peccata portauit, diceret: Quia repleta est malis anima mea, & vita mea in infernũ appropinquauit: vt ostenderet eandem animam suam à peccato liberam, in infernum pro nobis peccatoribus descendisse, subdidit, dicens: Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.*

CAP.

CAPVT XXXII.

Filius Dei ratione carnis dicitur mortuus & resurrexisse.

VEruntamen cùm sola caro moreretur & resuscitaretur in Christo, propter vnitatem personæ Dei & hominis, filius Dei dicitur mortuus. Quod euidenter his verbis Paulus Apostolus protestatur: Si enim, cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius. Rom. 5. b *Rursus filium Dei resurrexisse Petri prosequutione firmatur, Iudæos ad credulitatem Christi taliter exhortantis, Vos estis filij prophetarum & testamenti,* Act. 3. d *quod disposuit Deus ad patres nostros, dicẽs ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ, vobis primum suscitans Deus filiũ suum, misit eum* Genes. 12. *benedicentem vobis, vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua. Etiam in hoc capitulo, quem semen Abrahæ memorat, eundem filium Dei Petrus beatus appellat: Non enim diuiditur Christus, qui tamen non secundum id quod ex Deo patre, sed secundum id quod ex semine Abrahæ, cognoscatur surrexisse pro vnitate personæ, In qua Deus & homo, vnus est Christus, non incongruè Dei filius dicitur suscitatus. Cuius, vt secun-*

Secundum diuinitatẽ vnus est effectus patris & filij. *dum diuinitatem, vna probaretur natura cum patre, vnus simul fuit effectus in opere. Sicut enim carnem suam in virginis vtero faciente patre etiam ipe fecit, (quia secundum humanam naturam de Christo scriptum est, & dominum eum & Christum Deus fecit,* Actor. 2. f *hunc Iesum quẽ vos crucifixistis. Scriptum est etiam: Quia sapientia ædificauit sibi domum.) sic etiam cum* Prouer. 9. *traderetur à patre, ipse quoque se cognoscitur tradidisse. Scriptum est enim: Quia Deus filio proprio non* Roman. 8. *pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Et de ipso filio dicitur: Quod autem nunc viuo in carne, in* Galat 3. d *fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me.*

CAP.

CAPVT XXXIII.

IN resurrectione quoque eius inuenitur operis æqualitas, quia vna est patris filiique maiestas. De patre quippe sic beatus loquitur Petrus: Vobis primum Deus suscitans filium suum misit eum benedicentem vobis. De ipso vero sic Dei filius loquitur ad Iudæos: Soluite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud. Quod Ioannes aperuit, dicens: Ipse autem dicebat de templo corporis sui. Colossensibus quoque Paulus loquens, ipsum Deum filium humanitatem suam his verbis significat suscitasse: Videte ne quis vos seducat per philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditiones hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis. In quo & circuncisi estis circuncisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, in circuncisione Christi, consepulti ei in baptismo: in quo & consurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis. Et vos, cùm mortui essetis in delictis & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis Et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: exuens se carne, principatus & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Non nescimus hunc locum ad personam patris à nonnullis referri, sed ex connexione verborum, sic vt & legentis accedat intentio, magis id capituli huius sensus ostendit, vt vnus idémque filius, non solum Christus, qui suscitatus est, sed etiam Deus ipse, qui Christum suscitauit, appareat. Vt constet Apostolum in hoc loco

Et pater filium suscitauit, & filius suscitauit seipsum Actor. 3. Ioan. 2. d

Col. 2. b

Dei

Dei nomen ad illam sempiternam filij, quæ est ex patre, substantiam: nomen verò Christi ad eam, quam ex homine Dei filius sumpsit, retulisse naturam. Dignum præ omnibus ducens Doctor gentium, in fide & veritate, vt sicut eundem Christum, qui suscitatus est, prædicauit hominem (dicens, Per hominẽ mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabũtur) non minore cautela eũdem filium, qui suam carnẽ illa (qua equalis est patri) potentia suscitauit, Deum verissime prædicaret, sicut huius loci textus clara manifestatione vulgauit. Deus enim qui suscitauit Christũ à mortuis, quiq; nos cùm mortui essemus in delictis & præputio carnis nostræ, cõuiuificauit cum illo, idem nobis delicta omnia donauit: & qui donauit delicta, chirographum, quod aduersum nos erat, deleuit, & sublatum de medio, cruci affixit. Qui chirographum cruci affixit, idem se carne exuit: qui se carne exuit, ille etiam principatus & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Hæc autem, Paulo teste, omnia Deus fecit, qui Christum à mortuis suscitauit. Attendatur itaq;, si pater chirographũ cruci affixit, si pater se carne exuit, si pater principatus & potestates traduxit, palam triũphans illos in semetipso. Et si hæc omnia paternæ potuerint coaptari personæ, digne negabitur filius hic ab Apostolo designatus. Ille scilicet Deus, qui Christum à mortuis suscitauit. Si autem omnia superius designata, filio magis quàm patri conueniunt, cognoscatur vnus atque idem ab Apostolo prædicatus Christus, qui à mortuis resurrexit, & Deus qui Christum à mortuis suscitauit. Igitur & qui suscitauit semetipsum, & suscitatus est Christus. Quia sicut in eo quod in se fecit, ipse dignatus est fieri: & in eo quod in se tradidit, ipse dignatus est tradi: in eo quod in se oc-

1. Cor. 15. a

cidi permisit, ipse dignatus est mori: sic in eo, quod in se suscitauit, ipse dignatus est suscitari.

CAPVT XXXIIII.

Humanitas Christi non tota fuit in sepulchro aut inferno, sed tota ibi fuit diuinitas.

HVmanitas ergo vera filij Dei nec tota in sepulchro fuit, nec tota in inferno, sed in sepulchro secundum veram carnem Christus mortuus iacuit, & secundum animam ad infernum Christus descendit. Secundum eandem animam ab inferno ad carnem (quam in sepulchro reliquerat) rediit. Secundum diuinitatem vero suam, quæ nec loco tenetur, nec fine concluditur, totus fuit in sepulcho cum carne, totus in inferno cum anima. Ac per hoc plenus fuit vbique Christus, quia non est Deus ab humanitate, quam susceperat, separatus: qui & in anima sua fuit, vt solutis inferni doloribus, ab inferno victrix rediret, & in carne sua fuit, vt celeri resurrectione corrumpi nõ posset. Totum igitur hominem cum suis infirmitatibus, sine peccato Dei filius pro nobis accepit: In tota traditus idem Christus, secũdum sõlam carnem mortuus, totus Christus secundum sõlam animam ad infernum descendit. Recta fides de humanitate Christi & factis eius. Idem atque inseparabilis Christus, secundum sõlam carnem de sepulchro surrexit: Idem atque inseparabilis Christus, secundum totum hominem, quem accepit, terram localiter deserens, ad cælum ascendit, & in dextris Dei sedet, secundum eundem totum hominem venturus ad iudicandum viuos & mortuos: coronaturus fideles & pios, illos scilicet, qui eum in vtraque, id est, in humana diuinaq; substantia, verum plenum & perfectum credentes, nec Dei filio aliquid paternæ substantiæ minuunt, & totum pro se susceptum hominem sine peccato cognoscunt: condemnaturus autem infideles, qui diuersos cuiuslibet perfidiæ sectantur errores, Varij errores circa Christum. quiq; in eis ita simul obdurato corde perdurant, vt eos

eos vsque ad vitæ præsentis obitum non relinquant. In quibus sunt illi, qui in Christo phantasiam carnis audent credere: Et cùm eum veritatem carnis denegant accepisse. Illi etiam, qui in eo diuinitatem omnimodis abnegantes, sõlam hominis putant fuisse substantiam. Sed & hi, qui eum vel de Deo patre dominum denegant nãturaliter natum, vel totam non credunt hominis in Christo substantiam. Similiter & illos condemnaturus aduenit, qui ex operationis vnitate vnum Deum patrem & filium credentes, alterum ex altero sic natum denegant, vt personaliter patrem filiumq; confundant. Quiq; patri humanam pariter natiuitatem assignantes & mortem, ipsum patrem dicunt natum ex virgine, ipsum etiam passum fatentur in carne. Illos etiam æterno condemnabit gehennalis tormenti supplicio, qui corpus Christi non ex virgine fatentur substantialiter sumptum, sed confingunt de cælo depositum: cùm Dei filius propterea de homine naturam fuerit dignatus corporis terreni suscipere, quia non venerat eos qui in cælo, sed eos qui fuerant in terra, saluare, sicut Apostolus dicit: Nusquam enim angelos adprehendit, sed semen Abrahæ adprehendit: vnde debuit per omnia fratribus similari. Suscepit ergo filius Dei animam nostram, id est, melius nostrum (quia melior est meliore nostro, de quo Ioannes dicit: Maior est Deus corde nostro) sed non spreuit etiam carnem nostram, id est, infimum nostrum suscipere, quia totum hominem venerat liberare: nec potuit infimo nostro infimus fieri, per quem infimum nostrum in illud nomen, quod super omne nomen est, meruit exaltari: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Qui etiam illos tormẽtis est interminabilibus tra-

Error circa corpus Christi.

Heb. 2. d

1. Ioan. 3. d

Phil. 2. b

Error circa spiritum sanctum.

bus traditurus, qui sancti spiritus naturam à substantia patris filiiq; discernunt: vt vel omnino eum personaliter esse non putent, vel tanquam ministrum meriti prorsus inferioris existiment. Ipsi sibi sua professione contrarij, qui se vel in illo, qui omnino non est, vel in eo, qui Deus non est, credere confitentur.

CAPVT XXXV.

VT enim pauca huius operis causa subijciam, dicatur, quid minus habet spiritus sanctus; quàm habet pater & filius? qui & initium creationis nostræ cum patre ac filio simul fecit, & effectum redemptionis nostræ cum patre simul filioq; perfecit. Cælum fecisse dicitur Deus: sed operante patre simul & filius inuenitur cooperator & spiritus sanctus. Verbo enim Domini cæli firmati, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quid patre vel filio minus habere creditur, à quo virtus omnis cælorum firmata monstratur? Vitam dare nullus potest, nisi qui substantialiter Deus est. Sicut autem viuificat pater, sic viuificat filius, sic viuificat spiritus sanctus. Nam sicut pater suscitat mortuos & viuificat: sic & filius, quos vult, viuificat. Et de spiritu Apostolus dicit: Litera occidit, spiritus autem viuificat. Idem rursus, Si autem spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificauit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Regenerat pater, regenerat filius, regenerat spiritus sanctus: quia cùm Baptisma datur in nomine patris & filij & spiritus sancti, ex eo vnusquisque regeneratur, in cuius nomine baptizatur. Cùm ergo in nomine Trinitatis datur baptisma, simul tota Trinitas regenerat, quæ vnus & solus est Deus. Propterea de fidelibus Ioannes dicit: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate

Psal. 32.b

Viuificant omnes tres, id est, ipsa Trinitas.

Ioan. 5.

2. Cor. 3.b

Rom. 8.

Regener.

Ioan. 1.

voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Est in nobis charitas patris, quia dicit Paulus: Commendat autem suam charitatem Deus in nobis, quoniam si cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo igitur magis iustificati nunc in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Est in nobis charitas Christi, dicente Apostolo: Quis nos separabit à charitate Christi? vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Eadem est in nobis etiam charitas Spiritus sancti, de qua Paulus dicit: Obsecro igitur vos fratres, per dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem spiritus. Et alio loco: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Et denuo dicit: Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax. Habitat in nobis pater, habitat filius, habitat spiritus sanctus. Quia scriptum est: Inhabitabo in illis & inambulabo. De filio quoque dicit Apostolus: In interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris, Spiritum quoq; sanctum his verbis in nobis habitare confirmat: Nescitis, quia tẽplum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Et vt ostenderet, eundem esse spiritũ Dei, qui spiritus sanctus est, Timotheum sic admonet, dicens: Bonum depositum custodi per spiritum sanctum qui habitat in nobis. Dat gratiam pater, dat gratiam filius, dat gratiã spiritus sanctus. Sicut prædicator veritatis, Christo in se loquente, testatur: Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & domino Iesu Christo. De spiritu quoq; sancto scriptũ est in Actibus Apostolorũ: Cùm Petrus ad docẽdum Corneliũ ab ipsõ spiritu mitteretur, Loquente autem Petro verba hæc, cecidit spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, & obstupuerunt ex circũcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia spiritus sancti effusa

Vna charitas trium. Rom. 5.

Rom. 8.g

Ephes. 3.d

Ibid. 15.g

Rom. 5.

Gal. 5.

Habitant in nobis. 2. Cor. 6.

Ephes. 3.e

1. Cor. 3.

2. Tim. 1.d

Dãt gratiã.

Rom. 1.

Act. 10.g

Nostrũ templũ Trinitatis.

est. Sumus templum patris, sumus templum filij, sumus templum spiritus sancti, sicut Paulo doctore didicimus, qui ait, Vos enim estis templum Dei viui. Et
1.Cor.6. 2.Cor.3. alio loco: Si quis autem templum Dei violauerit: disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Filij quoque templum sumus, cuius domus sumus. Nam & ipse filius templum domum
Ioan.2.c vocauit, dicente Euangelista: Ascendit Iesus Hierosolymam, & inuenit in templo vendentes boues & oues, & cætera. Quos cùm de templo protinus eiecisset, vendentibus columbas dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Similiter Dauid id esse templum Dei quod
Psalm. 5. domum, in Psalmis ostendit dicens: Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. Cùm hoc ergo sit templum Dei, quod domus Dei, templum nos filij demonstrat beatus Apostolus, cuius nos domum, ita scribens Hebræis, appel-
Heb.3.b lat: Christus autem tanquam filius in domo sua, quæ domus nos sumus, fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus. Nam & ipsum corpus filij & domum scriptura sancta nominauit & templum,
Prouer.9. cùm dicit Salomon: Sapientia ædificauit sibi domum.
Ioan.2.d Et Euangelista huic sensui concordans ait: Ipse autem dicebat de templo corporis sui. Si ergo quod corpus est Christi, templum est Christi: nos quoque templum eius sumus, quos corpus eius esse confirmat Apo-
1.Cor.12.d 1.Cor.6. stolus, dicens: Vos estis corpus Christi & membra.
Ibidem. Templum etiam Spiritus sancti nos esse, manifestè commendat. Nescitis, inquiens, quia membra vestra templum est spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo? Vbi eum Deum quoque monstrauit, ista subijciens, Et non estis vestri: Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. Hoc tamen templũ spiritus sancti, membra Christi esse testatur dicens: Nescitis, quia corpora vestra membra Christi sunt? Dicatur igitur, si cælorum virtutem potuit firmare qui non est Deus: si potest viuificare, qui non est Deus: si potest in Baptismatis regeneratione sanctificare, qui non est Deus: si potest charitatem tribuere, qui non est Deus: si potest in credentibus habitare, qui non est Deus: si potest gratiam dare, qui non est Deus: si potest templum membra Christi habere, qui non est Deus: & dignè Spiritus sanctus negabitur Deus. Rursus dicatur: Si ea, quæ de Spiritu sancto commemorata sunt, potest aliqua creatura facere: & dignè Spiritus sanctus dicetur creatura. Si autem hæc creatura possibilia nunquam fuerunt, & inueniuntur in Spiritu sancto, quæ tamen soli competunt Deo: non debemus naturaliter diuersum à patre filioq; dicere, quem in operum potentia diuersum non possumus inuenire. Ac sic ex vnitate operis vnitas est agnoscenda virtutis: Nec quisquam dubitet, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, personarum Trinitate seruata, vnum Deum naturaliter dicere: qui potuit vniuersa solæ voluntate condere, qui cuncta potest virtutis omnipotentia gubernare, qui omnia potest immensitate diuinitatis implere.

Vere igitur Deus est spiritus sanctus, vti per Epilogum hic colligitur. Ibidem.

Vna natura in tribus personis.

CPVT XXXVI.

Peroratio ad Regem Trasimundum Arrianum.

HÆc vt dominus dedit, Clementissime Rex, malui tuæ pietati scribere, quàm omnimodis reticere: ne silendo aut æstimarer superbus, aut de fidei nostræ veritate putarer ambiguus. Cùm Ecclesiam Catholicam solam Christus columbam suam voluerit appellari,

Cant.6.c dicens: *Una est columba mea, una est dilecta mea. In quo columbæ nomine, charitas & simplicitas designatur. Sola autem veram possidet charitatem, quæ filium Dei quem diligit, non dicit in diuinitate minorem, sed patri fatetur æqualem. Sola vero possidet veritatem simplicitatis, quæ vnã veram & simplicem credit substantiam Trinitatis. Oramus autem Deum, vt aures clementiæ tuæ verbo veritatis placidas reddat, & pio cordi tuo lumen sapientiæ spiritalis infundat, vt filium Dei Deum Dominum Iesum Christum sic honorifices, sicut honorificas patrem. Meretur enim hoc à te, vt eum qui te fecit Patre tuo meliorem, patri suo secundum diuinam naturam fatearis æqualem. Quæso gloriose Rex, vt in te consideres largitatem diuini muneris, & potestatem non minuas largitoris: vt qui tibi temporale donauit regnum, donet etiam sempiternum.*

3.Regũ.2.f *Ipse enim dicit: Eos qui me glorificant, glorificabo. Quod ipsa Trinitas faciat, quæ vnus & verus est Deus, qui potest omnia facere supra quàm petimus aut intelligimus. Ex ipso enim & per ipsum sunt omnia. Ipsi gloria in secula seculorum,*

AMEN.

B. FVL-

B. FVLGENTII AD DONATVM, LIBER VNVS,

De fide orthodoxa, & diuersis erroribus hæreticorum.

CAPVT I.

Laudabilis in iuuene affectus ad sacras litteras

DOMINO *eximio, & in Christi charitate plurimum desiderabili filio Donato, Fulgentius, seruorum Dei famulus, in Domino salutem.* * *Multis benedico Dominum, dilectissime fili, cuius gratia talis es, vt cùm sis ætate iunior, non quæ sunt carnis, sed quæ sunt spiritus, concupiscas: & de fidei feruore succensus, illa laudabiliter iam incipias meditari, quibus non voluptas carnẽ damnabiliter nutriat, sed agnita veritas animum spiritaliter pascat. Ipsius enim factum inspiratione non dubito, vt cum studijs insistere soleas secularium literarum, diuinis eloquijs affectum impendas: illud vtique volens magis apprehendere, non vnde tumida eloquẽtia discitur, sed vnde vitæ perennitas comparatur. Quisquis enim fidem veram tenet, vitam possidet: iustus enim ex fide viuit. Et quisquis in eiusdem fidei mysterio cupit instrui, vitæ scientiã desiderat adipisci. In qua* * *tamen quisq; crescit, quanto magis quod verũ & salutare est, discit. Huius scientiæ qui tenuerit indubitanter initiũ, perueniet ad perfectum: & qui non spreuerit lac Apostolici sermonis humiliter accipere, ipse merebitur solidi cibi perceptione gaudere. Siue autem quis intra ecclesiam Catholicam lacte nutriatur, siue cibo pascatur, tamen à sinu Matris Ecclesiæ non recesserit: vitæ particeps permanebit, quia tenens fidei iustitiam, possidebit & vitam. Quam vitam nec ille possidebit, qui permanet in infidelitate, nec ille qui perseuerat in crimine,*

Iustus ex fide viuit. Rom.1.

* tantum

Quis vitæ particeps.

Ephes. 4. quoniam de illis esse conuincitur, qui secundum Apostoli sententiam veram, ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à * vita Dei per ignorātiam, quæ est in illis, propter cæcitatē cordis ipsorum. Ipsa enim cordis cæcitas, & quid credat, & quid agat, ignorat.

* vita

CAPVT II.

Donatus de Trinitate tentatus ab Arrianis.

DIcis itaque, à quibusdam Arrianis de patre & filio propositam quæstionem, in qua patrem maiorem, & minorem filium asserebant: Te vero, propter diuinarum ignorantiam literarum, quibus minus instructus es, non inuenisse, quid eis in defensionem veræ fidei responderes. Hoc in te itaque primitus in nomine domini laudo, quia si tibi non fuit tanta respondendi facultas: permansit tamen in corde tuo veritatis firma credulitas. Non enim omnes qui Christi participes sunt, etiam respondendo possunt defensare quod credunt: sed etiam illa pars est profecto victoriæ, vt quamdiu quis sermone non potest defendere veritatem, fideli tamen corde deuitet errorem. Expedit autem, vt saluberrima Petri Apostoli verba sectemur, præcipientis, vt simus parati semper ad respondendum omni poscenti nos rationem de fide & spe, quæ in nobis est. Volens ergo ad respondendum paratior inueniri, petis, vt nostro instructus sermone, agnoscas, quemadmodum Hæreticis, fidem nostram impugnare volentibus, diuinis valeas armatus eloquijs obuiare. Proinde illud admoneo principaliter teneas sanctam Trinitatem, id est, patrem & filium & spiritum sanctum, naturaliter verum esse Deum, summum, verum & bonum, vnius naturæ, vnius essentiæ, vnius omnipotentiæ, vnius bonitatis, vnius æternitatis, vnius immensitatis. Ac sic, cum vnum Deum audis, patrem & filium & spiri-

Ad respondendum de fide parati esse debemus. 3. Pet. 3.

& spiritum sanctum, vnam naturam summæ illius Trinitatis intellige. Et cum Trinitatem audis, patrem & filium & spiritum sanctū, tres personas vnius summæ illius diuinitatis agnosce. Tres enim personæ sunt, pater & filius & spiritus sanctus, ideo Trinitas dicitur: sed vna substantia est patris & filij & spiritus sancti, ideo ipsa Trinitas vnus Deus veraciter à fidelibus prædicatur.

CAPVT III.

Tres personæ, non tres naturæ

TRes itaque personas esse, patrem & filium & spiritum sanctum, ostendunt ipsius eloquia veritatis. Vnde Saluator noster ait: Non sum solus: sed ego & qui misit me pater. De spiritu sancto quoque dicit: Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis spiritum veritatis. Præcepit etiam baptizari gentes, In nomine patris & filij & spiritus sancti. His itaque huiusmodi testimonijs ostenditur, patrem & filium & spiritum sanctum, tres esse personas: sed non tres esse naturas. Vnde Trinitas illa sancta dignè creditur in personis: Tres autem Deos dici, patrem & filium & spiritum sanctum, non permittit vnitas naturalis. Et quia in vna natura Trinitatis, nulla potest esse diuersitas, ideo in tribus personis manet inconfusa proprietas, & in vnitate naturæ regnat incommutabiliter substantialis æqualitas. Ideo de filio dicitur: Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Et quia non solum soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Ad hanc æqualitatem naturæ virtutisq; etiā illud pertinet, quod ipse filius ait: Quia quæcunq; pater facit, hæc eadem & filius similiter facit: Et sicut pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. In illa Trinitatis natura, sic totum vnum est, vt nihil ibi possit separari vel diuidi: sic totū æquale est, vt nihil ibi maius aut

Ioan. 8. b

Ioan. 14.

Matth. vlt.

Æqualitas in trinitate.

Philip. 2.

Ioan. 5.

Ibidem.

minus

Scripturæ testimonia, quod trinitas sit vnus Deus.

minus valeat inueniri. Istum nobis vnum Deum noui & veteris testamenti veridica demonstrat auctoritas. De hoc enim vno Deo beatus Moyses dicit: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est: & Dominū Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et ipse Dominus Deus de se: Videte quòd ego sum solus, & nō est alius Deus præter me. De hoc & beatus Dauid dicit: Quis Deus, præter dominū, aut quis Deus præter Deū nostrum? Sanctus quoq; Iacobus Apostolus, istū vnum Deum prædicans, ait: Tu credis, quia vnus est Deus, bene facis: Dæmones credunt, & cōtremiscunt. Verumtamen non ignoramus ista testimonia, & si qua similia in diuinis reperiūtur eloquijs, quibus vnus & solus asseritur Deus, non ipsi sanctæ Trinitati, sed vni tantum personæ, id est, soli Deo patri, ab hæreticis assignari: proinde illorum quæ proposuimus testimonia, id est, illius, quo dicitur, Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est: & alterius, quo legitur, Dominū Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, inquantū, ipso domino Deo donante, possumus, intelligētiam requiramus. Primum quippe nos testimonium posuisse meminimus illud, quo dicitur: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Hoc itaq; sic vtrunq; fatemur esse firmissimum, vt ab hoc testimonio nullus existimet aliquatenus recedēdū. Proinde quoniā duos à fidelibus coli, regula præcepti huius nullaratione permittit: aut patrē et filiū credant vnū naturaliter Deū, si volūt sine huius trāsgressione mādati vnū Deū sic colere, vt nec patrē colāt sine filio, nec filiū sine patre. At quia Deus maior & Deus minor, Deus vnus esse nō possent: necesse est, vt aut patrem solum dominū Deum suū dicant, & filiū dominū Deum suum omnimodis negent: Aut solum filium, dominū Deum asserant, & à Dei patris cultura recedāt. Sed Deum patrē dominum Deū suum negare non possunt

Deut. 6.

Deut. 32.

Psalm. 17.

Iacob. 2.

Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.

sunt, quem vsq; adeo dominū Deum omniū esse confirmant, vt etiam ei diuinitatē filij tanquam minoris Dei inuitæ seruitutis subiugare contendant. Filium verò, si dominum Deum suum negare voluerint, ipsius paternæ vocis testimonio protinus arguuntur. Per os enim Prophetæ ex persona Dei patris dicitur: Et domui Iudæ miserebor, & saluabo eos in domino Deo suo. Ipsum dominum esse Deū nostrum Euangelicæ quoque veritatis commendat auctoritas, vbi beati Thomæ Apostoli confessio prauitati hæreticæ prorsus contradicit, exclamantis atque dicentis, Dominus meus & Deus meus. Ergo quando & patrem dominum sine dubio confitentur, & filium dominum Deum fateri, Prophetica atq; Euangelica veritate coguntur: aut patrem & filium, personarum proprietate seruata, vnum dominum Deum naturaliter dicant: aut confitentes solum patrem suum dominum Deum, consequenter dicant filium nec dominum suum esse nec Deum. Quod cùm dixerint, nunquam se audebūt asserere Christianos, cum vtiq; Christianus à Christo nomen accepit. Christianus autem nullatenus esse possit, quisquis ipsum Christum dominum Deum suum esse non dixerit. Fateantur ergo patrem & filium non duos dominos deos, sed vnum dominum Deum suum: si volunt veritatem tenere fidei, & nolunt rebelles præceptis legalibus atque Euangelicis inueniri. Sic enim poterunt & illius testimonij, quo dictum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, intellectum pariter officiumq; seruare. Neque enim fas est, sic adorare Deum patrē, vt Deum filium non adoret, cum vtiq; de ipso filio scriptum sit in Deuteronomio: Lætamini cæli cum eo simul, & adorent eum omnes angeli Dei. De ipso quoque beatus Dauid in Psalmo dicit: Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei.

Filius quoque dominus Deus dicitur.

Ose. 1.

Ioan. 20.

Ratio fortissima contra Arrianos de patre & filio.

Adorādus est & filius

Psal. 96.

Psal. 71.

CAP.

CAPVT IIII.

Creatura nequaquã adoranda.

QVia si filius secundum diuinitatem vnus Deus cum patre non esset, vnius cum eo naturæ vtiq; non fuisset: & si naturæ alterius esset, creatura sine dubio esset. Si autẽ creatura esset, seruiendum ei sanctarum scripturarum auctoritas non iuberet, sed potius prohiberet. In primo enim decalogi mãdato, sicus vnius Dei cultura seruitũsq; manifestissime præcipitur: ita omni creaturæ adoratio ac seruitus à fidelibus exhibenda,

Exod. 20. a vehemẽtissime prohibetur. Ibi enim dicitur: Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis: non erũt tibi dij absq; me. Sed si hoc simul à patre & filio dictũ accipitur, vnus Dominus Deus credatur pater & filius. Sed si hoc aut pater sine filio, aut sine patre creditur dixisse filius, necesse est, vt aut pater Dominus negetur, aut filius. De illo enim qui dixit, Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis, nõ erũt tibi dij absq; me: de ipso sanctus Moyses ait, Audi Israel, Dominus

Deut. 6. a Deus tuus Deus vnus est. Et quia ipse Deus sibi soli præcipiens tantũmodo seruiendũ, seq; iubens à fidelibus adorandũ, prorsus interdixit, ne quis auderet creaturã adorare, creaturæq; seruire. Propterea in fine illius primi præcepti, de omnibus quæ creauit ita loquitur, Non adorabis ea, nec seruies eis: Ego enim sum dominus

Idolatræ veritatem Dei commutant in mendaciũ. Roma. 1. Deus tuus. Quod vtique sciens beatus Apostolus, iram Dei reuelari pronũtiat super omnem impietatem & iniustitiam eorum, qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus in secula. Veritatem Dei tenere, est vnum Deum colere: Veritatem Dei in mendacium conuertere, est creaturæ seruire. Vera enim religio, in vnius constat veri Dei seruitio. Ipsa namque veritas, vnus est Deus: & sicut excepta vna veri-

veritate, non est alia veritas: sic absque vno Deo vero, non est alius verus Deus. Ipsa enim vna veritas, est naturaliter vna vera diuinitas. Et ita non possent duo veri dij veraciter dici, sicut ipsa vna veritas, naturaliter non potest diuidi.

CAPVT V.

SAncta vero scriptura, quæ nobis vnum dominum Deum veraciter salubriterq; commendat, sicut patrem verum Deum, sic & filium verum Deum, fidelibus cunctis insinuat. De patre quippe dicit beatus Paulus Apostolus, Thessalonicensibus scribens: Conuersi estis ad dominum à simulachris seruire Deo viuo & vero, expectare filium eius de cælis, quem suscitauit à mortuis Iesum, qui eripuit nos ab ira ventura. Hic Iesus Christus non sic est Dei patris filius, sicut nos sumus. Ille est enim proprius, nos redempti: Ille natus, nos facti: Ille verus, nos adoptiui. Ille autem, qui verus est filius, ipse etiam verus est Deus: non adoptione generatus, sed de patre naturaliter natus. In quo vero Deo veroq; filio, ideo est vera diuinitas, quia naturalis est illi de patre natiuitas. Propter quod eũ verũ patris filiũ, verũ deũ vitamq; æternã, beatus Iohannes in epistola sua profitetur. Scimus, quia filius dei venit, & dedit nobis intellectũ, vt sciamus verum: & simus in vero filio eius Iesu Christo: Hic est verus deus, & vita æterna. Verũ itaque deum colere, veroq; deo seruire, non est vtique veritatẽ dei in mendaciũ commutare. Ille veritatem dei commutat in mendacium, qui deo non vero existimat seruiendum. Ille autem deum non verum colit, & deo nõ vero seruit, qui creaturæ seruierit, creaturamq; coluerit. Quia vbi deus non verus colitur, & deo non vero seruitur, ibi dei veritas in mendacium cõmutatur. Quoniã ergo & deũ patrẽ deum verum, & deum filium deum verum, cælestium eloquiorum attestatione

Scriptura & patrem & filium vetũ Deũ prædicat.

1. Thes. 1.

1. Ioan. vlt.

Christus verus Deus

cognos-

cognoscimus: aut vnum verum Deum naturaliter patrem & filium cum Catholicis asserant, aut duos veros Deos à se coli contra veritatem sanctæ fidei dicant, aut creaturæ cultores seipsos profiteri nõ metuãt, vt veritatẽ Dei se in mendaciũ cõmutasse, ipsa rerũ manifestatione cognoscãt. Vna quippe veritas, vnius veri Dei, imo vna veritas, vnus verus Deus, non permittit seruitutem atque culturam veri Dei, Deo creaturæq; coniungi: Vera quoque religio, excepto vno vero Deo, nulli Deo finit culturæ ac seruitutis obsequiũ à fidelibus exhiberi.

CAPVT VI.

Omnis autẽ creatura, quæ minor est à natura Dei patris, sine dubio creata natura est. Quid est autem creata natura, nisi creatura? Omnis porro creatura, quoniam opus est veritatis, est quidem creatura vera, non tamen est veritas. Sola autem naturaliter est veritas, quæ naturaliter est vera diuinitas. Illi ergo veritatem Dei non commutant in mendacium, sed veræ fidei tenẽt salutare mysteriũ: qui nec solum patrem, nec solum filium, sed simul patrem & filium, vnum dominum Deum suum, corde credunt ad iustitiam, & ore cõfitentur ad salutem. Quia non solum pater Deus, sed etiam filius Deus, naturaliter & verax Deus, veritas Deus, permanens cum patre naturaliter, vnus verax, vnus verus, vnáque veritas. Quia duos Deos credi vel dici, omnino prohibet vna veritas, quæ sola vera est diuinitas. Proinde, secundum diuinam naturam non est minor patre, sed æqualis est patri: quia filius ita verus Deus dicitur, vt pater Deus verior non dicatur. In Deo enim vero, nihil minus existimari sinit ipsa veritatis agnitio. Permanet itaque in patre & filio naturaliter vna veræ diuinitatis æqualitas, & vna incommutabilis ac sempiterna maiestas. Sic autem filium patri

Nulla creatura est veritas, sed vera.

Rom.10.b

patri æqualem veraciter dicimus, vt etiam minorem veraciter non negemus. Scimus enim Deum filium natum de natura Dei patris, natum etiam de natura virginis matris. Ac per hoc verum Deum veritatem paternæ naturæ, verum Deum hominem de veritate maternæ substantiæ: quem diuinitatis æternitas ostendit, sine initio natum: & temporalis susceptio carnis, docet sine dubio minoratum. Æqualis est filius patri, & minor est filius patre: æqualis vera diuinitate, minor vera humanitate. Æqualis, quia In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: Minor autem, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Æqualis, quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: Minor autem, quia semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Æqualis est patri filius, quia de domino natus est dominus: Minor est autem patre filius, quia de ancilla factus est seruus. Inde est quod dicit: De ventre matris meæ, Deus meus es tu. Et iterum: O domine, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Æqualis est patri filius, quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: Minor est autem patre filius, quia factus est ex muliere, factus sub lege. Et ideo, sicut veraciter Dei filius Deo patri coæternus agnoscitur, sic veraciter matre posterior inuenitur. Primam quippe natiuitatem filij, nullatenus præcessit æternitas patris, cuius tamen secundam natiuitatem præcessit temporalis natiuitas matris. In illa quippe natura Dei patris, quæ esse non cœpit, de æterno patre, coæternus est filius, inenarrabiliter natus: in natura virginis, quæ esse cœpit ex tempore, de temporali matre temporaliter est idem filius misericorditer generatus. In ea natura Dei filius æqualis est patri, qua ante omnia coæternus est patri: & in ea natura est filius patre

Ioan.1.a

Psal.21.

Psal.115.

Duplex natiuitas Christi, æterna & temporalis

tre minor, in qua est & matre posterior. In ea natura patri æqualis est filius, in qua creator est angelorum: In ea natura patre minor est idem filius, in qua ab initio creaturæ adoratur & laudatur ab angelis.

CAPVT VII.

Christus minoratus paulo minus ab Angelis. Hebr. 2.

APostolica quippe auctoritas, huius minorationis non destitit demonstrare mysterium, dicens: Eum autem, qui modico quàm angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum. Superius autem, cuius naturæ sit hæc assignanda minoratio, euidenter ostensum est, quando illud testimonium prophetæ probatum est, in quo dicitur: Domine quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? Minorasti eum paulo minus ab angelis. Dei ergo filius, ante susceptionem carnis, cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: quia in illa forma Dei filius æqualis est patri. Quia si minor esset, in eadem forma Dei non esset. Sed in forma Dei filium esse, Apostolica dicit auctoritas. Ideo ergo æqualem Deo esse, non illi rapina fuerat, sed natura, quæ in forma veri Dei non nisi verus esse potuit Deus. Et diuinæ formæ vnitas, ipsa est diuinitas huius naturalis æqualitas. Vbi ergo formæ vnitas in natura erat, æqualitas rapina non erat. Naturalis autem diuinitatis æqualitas, quæ in forma Dei erat, auferri Deo vero non poterat. Inde est, quod retinens veritatem diuinitatis, & veritatem accipiens carnis, vnus idemq; Dei & hominis filius, & patre factus est minor, & patri permansit æqualis. Ideo vtrunque veraciter ipsa veritas dixit: Et, pater maior me est: & ego & pater vnum sumus. Vere ergo Deo patre minor est Christus, quia naturaliter ex patribus est secundum carnem: & vere Deo patri æqualis

Pſalm. 8.

Philip. 2. a

Christus in forma hominis minor est patre.

Ioan. 14.

Ioan. 10.

æqualis est Christus, quia naturaliter est super omnia Deus benedictus in sæcula. Proinde vera fides, quæ in vno eodemq; Christo, vtriusque credit & confitetur substantiæ veritatem, vnum eundemq; Christum Dei filium, & secundum veritatem carnis factum prædicat minorem: & secundum veritatem diuinitatis patri Deo credit & confitetur æqualem. Sic veraciter vnum Deum cum patre filium, vera fides adorat: quæ sic vni Deo nouit à creaturis omnibus seruiendum, vt nouerit creaturæ non debere seruitutis obsequium.

CAPVT VIII.

Spiritus sanctus nō creatura, sed creator est. Pſalm. 32.

INde est, quod etiam spiritum sanctum creatorem vera fides asserit, non creaturam. Quomodo enim creator esse negetur, à quo firmata cælorū virtus ostenditur, dicente Dauid, Verbo domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum? Et alio loco: Pſalm. 103 *Emitte spiritum tuum, & creabuntur. Creator quippe est omnium rerum, qui factor est omnium. De quo beatus Iob dicit: Spiritus diuinus, qui fecit me. Spiritus ergo sanctus, sicut omnia creauit, sic omnia replet immensus. Et quia omnia replet, naturaliter est verus Deus. Scriptum est enim,* Pſalm. 138 *Quia spiritus domini replebit orbem terrarum. Nam & beatus Dauid, vbique esse spiritum Dei testatur, dicens ipse de eo: Quo ibo à spiritu tuo, aut à facie tua quo fugiam? Quomodo autem negant Arriani Deum esse spiritum sanctum, cùm ita simus templum spiritus sancti, sicut sumus templum patris & filij? Apostolus enim dicit: Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Sic autem nos B. Apostolus asserit esse templum Dei, vt in eadem*

Spiritus sanctus est verus Deus. Sapient. 1.

1. Cor. 3.

1. Cor. 6.

epistola, nos dicat etiam spiritus sancti. Dicit enim: Nescitis, quia membra vestra templum est qui in vobis habitat spiritus sancti, quem habetis à Deo? Et vt ipsum spiritum sanctum Deum esse demonstraret, continuo subiunxit: Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Æqualis est ergo patri & filio spiritus sanctus: quia creator est omnium rerum, sicut pater & filius. Æqualis est patri & filio spiritus sanctus: quia replet mundum, immẽsus sicut pater & filius. Æqualis est patri & filio spiritus sanctus: quia omnium fidelium membra vnum templum habet, sicut pater & filius. Quis autem negare audeat, vnam esse diuinitatem patris & filij & spiritus sancti, cum corpora fidelium (quæ membra sunt Christi) ipsa sunt templum spiritus sancti?

Spiritus sanctus æqualis est Deo patri & filio.

CAPVT IX.

Trinitas est itaque vnus solus creator omnium rerum Deus: Trinitas est vnius sõlus immensus naturaliter Deus. Ad huius imaginem Trinitatis homo factus agnoscitur, in cuius nomine baptizatus, denuo renouatur. Baptizari autem gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti, Saluator noster edocuit: vt sicut Trinitatis opere initium conditionis accepimus, sic in nomine Trinitatis, diuinæ adoptionis gratia frui meremur. Vnus est ergo verus Deus pater & filius & spiritus sanctus, qui omnipotentissima bonitate creat homines, & gratuita miseratione iustificat peccatores. Prater hunc vnum Deum verum, nullus est Deus, quia dum dicit, Videte, quia ego sum Deus, & non est alius prater me: docet nos & admonet, graue esse peccatum, si quis extra vnum Deum alium credat. Alium sine dubio credit, quisquis in patre & filio & spiritu sancto diuersitatẽ diuinitatis existimat: Cum ille Deus, qui sõlus habet veram diuinitatem, colendi alterius

Conclusio de trinitate

Matt. vlt. d

In tribus personis nõ est diuersitas diuinæ naturæ.

Deut. 32.

alterius Dei nullatenus tribuat facultatem. Nec sacramento redemptionis sic aliquatenus nominandus, quisquis ab vnius veri Dei natura inuenitur extraneus. Mysterium autem redemptionis humanæ nulla ratione perficitur, si in baptismo vel filij vel spiritus sancti vocabulum subtrahitur.

CAPVT X.

Proinde, quoniam epistolaris modus sermonem nostræ disputationis non permittit extendi: dilectionis tuæ primordia, non sunt lectionis prolixitate fatiganda, sed breuitate potius excitanda. Vt dum breue opus delectabiliter legis, ad prolixam lectionem ardentius inflammeris. Pauca quæ dicturus sum, intentè lege, prudenter intellige, & indubitanter tene: ex quibus valeas in assertione à falsis vera discernere, & Christianam fidem, ipsius illuminatoris nostri inuamine retinere.

Excusatio breuitatis.

CAPVT XI.

Vnus Deus est sancta Trinitas, pater & filius & spiritus sanctus. Vna est patris & filij & spiritus sancti natura: sed non vna persona. Proinde, vt retenta veritate, possis refellere, vel certe respuere falsitatem, si quẽ videris, ita patris & filij & spiritus sancti vnam confiteri naturam, vt velit vnam asserere personã: noli Christianum Catholicum putare, sed hæreticum Sabellianum agnosce.

Primo Sabellianorũ.

CAPVT XII.

Si quem vero audieris, ita tres personas, patris & filij & spiritus sancti dicere, vt velit tres naturas istarũ trium personarum asserere: Arrianum hæreticum sine dubitatione intellige. Verum est enim quod Sabelliani de natura patris & filij & spiritus sancti credunt: sed falsum est, quod tres personas esse non credunt. Verum

Secũdo Arrianorum.

est etiam, quod Arriani tres personas patris & filij & spiritus sancti dicunt: sed falsum est, quod istarum trium personarum tres naturas persuadere contendunt. Peruerse itaque Arriani naturam Trinitatis diuidunt, & personas Sabelliani confundunt: cùm ita sit vna natura patris & filij & spiritus sancti, vt non vna persona, quia alia est persona patris, alia filij, alia spiritus sancti.

CAPVT XIII.

Tertio Macedonianorum.

SI quem vero videris, patris quidem & filij vnam confiteri naturam, sed spiritus sancti alteram prædicare substantiam, vt æqualem quidem dicat patri filium, & solum minorem asserat spiritum sanctum: iste non tenet catholicæ fidei veritatem, sed Macedonianæ perfidiæ sectatur errorem. Proinde quia non est Catholicus Christianus, sed Macedonianus hæreticus est, ab omnibus est fidelibus respuendus.

CAPVT XIIII.

De veritate humanæ naturæ in Christo.

NVnc pauca de mysterio dominicæ incarnationis aduerte. Christus enim Dei filius, qui seipsum veritatem profitetur, sicut verus est Deus, sic verus est homo. In quo sicut est plenitudo diuinæ naturæ, ita est & plenitudo humanæ substantiæ. Inest enim illi naturalis veritas diuinitatis, naturalis veritas animæ rationalis, & naturalis veritas carnis. Ac per hoc naturalis diuinitas communis est illi cum patre: Naturalis vero humanitas communis est illi cum virgine matre.

CAPVT XV.

Hæresis Manichæorum.

SI quis ergo sic in Christo veram diuinitatem prædicat, vt eius veram carnem negare contendat: non est Christianus Catholicus, sed hæreticus Manichæus. Cùm ipse Christus discipulis dubitantibus diceret,

Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Luc. 24

CAPVT XVI.

Error Photinianorũ.

RVrsum si quis in Christo sic veritatem prædicat animæ & carnis, vt veritatem in eo nolit accipere deitatis, id est, qui sic dicit Christum hominem, vt Deum neget: non est Christianus Catholicus, sed Photinianus hæreticus. Christus enim quemadmodũ secundum veram diuinitatem Deus creator est hominum: ita secundum veram carnem mediator est Dei & hominum. Mediator enim nullatenus esset, si vel cum patre diuinitatis naturam, vel cum hominibus cõmunem carnis & animæ substantiam non haberet. In eo autem verus mediator est hominum homo Christus Iesus, in quo & de patre formã Dei (per quã saluaret) naturaliter habuit, & ex virgine formam serui (quam in nobis saluaret) accepit. Nunquam autem homo à Deo gratiam salutis acciperet, si in vna persona Christi diuinæ humanæq; naturæ communio non maneret.

CAPVT XVII.

Duæ naturæ, in vna Christi mediatoris persona.

VEritas ergo Christi sicut habet veritatem naturalem diuinitatis ex patre, sic habet naturalem veritatem humanitatis ex virgine. Deus enim vnigenitus dignatus est in vtero virginis fieri humanæ carnis animæq; susceptor: vt esset humanæ carnis animæq; saluator. Ipse vnus, in quo est gemina, inseparabilis, inconsciſſibilisq; natura: & vtriusque naturæ vna persona. In quo alij duo rursus hæretici, sibimet contraria sentientes, diuersos errores instituisse cognoscũtur Nestorius & Eutyches. Nestorius quippe, qui duas in Christo cognouit esse naturas, conatus est duas prædicare personas, & ita cor habens falsitatis obscuritate cæcatum, fidei Christianæ non dubitauit, suæ perfidiæ sociare mendacium. Fides enim sicut in Christo

Nestorius. Eutyches.

duas naturas veraciter prædicat, sic duas in eo personas omnino denegat. Eutyches vero recte credens vnam in Christo personam, peruerse visus est vnam in eo prædicare naturam, cum vera fides simul in Christo sic proprietatem naturæ vtriusque cognoscat, vt vnam personam diuinitatis atque humanitatis intelligat.

CAPVT XVIII.

Ex principio euangelistæ cõuincuntur Hæretici.

VNus quippe Christus est, qui in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Qui etiam verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Hinc Sabellianus vincitur, quia in eo, quod verbum erat apud Deum, ostenditur altera patris, altera filij esse persona. Hinc etiam Arrianus superatur, quia in eo, quod Deus erat verbum; ostenditur vna esse patris filijq; natura. Ad ostendendam proprietatem personæ, valet, quod solus filius verbum dicitur. Ad ostendendam huius naturæ communionem pertinet, quod sicut Deus pater dicitur, etiã filius Deus nuncupatur. Hinc etiam & Manichæus simul confunditur & Photinus, in eo quod dicitur: Et verbum caro factum est. In nomine quippe verbi, diuinitas vera cognoscitur: & in nomine carnis, vera humanitas inuenitur: Vt Christus filius Dei, & verus Deus & verus homo, in vtriusque nominis naturali veritate cognoscatur. Ac sic nec Manichæus in eo falsam prædicare audeat carnem, nec Photinus ei naturalem valeat adimere deitatem.

CAPVT XIX.

Nestorius & Eutyches ex Apostolo refelluntur

NEstorius quippe & Eutyches, Apostolicis conuincuntur eloquijs: Ille, vt agnoscat vnam Christi geminari personam non posse: iste, vt nouerit, Christi geminam confundi non posse naturam. Ipse quippe vnus est Christus, de quo ipse (quod iam superius positũ est) dicit

dicit Apostolus: Quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Vbi & vnam Christi personam, & geminam naturam plenus spiritu sancto demonstrauit: dicens quippe, Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus in secula, sicut Dei & carnis nomine, veritatem naturæ vtriusque indubitanter ostendit: sic in vno Christi nomine vnam personam diuinitatis edocuit. Christus enim, qui est ex patribus secundum carnem, Ipse est super omnia Deus benedictus in secula. Non confunditur natura, quam Dei filius habet ex patre, cum ea natura quam idem Deus sumpsit ex virgine. Sed nec habuit Christus duas aliquãdo personas, quia idem Deus vnigenitus, & secundum diuinitatem natus est de patre, & secundum carnem processit ex virgine. Et quia verbum Deus, natus est de Deo, idem verbum caro factum tanquam sponsus processit de thalamo suo: Ipse vnus, qui seruata vtriusque proprietate naturæ, & crucifixus est ex infirmitate, & viuit ex virtute Dei. Rom. 9.

Inconfusæ manserunt duę in vno Christo substantiæ.

CAPVT XX.

Conclusio libri, exhortãs ad scripta sanctorum.

HÆc tibi Chariſſime fili, pro tuo ſancto deſyderio & dilectione traſmiſi, ex quibus tibi quidem præbeatur inſtructionis guſtus, & ex hoc guſtu creſcat in te prolixioris lectionis affectus: vt tanto magis poſſis Deo adiuuante proficere, quãto ſtudioſius cœperis ſanctorum patrum relicta requirere, inuenta frequentius atque attentius recenſere. Vnde tibi, Deo adiuuante, gratia ſcientiæ plenioris accedat, qua poſſis non ſolum veram retinere fidem, verum etiam hæreticorum mortiferam conuincere falſitatem, credens & firmiter retinens, vnam naturam & tres perſonas in Trinitate Deo: & vnam perſonam duaſq; naturas in vnigenito Dei filio, domino noſtro, Ieſu Chriſto.

EPISTOLA FERRANDI DIACONI AD D. FVLGENtium Episcopum, De quinque quæstionibus.

DOMINO beatissimo & cum omni veneratione inspiciẽdo, sancto Patri Fulgentio, Ferrandus Diaconus in domino salutem. Sæpe multum volui effectum interrogare discendi: sed absentem magistrum frequentibus epistolis compellare, portitorum raritas ex itineris longinquitate prohibuit. Vnde nunc beneficio præsentis occasionis admonitus, in vnum congessi quæ potui, & responsione vestra melius dilatanda breuiter quæro, rogans, obsecransq; Christum, à quo intus audis, quod doceas foris, vt veraciter dicas mihi: Vtrum Trinitas indisseparabilis propter vnam eandemq; naturam, operationem atque voluntatem, dici debeat separabiles habere personas, an etiam in personis sit omnino inseparabilis prædicanda. Vel vtrum Deus Dei filius sicut dicitur natus, passus, mortuus, crucifixus: ita eius diuinitatem confirmare nos oporteat natam, passam, mortuam, crucifixam, quamuis siue Deus, siue diuinitas nominetur, sola caro intelligatur mutabilis atque passibilis, secundum quam Deus aut diuinitas pati potuit, quod in sua natura non potuit. Tertiò adhuc requiro, vtrum anima Christi susceptricis deitatis plenã habet omnino notitiam, & quemadmodum seinuicem norũt pater & filius & spiritus sanctus, ita idem filius semetipsum per id quod homo est in eo quod Deus nouerit, ex vtraque atq; in vtraque substantia totum capiens patrem. An fortasse sicut oculis corporalibus Deum spiritum minime videt, ne non homini dignitas addita, sed natura credatur penitus cõmutata: sic rationalis animæ quamuis pio intellectu & corde mundissimo non videri neq; comprehendi omnem diuinitatis essentiam, ne quælibet creatura inueniatur capere creatorem. Patere me obsecro iterum quærere: volo enim simul plura proponere, quia non est vbi sigillatim de singulis percontemur. Vnum regnũ patris & filij & spiritus sancti credimus & fatemur, simul eos dominari creaturis omnibus sentientes. Quare ergo in orationibus sacerdotum per Iesum filium dominũ nostrum, qui tecũ viuit & regnat in vnitate spiritus sancti, per vniuersas penè Aphricæ regiones Catholica dicere consueuit Ecclesia? Tanquã solus filius cum patre possideat regnũ in vnitate scilicet spiritus sancti, aut regnãtes adunare non simul regnare spiritus sanctus intimetur. Responde ad hæc rogo celeriter, & inculto eloquio de rebus ignotis consuleutem suauissimo melle cælestis pasce sermonis. Illud etiam diligenti expositione dilucidans, quid sit quod Lucas Euangelista cœnam domini narraturus, prius eum dicit calicẽ accepisse, & discipulis diuidendum inter se continuo tradidisse, & tum deinde accepto pane dixisse: Hoc est corpus meum: & accepto similiter postquã cœnauit calice tunc dixisse: Hic calix nouũ testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis funditur. Nunquid vnus calix secũdo est datus, an alius prius, alius postea? Et si ita est: ad cuius rei pertinet sacramentum ille, de quo maximè cæteri qui scripserunt Euangelia tacuerunt? Noli quæso differre responsum, nec paratum animum longa expectatione suspendas. Occupationum quippè vestrarum debemus mereri vel partem. Rogo etiam vt librum de regula veræ fidei relegendum nobis iubeas destinare, & Epistolam ad Ioannem Tharsensem Episcopum, vbi de malefico quodam iudici non tradendo memini plenissimè disputatum. Codices duos

Prima quæstio.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Hic liber de Regula veræ fidei est D. Fulgentij: qui inter opera D. Augusti no fallo ascripta nominatur, De fide ad Petrum.

Universidad de Deusto Biblioteca

Inter opera D. Fulgẽtij oratio 4. ad Probam.

duos suscepi, & infanti Hermiæ propriũ reddidi. Iube etiam epistolam de Oratione quam ad me hic positum mandare dignatus es, iterum huc scriptam dirigere. Dum enim pro splendore sui à multis quæritur ad legendum, faciente nostra obliuione, apud quem remanserit ignoramus. Sanctos Presbyteros, Diacones, beatamq; congregationem supplex saluto. Deus noster paternitatem tuam ad ædificationem nostram conseruare dignetur incolumem, domine Pater. Amen.

RESPONSIO D. FVLGENTII EPISCOPI DE EISDEM Quæstionibus.

EPISTOLA *tua sancte frater & Condiacone Ferrande, lætificauit cordis mei simul & excitauit affectum, vt & certus de tua salute gauderem, & intentus quod quæris inquirerem, ab illo vtique cui & debetur gratiarum actio, & à quo est vera salubrium rerum expectanda ac postulanda cognitio: vt idem qui prospero auditu gaudium donat, etiam infusione gratiæ spiritualis intelligentiam tribuat: & sicut ipse ad inquirendum se accendit studium, ita pulsantibus ad se largiatur ingressum. Tunc enim in gaudium domini poterimus intrare, si nos hic dignatus fuerit in illud magnum pietatis sacramentum dono gratiæ spiritualis inducere, & ad euitandum vitæ huius defectum, qui nobis subrepit infirmis, panem nobis ipse tribuat intelligentiæ spiritualis, nec nos permittat veternosæ corruptioni exterioris hominis subiici, sed ad studium sanctæ cognitionis & operis interiorem nostrum de die in diem faciat cælesti*

cælesti munere renouari. Dictæ tuæ igitur epistolæ iam finem ponamus, vt quod dominus donauerit, quæstionibus singulis respondere possimus.

QVÆSTIO PRIMA.

EXigis namq;, vt veraciter dicam tibi, vtrum Trinitas inseparabilis propter vnam eandemq; naturam, operationem ac voluntatem dici debeat * separabiliter habere personas, an etiam in personis sit omnino inseparabilis prædicanda. Hæc esse verba primæ quæstionis proculdubio recognoscis.

* separabiles.

RESPONSIO.

VBi nobis illud est principaliter intuendum, quia Trinitas inseparabilis dici non debet, si possint illæ tres personæ aliquatenus separari. Hoc enim verè inseparabile dicitur, quod nullatenus separationem potest recipere. Nam quod non separatur, sed separari potest, inseparabile non est. Quod si quisquam separari posse putat in trinitate personas, non trinitas est inseparabilis dicenda, sed vnitas. Quippe in personis trinitas constat, in natura vnitas, sed nescio vtrum nostra possit assertio veritate fulciri, quando sic inseparabilẽ naturam dicimus, vt eiusdem naturæ personas separabiles asseramus. Cum vtique vna natura quæ non potest in personis diuidi, ipsa inseparabilitate sua, nec ipsa ostendat separari personas posse. Nam separationẽ naturæ absq; separatione personæ, vt non longius eamus, in ipsis hominibus inuenimus. Carnem quippe humanam nemo dubitat ad naturam hominis pertinere, cuius tamẽ potest fieri separatio, si quodlibet membrum præcidatur à corpore, quæ tamen præcisio non in se potest separationem habere personæ. Neque enim cum manus aut pes à corpore præcidatur, cum eodem mẽbro etiam personæ homi-

hominis separatur, quamuis fiat quædam naturæ separatio, cuius pars præcisa inuenitur in membro. Sed sicut ille homo si viuit, post quam caruerit membro, naturalis diffinitionis plenitudine non carebit qua dicitur homo animal rationale, mortale, sic habens naturæ diffinitionem veram: necesse est vt propriam quoque habeat cum natura personam, quamuis partem naturæ, id est, partem carnis à se habeat separatam. Cùm verò separantur homines personis, natura quoque sine dubio separantur: Quoniã non separatur à persona, cùm manus aut pes separatur à corpore. Separatur enim in personarum separatione natura, cum homo separatur ab homine. Inseparabilis igitur naturæ humanitas, non potest separabiles habere personas. Proinde considerare debemus illam Trinitatis vnam eandemq; naturam ita totum implere, vt non sit aliquid, vbi non sit. Inde est enim quod & vbique tota est, & loco nullatenus continetur, tota scilicet in spiritibus, & corporibus singulis, & tota simul in omnibus creaturis. Nunc enim non de gratia loquimur qua se Deus gratuito munere misericordiæ suæ saluandis hominibus præbet, sed de natura qua Deus omnia quæ fecit & implet, & con-
Hier. 23. tinet, secundum quam dicit: Cælum & terram ego impleo: & secundum quam ipsi Deo beatus Dauid di-
Psal. 138. cit: Quò ibo à spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: & si descendero in infernum, ades. Et de Christo qui est sapientia Dei, dici-
Sapien. 8. tur: Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. De spiritu quoque sancto scriptura
Sapien. 1. diuinitus inspirata sic loquitur: Quia spiritus domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. Inuenitur autem hic vocem cordis significasse non corporis, vocem scilicet non corporeæ locutionis, sed intimæ cogitationis. Vocem illam quam

quam solus Deus audit clamantem, quando in occulto solus aspicit cogitantem. Ideo sequitur dicens: Propter hoc qui loquitur iniqua non potest latere Deum, sed nec præterit illam corripiẽs iudicium suum. Ostendens autem vbi sit hæc iniqua locutio, vt agnoscatur conscientiæ magis esse quàm linguæ, hoc sancta scriptura subsequenter aperuit dicens: In cogitationibus enim impij, interrogatio erit. Hæc ideo dixi propter quod de spiritu solo dicitur, quia quod continet omnia scientiam habere vocis dicitur, vt esse ex homine non dicatur. Spiritus autem sanctus in Deo est vnitate naturæ, ex Deo est etiam proprietate personæ. Per illam ergo vnitatem naturæ, per quam ea quæ Dei sunt nemo cognouit, nisi spiritus Dei, etiam illud intelligatur quod filius dicit: Nemo nouit filium nisi pater, Matth. 11. neque patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Per eandem naturæ inseparabilis vnitatem & se in patre, & in se patrem filius esse testatur. Nam & cùm discipulis dixisset, si me cognouissetis, & patrem meum vtique cognouissetis: & cum Philippus patrem sibi postularet ostendi, sic dominus ipse respondit: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis Ioan. 14. me? Philippe, qui videt me, videt & patrem. Quomodo tu dicis, ostende nobis patrem? Non credis quia ego in patre, & pater in me est? verba quæ ego loquor vobis, non à me ipso loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non credis quia ego in patre & pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. Ex eo igitur quod inseparabiles sunt pater & filius & spiritus sanctus, consequens est vt inseparabiliter operentur. Quod si Trinitas illa separabiles possit habere personas: essent & aliqua separata opera Trinitatis. Nam si attẽdamus illud quod scriptura sancta dicit de Sapien. 7. d sapientia, splendor est enim lucis æternæ, sicut splendorẽ

luci

Hebræ. 1.

luci videmus inseparabiliter inhærere, sic agnoscamus filium à patre separari non posse. Ipsum enim Apostolica prædicat auctoritas splendorem gloriæ, & figuram substantiæ Dei, quod sequens beatus Ambrosius in

Hymnus D. Ambros.

hymno matutinario, splendorem paternæ gloriæ, filium esse pronuntiat. Illo quoq; exemplo inseparabiles personas patris, & filij, & spiritus sancti conuenit vt credamus, quod ipse vnigenitus Deus sic in vnitate personæ suæ naturam diuinam humanamq; cõiunxit atq; vniuit, vt à se omninò nõ possent separari. In vna enim persona vnigeniti Dei, qui tanquam sponsus processit de thalamo suo, inseparabilis permanet vtriusque naturæ vnitio. Nec ideo debet aliquis æstimare vtrang; ab inuicem diuelli potuisse naturã, quia per susceptionem mortis, & caro exanimis in sepulchro iacuit, & anima in infernum carne moriente descendit. Quandoquidem etiam cum interueniente morte anima discessisset à carne, inseparabilis in Christo vtrag; natura permansit, quia nec in inferno animam suam, nec in sepulchro carnem suam diuinitas immensa deseruit. In tantum autem inseparabilis est in Christo vtrag; natura, vt ex hoc Eutyches in errorem caderet, & vnam

Eutyches hæreticus.

videns in Christo personam, vnam quoque in eo naturam impiè prædicaret, volens confundere, quod vidit separari non posse. Sic autem iste in duabus naturis quasi inseparabiliter vnius esse personæ cognouit, crimen impietatis incurrit: sicut Sabellius in tribus personis propter vnitatẽ naturæ cæcitate mortiferæ, infidelitatis errauit, non intelligens personas patris & filij & spiritus sancti sine confusione subsistere, quas audiebat vnitate naturali prorsus inseparabiles permanere. Sed vtrunque trinitas inseparabilis vicit: vterque à vulua Ecclesiæ matris alienatus abscessit, vterque à ventre pyssimæ genitricis errauit, & semetipsum suosq; com-

Sabellius hæreticus.

plices

plices barathro impietatis immersit. Vera quippe in trinitate Deo non solum naturæ vnitas, verum etiam inconfusa atque inseparabilis manet personarum proprietas, & nihilominus in vna Christi persona duarum permanet & inconfusibilis atque inseparabilis plena veritas naturarum. Quod si in Christo propter vnitatem personæ inseparabilis inuenitur vnitio diuinæ humanæq; naturæ, nec sine initio æternitas, nec sine mutabilitate simplicitas, nec sine termino immensitas inuenitur naturaliter esse communis, quia in vno eodemq; Christo & vera est diuina natura, qua naturaliter est sine initio Deus natus de patre, & vera humana natura, qua natus est de matre. Propter ipsam denique

D. Augustin. Lib. 1. De trinitate cap. 8.

inseparabilitatem sufficienter aliquando nominatur vel pater solus, vel filius solus, adimpleturus nos lætitia cum vultu suo, nec inde separatur vtriusque spiritus, id est, patris & filij spiritus. Qui spiritus sanctus propriè dicitur spiritus veritatis, quem hic mundus accipere non potest. Hoc est enim plenum gaudiũ nostrum, quo amplius non est fruitrinitate Deo, ad cuius imaginem facti sumus. Propter hoc aliquando ita loquimur de spiritu sancto, tanquam solus ipse sufficiat ad beatitudinem nostram, & ideo solus sufficit, quia separari à patre & filio non potest, sicut pater solus sufficit, quia separari à filio & spiritu sancto non potest: & filius ideo sufficit solus, quia separari à patre & spiritu sancto non potest. Hæc est beati Augustini secundum

D. Augustin.

Catholicæ fidei veritatem de patris & filij & spiritus sancti inseparabilitate sententia: quam ne quisquam secundum solam naturam & non etiam secũdum personas acciperet, planius hoc & manifestius paulo post in eodem libro curauit ostendere, dicẽs: Sed propter in-

In fine c. 9.

sinuationem trinitatis, personis etiam singulis nominatis, dicuntur quædam separatim, non tamen alijs sepa-

ratis intelliguntur, propter eiusdem trinitatis vnitatem, vnamq3 substantiam atq3 deitatem patris & filij & spiritus sancti. Alio quoque memorati libri loco pleniſſime inculcans cum de filio dixiſſet, Ex hoc enim rogat, quo minor est patre, quo verò æqualis est, exaudit cum patre, inseparabilitatem personarum ostẽdens ait: Vnde se ab eo quod dixit, Ipse enim pater amat vos, vtique ipse non separat, sed secundum ea facit intelligi, quæ supra commemoraui satisq3 insinuaui, plerumque ita nominari vnamquamq3 in trinitate personam, vt & aliæ intelligantur. Sic itaque dictum est, Ipse enim pater amat vos, vt consequenter intelligatur & filius & spiritus sanctus. Itẽ post aliquãta idem sanctus Augustinus ait: Iam enim ostendimus in hac trinitate permultos locutionum diuinarum modos etiã de singulis dici quod omnium est, propter inseparabilẽ operationem vnius eiusdemq3 substantiæ. In quintodecimo libro de trinitate, cũ de hac imagine quæ in nobis est, aliquas lineas præberet ad intelligentiam trinitatis, inter alia sic ait: Verũ in illa summa trinitate quæ incorporaliter rebus omnibus antecellit, tãta est inseparabilitas, vt cum trinitas hominũ non posset dici vnus homo, illa vnus Deus & dicatur & sit, nec in vno Deo sit illa trinitas, sed vnus Deus. Nec rursus quẽadmodum ista imago quæ est homo habẽs illa tria persona vna est, ita est & illa trinitas, sed tres personæ sunt, pater filij, & filius patris, & spiritus patris & filij. Itẽ post aliqua sic ait: Nõ tamen sicut in imagine ista trinitatis non hæc tria vnus homo, sed vnius hominis sunt, ita in ipsa summa trinitate, cuius & imago est vnius Dei sunt illa tria, sed vnus Deus est, & tres sunt illæ nõ vna persona. Hæc dicens B. Augustinus & inseparabilitatẽ earundẽ triũ personarũ relatione ipsius trinitatis intelligens cum admiratione sequitur, dicens: Quod sane mirabiliter ineffabile

Sub finem cap. 10.

Ioan. 16.

Ad mediũ cap. 12.

Cap. 23.

Ibidem.

Ibidem.

est, vel ineffabiliter mirabile, cum sit vna persona hæc imago trinitatis, ipsa vero summa trinitas tres personæ sunt. Inseparabilior est illa trinitas personarũ triũ, quàm hæc vnius. Ista sicut nõ dubito quæ de primo atq3 nouissimo libro de trinitate verba B. Augustini posuimus omnino sufficiant, præsertim ingenio atq3 officio tuo quo eius dicta sic acutissime ac frequentissime legis, vt in eis plurima possis similia reperire, quæ non solũ in natura, sed etiã in personis inseparabilitatẽ ostendunt. Dicũtur ergo sigillatim tres illæ personæ, vt agnoscãtur, non vt separẽtur. In quibus sic nulla est separatio, sicut in eis nulla potest inesse cõfusio. Neq3 enim illæ tres personæ, quia nõ possunt confundi, propterea debẽt separabiles æstimari, cùm omnino inseparabiles inueniãtur, et in eo quod sunt, & in eo quod faciũt. Nec quisquã separabiles audeat illas tres personas asserere, cum nullã ante aliam, nullã post aliã, nullã sine alia vel existentem vel operantem valeat inuenire. Vbi sicut naturaliter nulla potest esse separabilitas operis, ita naturaliter manet incommutabilis vnitas volũtatis. Attendamus autẽ quonã modo fuerit vel homo vel angelus separatus à Deo: vt possimus indubitãter inseparabilem intelligere trinitatẽ. Nẽpe scriptura sancta dicit, quia peruersæ cogitationes separant à Deo, & quia in malioluã animã non intrabit sapiẽtia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, & quia spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictũ, & aufert se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Nam & Esaias propheta testatur, iniquitates inter Deum & homines separare. Sancta autem trinitas ipse est Deus fidelis, in quo non est iniquitas. Venit autem filius Dei vt peccata tolleret, & peccatum in eo non est, & est peccatum iniquitas. Tollens autem iniquitatem, tribuit charitatem. Abstulit ergo per quod à Deo separabamur, & donauit per quod

Sapien. 1.

Esa. 59.

1. Ioan. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sanctæ trinitati inseparabiliter iungeremur. Ideo confidenter clamat Apostolus, quia neque mors, neq; vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudines, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu domino nostro. Rom.8.

Si ergo trinitas inconfusa charitate inseparabiliter sibi facit adhærere animas nostras, quia qui adhæret Deo vnus spiritus est, quomodo ipsa trinitas separabiles potest habere personas, cum ipsa trinitas vnus sit Deus: ac per hoc vna sit charitas, quia Deus est? Charitas autem diuisionem nunquam recipit, quæ de multis cordibus multisq; animabus in se ipsa vnum cor vnamq; animam facit. 1.Cor.6.d

QVÆSTIO II.

SEcunda deinde interrogatio tua hoc inuenitur tenore subiuncta: Vtrum Dei filius sicut dicitur natus, passus, mortuus, crucifixus, ita eius diuinitatem confirmare nos oporteat natam, passam, mortuã, crucifixam, quamuis siue Deus, siue diuinitas nominetur, sola caro intelligatur mutabilis atque passibilis, secũdum quam Deus aut diuinitas potuit, quod in sua natura non potuit.

RESPONSIO.

HIs tuis verbis breuiter respondeo, quicquid horum dicatur, nihil præiudicare fidei, qua veraciter Ecclesia Catholica credit & prædicat diuinitatem filij Dei impassibilem atque incommutabilem naturaliter permanere. Beatus quippe Apostolus ait: Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidẽ scandalum, Gentibus autem stultitiam. Ipsis autem vocatis Iudæis & Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapiẽtiam. Ecce Christum Dei virtutem & Dei sapientiam dicit Apostolus crucifixum. Alio autẽ loco simul virtu- 1.Cor.1.

virtutem diuinitatemq; coniungens ait, Sempiterna quoq; virtus eius & diuinitas. Si ergo virtus Christi secundum carnem crucifixa dicitur, cur eodem modo etiam crucifixa secundum carnem diuinitas non dicatur? Quando enim additur secundum carnem, ostenditur vtiq; non eius diuinitatem passioni subiacuisse, sed carnem. Quod etiam apostolica videmus authoritate monstratum. Nam cum B. Paulus Apostolus dixerit, Christum crucifixum Dei virtutẽ & Dei sapientiam, ne ipsa virtus & sapientia putaretur naturaliter esse passibilis, curauit alio loco crucifixæ virtutis & salubriter aperire mysterium, dicens de Christo, Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. Scimus autem Christum Dei filium prophetico eloquio Deum fortem veraciter nominari, Esaia dicente: Puer natus est nobis, filius datus est nobis, & factus est principatus super humeros eius, et vocabitur nomẽ eius, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Nõne istius Dei fortis vno loco Apostolus sempiternam virtutem diuinitatemq; commendat? Neq; enim vera fides ita sempiternã virtutẽ ac diuinitatẽ patris prædicat, vt filij aut spiritus sancti sempiternam virtutem diuinitatemq; non credat: cùm vna sit naturaliter sempiterna virtus ac diuinitas patris & filij & spiritus sancti. Deus autem fortis Christus. Ideo autem veraciter Deus, quia diuinitas: sicut ideo veraciter fortis, quia virtus. Vera itaq; fides, quæ Christum Deum fortẽ veraciter credit & prædicat, & Christum crucifixum Dei virtutem, Deiq; sapientiam nouit ab Apostolo prædicari, sicut secũdum carnem crucifixam virtutem fiducialiter nouit & credit: ita secundũ carnem crucifixam diuinitatem confiteri nõ abnuit. Christus enim Deus fortis, sic est Deus, vt ipse sit diuinitas sua: quemadmodum sic est fortis, vt ipse sit virtus sua. Rom.1. 1.Cor.1. 2.Cor.13. Esa.9.

Nosti hoc quod dico in libris de trinitate à beato Augustino plenissimè disputatũ, in quibus ostendit vnamquamque in trinitate personam, in his duntaxat nominibus: quibus à se non translatè, sed propriè dicitur ipsam sibi esse quod habere naturaliter prædicatur. Dicimus enim siue patrem siue filium siue spiritum sanctum esse Deum viuum, magnum, sapientem, fortem, bonum. In his omnibus quæ ad se vnaquæq; dicitur in trinitate persona, quia Deus diuinitate Deus est, quia magnus, magnitudine magnus est, sapiens, sapientia sapiens est, fortis, virtute fortis est, bonus bonitate bonus est. Sic est vtique Deus, vt ipse sit diuinitas ipsa, sic est magnus, vt ipse sit magnitudo sua, sic est sapiẽs, vt ipse sit sapientia sua, sic est fortis, vt ipse sit virtus sua, sic etiam bonus, vt ipse sit bonitas sua. Quod cum in suprà memoratis libris idẽ sanctus Augustinus frequenter insinuet, quendam locum de libro eius quinto huic opusculo inserere curaui. Cum enim de Deo & de eius magnitudine loqueretur, inter alia sic ait: Ea igitur magnitudine magnus est, qua ipse est eadem magnitudo. Et ideo sicut non dicimus tres essentias, sic nec tres magnitudines. Hoc est enim Deo esse, quod est magnum esse. Eadem causa nec magnos tres dicimus, sed vnum magnum, quia non participatione magnitudinis Deus magnus est, sed seipso magno magnus est, quia ipse sua est magnitudo. Hoc & de bonitate, & de æternitate, & de omnipotẽtia Dei dictum sit, omnibúsque omnino prædicamentis, quæ de Deo possunt pronunciari, quod ad seipsum dicitur, non translatè ac per similitudinem, sed propriè, si tamen de illo propriè aliquid ore hominis dici potest. In libro quoque octauo eandem promens de illa naturali trinitatis simplicitate sententiam, inter alia sic ait: Sic Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus, & bonus pater, bonus filius, bonus

Lib. 5. de Trinitate cap. 10.

Cap. 1.

bonus spiritus sanctus, & omnipotens pater, omnipotẽs filius, omnipotens spiritus sanctus: Nec tamen tres dij, aut tres boni, aut tres omnipotentes, sed vnus Deus bonus & omnipotens, ipsa trinitas, & quicquid aliud non ad inuicem relatiue, sed ad se singuli dicuntur. Hoc enim secundum essentiam dicuntur, quia hoc est ibi esse quod magnum esse, quod bonum, quod sapientem esse, & quicquid aliud ad se vnaquæq; ibi persona vel ipsa trinitas dicitur. Claret nempe ex his beati Augustini verbis hoc esse Catholicæ veritatis, vt cum in Deo diuinitatem, magnitudinem, bonitatem, virtutem, & quælibet alia in his quæ ad se proprie dicitur nominamus: Nõ istis diuersis nominibus quædã diuersa, sicut in homine qui subiacet qualitati, sed vnũ illud quod est essentia vel natura certissime nouerimus. Inde est enim quod ipse beatus Augustinus dicit in libro quinto de trinitate, intelligendũ sine qualitate bonũ, sine quantitate magnũ, quia incõmutabilitas simplicis atq; omnipotentis essentiæ nullis potest accidẽtibus subiacere, vbi eadẽ est diuinitas quæ æternitas & maiestas, eadẽ magnitudo quæ virtus & bonitas. Ex hac ergo regula veritatis quicquid de maiestate, de æternitate, de virtute Christi secundum carnẽ veraciter dici cognoscimus, de diuinitate quoq; eius dici veraciter non negemus. Ipse quippe beatus Augustinus in primo libro de trinitate ostendẽs Deũ filiũ secundũ diuinitatẽ hoc habere quod est, & hoc esse quod habet, ita loquitur: Nõ enim sicut creatura, ita Deus filius ante incarnationẽ & ante assumptã creaturã vnigenitus, per quem facta sunt omnia, aliud est & aliud habet, sed hoc ipsum est quod est & quod habet. Quod illo loco manifestius dicitur: si quis ad capiendũ sit idoneus, vbi ait: Sicut habet pater vitam in semetipso, ita dedit filio vitã habere in semetipso. Neq; enim iã existenti, & vitã non habenti dedit

Cap. 10. 11

Circa mediũ cap. 12

vt haberet vitam in ſemetipſo cum eo ipſo quod eſt vita eſt. Hoc eſt ergo, dedit filio habere vitam in ſemetipſo, genuit filium incommutabilem vitam, quod eſt vita æterna. Idem beatus Auguſtinus in expoſitione Euangelij ſecundum Ioannem, cum de ipſo domini ſermone tractaret, ſic ait: Filius autem Dei non quaſi primo fuit ſine vita, & accepit vitam, ſi enim ſic illam acciperet, non eam haberet in ſemetipſo. Quid eſt enim in ſemetipſo? vt ipſe vita ipſa eſſet. & paulo poſt hæc in eodem ſermone confirmat dicens: Ait enim Apoſtolus, Fuiſtis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. In te ergo tenebræ, lux in Domino. Lux quare? Quia in participatione lucis illius lux es. Si autẽ à luce, qua illuminaris, receſſeris: ad tenebras tuas redis. Non ſic Chriſtus, non ſic verbum Dei, ſed quomodo? ſicut habet pater vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo: vt nõ participatione viuat, ſed incommutabiliter viuat, & omnino ipſe vita ſit. Et paulo poſt idẽ ſanctus doctor egregius Auguſtinus ait, Quod dicitur, dedit filio, tale eſt, ac ſi diceretur, genuit filium, generando enim dedit. Quomodo dedit vt eſſet, ſic dedit vt vita eſſet, ſic dedit, vt in ſemetipſo vita eſſet. Quid eſt, in ſemetipſo vita eſſet? Non aliunde vita indigeret, ſed ipſe eſſet plenitudo vitæ, vnde credentes alij viuerent, dum viuerent. Ex his igitur verbis præclari Antiſtitis Auguſtini remotis docemur ambagibus ſalua incommutabilitate, æternitate, atque impaſſibilitate diuinitatis filij Dei, quicquid de eius maieſtate, æternitate ac virtute ſecũdum ſuſceptionẽ carnis dicitur, incongruum non eſſe ſi eodem modo ſecundum carnem de eius diuinitate dicatur. Quod ergo à Dei filio ſuſceptum eſt ab eius diuinitate, ab eius maieſtate, ab eius virtute, ab eius æternitate probatur eſſe ſuſceptum. Quod vt ſanctorum patrum veridica demõſtraret

Tract. 22.

Epheſ. 5.

ret aſſertio, primum beatiſſimi Papæ Leonis Apoſtolicæ ſedis glorioſi Pontificis proferimus Epiſtolam, quam ſcribens ad Flauianum Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopum, in eo quod veram de incarnatione Domini expreſſit mirabiliter fidem, omnem hæreticæ prauitatis deſtruxit errorem. In illa namque Epiſtola idem glorioſus Antiſtes non minus Apoſtolicæ ſedis dignitate præcellens, hæc dicit: Salua igitur proprietate vtriuſq; naturæ, & in vnam coeunte perſonam ſuſcepta eſt à maieſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad reſoluendum noſtræ conditionis debitum, natura inuiolabilis naturæ eſt vnita paſſibili, vt quod noſtris remedijs congruebat, vnus atque idem mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus & mori poſſet ex vno, & mori non poſſet ex altero. Adhuc ſequitur memoratus Apoſtolicæ ſedis antiſtes, & dicit: In integra ergo veri hominis perfectaq; natura verus natus eſt Deus, totus in ſuis, totus in noſtris. Noſtra autem dicimus, quæ in nobis ab initio creator condidit, & quæ reparanda ſuſcepit. Cernis nempe quemadmodum ille Apoſtolicus doctor, qua fide dicit Deum ea quæ in nobis ab initio condidit reparanda ſuſcepiſſe, eadem fide dicat humilitatem à maieſtate, infirmitatem à virtute, mortalitatem ab æternitate ſuſceptam. Cùm verò maieſtas, virtus atque æternitas filij Dei dicitur, non aliud quàm eius diuinitas intimatur. Non ergo dubitemus quod diuinitas Chriſti ſuſceperit, quicquid Chriſti maieſtas, Chriſti virtus, æternitaſq; ſuſcepit. Hinc eſt quod in eadem Epiſtola non diſſimilis de vno ſentẽtia continetur, cùm idẽ beatiſſimus Romanæ Præſul eccleſiæ ſicut Deũ & hominem, ita diuinitatem & humanitatẽ manifeſtiſſima prædicatione cõfirmat. In eadẽ quippe Epiſtola dicit: Aſſumpta eſt de matre domini natura, nõ culpa.* Hæc in Domino Ieſu

Epiſtola eſt, vt nũc ſunt digeſtæ, decima.

Cap. 3.

Cap. 4.

* Nec

Christo ex vtero virginis genito, quia natiuitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo, & nullũ est in hac vnitate mendaciũ, dũ inuicẽ sunt & humilitas hominis & altitudo deitatis. Sicut enim deus nõ mutatur miseratione,

In eadem epist. 10. ad Fla. cap. 4.

ita homo nõ consumitur dignitate. Alio quoq; loco idem beatiss. Papa Leo diuinitatẽ carnis tectã velamine profitetur, dicens: Iã cum ad præcursoris sui Ioãnis baptismũ venit, ne lateret quod carnis velamine diuinitas tegeretur, vox patris de cælo intonans, dixit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Ibi cõtinuo

Matth. 3.

diuinitatẽ suam illã confidenter Deũ nũcupat, & illam carnem hominẽ indubitanter appellat, dicẽs: Quẽ itaq; sicut hominẽ diaboli tentat astutia, eidem sicut Deo angelica famulantur obsequia. Itẽ alio eiusdem Epistolæ

Ibidem.

loco dicit: Quãuis enim in domino Iesu Christo Dei & hominis vna persona sit, aliud tamen est vnde in vtroq; cõmunis est contumelia, aliud vnde cõmunis est gloria. De nostro enim illi est minor patre humanitas, de patre illi est æqualis cũ patre diuinitas, cuius essẽtiæ firmitatẽ sensibus cunctorũ fideliũ sic insinuat atq; inculcat, vt in hac fide vitã, profectumq; Ecclesiæ constare testetur catholicæ, quia catholica Ecclesia hac fide viuit ac proficit, vt nec sine vera diuinitate humanitas, nec sine vera credatur humanitate diuinitas. Hoc etiã beatæ memoriæ Papa Gelasius seruato tenore doctrinæ per viã veræ

S. Gelasius Papa.

fidei atq; apostolicæ confessionis, paribus incedit omninò vestigijs. In eo quippe libro, quẽ memoratus venerabilis conscripsit Antistes aduersus eos qui in Domino Iesu Christo duarũ naturarũ nolunt indiuisam credere veritatẽ, sed eas vnius naturæ professione confundunt, ipso tenore prædicationis apostolicæ custodito, duas naturas in Christo inconfusas atque inseparabiles esse cõfirmat dicens: Has easdem necessariũ est proferri sub vna eademq;

demq; persona sic indiscretas atque inseparabiles illas vnitione cõstare, vt permaneãt esse quod sunt. Et paulo post: Nunquid cũ tantummodo Deus dicitur, homo denegatur? Nũquid cùm humanitas dicitur, deitas inde remouetur? Nunquid cum filius hominis dicitur, non etiam filius Dei consequenter aduertitur? Nunquid cum verbum Dei dicitur, non simul intelligitur & caro quod factum est? Nunquid cum caro corpusq; eius depromitur, non etiam diuinitas indubitanter ostenditur? Item alio eiusdem libri loco de his qui vnã tãtum in Christo naturã nituntur asserere sic loquitur: Nam & cum dicunt vnã fuisse naturã incarnatam, volentes hoc modo velut ostẽdere singularẽ, nullatenus euadunt significationem duarũ. Dum enim dicitur vnam diuinitatis naturã fuisse incarnatam, remotis ambiguitatibus, altera erit quæ incarnata est, altera quæ incarnata perhibetur. Quoniam nõ eadẽ erit natura deitatis quæ incarnata est, quæ est natura carnis, quæ incarnata perhibetur, neq; à seipsa natura deitatis incarnata est, sed natura carnis incarnata cognoscitur. Sicut neq; ipsa natura carnis extitit deitate sublimis, quia & nõ aliundè diuinitas, quàm de vtero virginis matris incarnata processit. Et caro nõ nisi in iisdẽ visceribus sancto spiritu superueniente, & altissimi obumbrãte virtute, est vnita deitati. Itẽ paulo post ait: Quærãt ergo isti quas suæ demẽtiæ foueas quibus circũdantur euadãt, & palã se aut illorũ esse de numero fateãtur, qui verũ Christi corpus impugnãt, aut negare nõ audeant non nisi hac ratione verũ esse, sine qua verũ esse nõ posset, sicut & cũ eundem Deũ dicimus, vel secundũ Deũ loqui aut facere prædicamus: aliter verũ esse nõ posse, nisi verã illic diuinitatẽ, & in suæ proprietate substãtiæ permanentẽ deitatis fatemur esse naturã. Ambrosius in li. 1. de fide vno eodẽq; Cap. 1.

loco sicut Christũ Deũ & hominẽ, sic in eo diuinitatem

profi-

profitetur & carnem, dicens: Vnum Deum Prophetæ
Matth. 2. dicunt, Apostoli audiunt. Vnum Deum magi crediderunt, & aurum, thus & myrrham supplices ad Christi cunabula detulerũt: auro regem fatentes, & Deum thure venerantes. Thesaurus enim regni aurum: sacrificium Dei, thus: myrrha est sepulturæ. Quid igitur voluerunt sibi mystica munera inter abiecta præsepia, nisi vt intelligamus in Christo differentiam diuinitatis & carnis? Vt homo nascitur, vt Deus veneratur. Iacet in pannis, sed fulget in stellis. Cunæ nascentem indicant, stellæ dominantem. Caro est quæ inuoluitur, diuinitas cui ab angelis ministratur. Ita nec dignitas naturalis maiestatis amittitur, & assumptæ carnis veritas comprobatur. Hæc omnia quæ superius posita sunt, hac beatus Ambrosius conclusione firmauit dicens: Hæc
Ibidem. est fides nostra, sic se Deus agnosci voluit ab hominibus. Nempe beatus Ambrosius superiorem disputationem hac diffinitione concludens, ita vt hanc esse diceret fidem nostram, euidentissimè docuit, vt sicut Deum hominemq; dicimus, sic diuinitatem & carnem nullatenus dubitemus. In secundo quoque eiusdem operis libro
Cap. 4. hæc ait: Sileant igitur inanes de sermonibus quæstiones, quoniam regnum Dei, sicut scriptum est, nõ est in persuasione verbi, sed in ostensione virtutis. Sequitur adhuc idem sanctus Ambrosius dicens: Seruemus distinctionem diuinitatis & carnis. Vnus in vtroque loquitur Dei filius, quia in eodem vtraque natura est. Et
1. Cor. 2. Ibidem Ambr. infrà, Hic est qui descendit, hic quem pater sanctificauit & misit in mundum. Ex ipsa litera nos docet & sanctificationem non diuinitatem eguisse, sed carnem.
Ambr. Beatus quoque Augustinus in libro de fide, spe, & charitate, quem nosti à multis Enchiridion nuncupari, sic
Enchir. cap. 34. dicit: Quis enim congruentibus solum explicet verbis, quod verbum caro factum est, vt habitaret in nobis, vt cre-

derem⁹ vt crederemus in Dei patris omnipotentis vnicum filium natum de spiritu sancto & Virgine Maria? Ita quippe verbum caro factum est à diuinitate suscepta, non in carnem diuinitate mutata. Ecce beatus Augustinus ostendit diuinitatem susceptricem carnis, quam nihilominus susceptricem testatur & mortis. In libro
To. 2. Epist. 57. in fine quæst. 1. enim de præsentia Dei sic dicit: Per caput nostrum reconciliamur Deo, quia in illo est diuinitas vnigeniti, facta particeps mortalitatis nostræ, vt & nos participes eius immortalitatis essemus. Vbi continuo magnitudinem huius sacramenti commendans, hæc verba subiunxit: Hoc sacramentum longe est à cordibus sapien-
Ibidem. tium superborum, & ideo non Christianorum, ac per hoc non verè sapientium. His omnibus sanctorum patrum sententijs ostenditur quod dicitur de vnigenito Deo, etiam de eius diuinitate non incongruè prædicari. Scimus autem in hac assertione catholicæ veritatis, aut hæreticos pro peruersitate deditos, aut catholicos minus mysteriũ rectè credere credulitatis instructos, cum audiunt quod de Deo filio dicitur, de eius quoque diuinitate dici, & tamen vnam à nobis patris & filij & spiritus sancti diuinitatem nouerunt nihilominus prædicari. Aliquatenus promouendos, quod communio diuinitatis communionem faciat humanæ susceptionis, ac perindè ex carnis communione putetur in patre & filio & spiritu sancto communio humanæ natiuitatis, passionis, & mortis. Vt ergo nec illi malignè insidiẽtur, nec isti forsitan incautè fallantur, debent vtrique cogitare sic à nobis vnam trinitatis prædicari substantiam, vt tamen non dicamus vnam eiusdem trinitatis esse personam. Vnde sic totũ, quod ipsa natura est, commune tribus esse inuenitur personis, vt aliquid tamen inueniatur quod proprio vnaquæq; persona nascatur, quod tamẽ nec inueniatur separabile, nec possit esse cõmune.

mune. Nam proprium patri dicimus esse, quod genuit. Propriũ filij dicimus esse, quod sõlus de sõlo patre natus sit. Proprium etiã spiritus sancti, quod de patre filioq; procedit: In his verò propriis nulla est naturæ separatio, sed quædam personalis agnitio. Cum propria sõlius sit generatio patris, non ab ea tamẽ separatus est filius. Et cum propria sit natiuitas filij, non tamen est à patre gignẽte separabilis, quia natiuitas filij naturaliter vera non esset, nisi de patre genitus extitisset. Quamuis itaq; nascente filio pater genuerit, & gignente patre filius natus sit, non tamen aut cum patre genuit filius, aut cum filio natus est pater, licet de natura patris natus sit filius, & naturam filij de seipso genuerit pater. Quia sic est personarum illa proprietas inseparabilis, vt tamen nec generatio, nec natiuitas, duarum personarum possit esse communis. Quamuis nisi duæ personæ patris & filij naturaliter essent, & vna gignere, nec gigni altera potuisset. Quod si hoc in Deo patre & Deo filio hæretici recusare contẽdunt, humanæ generationis perspicuo aut instruãtur aut confundantur exẽplo. Nẽpe homo pater hominem filium præcedit tempore, quia ipse temporaliter cœpit esse. De quo filius non vtique temporaliter nasceretur, nisi patris natura temporis initio subderetur. Inde liquido apparet ideo Deum filium de Deo patre sine initio natum, quia ille pater de se filium genuit, qui sic esse non cœpit, sicut esse non desinet, & tamen cum homo pater natiuitatem filij præcessisse naturaliter agnoscatur, in eadem generatione filij, nec filius à patre, nec pater à filio separantur, quia patre gignẽte filius gignit. Et cum generatio illa causa sit natiuitatis, nec à generatione possit separari natiuitas, sic illa generatio à natiuitate nõ separatur, vt in vna eademq; natura vnus generet, alterq; nascatur. Sic ergo & illa generatio atque natiuitas naturaliter inseparabilis, vt nec

nec generandi nec nascendi communio simul ambabus possit inesse personis. Quia hoc habet proprietas personarum, vt nec filius seipsum cum patre gignat, de quo gignitur, nec pater cum filio de se nascente nascatur. Permanet ergo in vnitate naturæ inconfusa veritas personarum, in quibus est aliquid quod non commune reperiatur esse sed proprium. Deus itaque vnigenitus, qui cum patre & spiritu sancto sic habet vnam eandemq; naturam, vt tamen personam non communem habeat, sed propriam. Ideo acceptionem formæ seruilis communem cum patre & spiritu sancto non habuit: quia non in vnitate naturæ, sed in vnitate personæ sõlus veritatem ac plenitudinem formæ seruilis accepit. Qui enim verus & plenus est Deus, idem plenus & verus factus est homo, quando ab vnigenito Deo in vnitatem personæ accepta est sine peccato anima rationalis & caro. Natura itaque humana sic ab vnigenito Deo accepta est, vt diuinitatis persona vna tantum existeret, non natura. Proinde non est quidem filius separatus à patre & spiritu sancto, quando plenam susscepit humanitatis nostræ naturam, sed non simul cum patre & spiritu sancto eandem naturam accepit, quia non vna in eo facta est natura diuinitatis & carnis, vt ex hoc totius crederetur incarnatio trinitatis, sed persona est in Christo vna, quam inuenitur vnigenitus Deus inseparabilem quidem à patre & spiritu sancto habere, sed vnam tamen cum patre & spiritu sancto non habere. Proprium ergo Christus habet & humanitatem suam, cum diuinitas eius non vnam naturam, sed vnam inuenitur habere personam. Quæ persona vnigeniti Dei, quæ neque patris est, neque spiritus sancti, ideo forma seruilis à solo filio accepta rectè creditur, quia diuinitatis eius & carnis persona vna est non natura.

In Chri-

In Christo enim nō altera diuinitatis est & altera humanitatis, sed vna est naturæ vtriusq; persona. Quocirca quia inseparabilis est operatio trinitatis, seruilē formā quam vnigenitus Deus accepit, tota trinitas fecit, quam tamen certum est à tota Trinitate factam, sed ad solam filij Dei pertinere personam. Neque enim sicut est in ea totius trinitatis vna operatio, sic in ea trinitatis inuenitur communis acceptio. Etenim proprietas personalis, quia non ipse pater est qui filius, nec spiritus sanctus est ipse pater aut filius, ostendit aliquid à patre & filio & spiritu sancto factum, quod tamen à solo filio inueniatur acceptum. Cuius exemplum rei in creaturis non potest inueniri, quia excepta trinitate, quæ vnus est naturaliter verus Deus, nulla natura est quæ in se tres inseparabiles possit habere personas. Quia verò in vnoquoque homine inuenimus carnem non esse quod animam, nec vtrumque vnius esse naturæ, quamuis ex vtraque perficiatur & constet vna humana natura, quæ tamen in vnoquoque homine vnā inueniuntur habere personam. Proindè in istis duabus naturis quas vnam personā habere cognoscimus, simile aliquid inquiramus, vt cum hic inuenerimus aliquid fieri animæ carnisq; communi opere: quod tamen aut ad solius animæ, aut ad solius carnis inueniatur substantiā pertinere. Indè cōijciamus & quantū ipsa tribuit trinitas intelligamus, potuisse aliquid ab ijsdem tribus personis vno simul opere fieri, quod sic tota quidē trinitas inseparabiliter faceret, vt ad vnam ex trinitate personam illud quod factum est pertineret. Nempe quādo cibos sumimus, carni vtiq; & animæ prouidemus, & in ipsa tamen acceptione ciborum, qua sola caro pascitur, anima cum carne pariter operatur, quia caro sine anima sicut non viuit, ita nec comedit. Ecce vt sola caro accipiat cibum, simul & carnis & animæ vnum inuenitur officium,

officiū, quod proprietate naturali caro accipit sola, per vnitatem personæ simul cum carne operatur & anima. Communis vtique est operatio, sed non est communis acceptio, nec commedentem carnem anima in opere deserit, quæ tamen sic operationis suæ cum carne miscet officium, vt eadem communione operis sola caro accipiat vitale subsidium. Tale aliquid inuenitur in eadē vnitate personæ, ipsa quoq; hominis sibi anima vindicare, si quando intentionem cordis officio diuinæ deputat lectionis. Qua procul dubio nō exterior sed interior homo pascitur, & plerumque ieiunante carne magis anima saginatur. Nónne vt anima capiat ex lectione cibum, etiam corporalium membrorum admiscet officiū? Legere quippè non potest nisi per oculos corporis, quod tamen cum oculis corporis legit, oculis cordis intelligit, ac per hoc cum carne simul operatur & anima, vnde sola pascatur, & sola in se accipiat quod non sola facit. Ecce duæ naturæ propter vnam personam inseparabiliter operantur, sed propter suas proprietates vna plerumque quod non sola facit. Immò quod non sine altera nullatenus facit. Et quamuis hoc ad integram cognitionis lineam omninò sufficiat, vt ex eo quod hic in duabus naturis & vna persona videmus, ad illarum in vna natura trium personarum intelligentiam, quantum ipsa Trinitas dignatur tribuere, conscendamus. Tamen etiam in ipso redemptore nostro huius rei manifesta nobis atque indubitata probetur agnitio. Qui vtique sic in vnitate personæ suæ naturam vtranque coniunxit insolubiliter & vniuit, vt in vna persona vnigeniti Dei nec diuinitas ab humanitate sua, nec humanitas à sua possit diuinitate seiungi. Indissolubilis quippe facta est verbi & carnis vnitio, quando verbum factum est caro. In quo sic mansit personalis vnitas, vt tamen naturalis nec diuidi possit, nec con-

fundi proprietas. Proinde sic in vno Christo communia naturæ vtriusque inueniuntur officia, vt cum non diuidatur in virtutibus atque infirmitatibus, Christus sit tamen, quod in vno naturæ vtriusque opere non sit naturæ vtriusque commune. Nam vt de illo ineffabili conceptu partúque nunc taceam, quo sic eternus temporaliter conceptus & natus est Deus, vt tamen in ipsa communione conceptus partúsque Virginis, solius esset proprium naturaliter carnis: initialiter de carne genitricis existere, in membra formari, & vsque ad maturitatem partus processu temporis operisque perduci, deinde decedentibus ac succedentibus ætatibus crescere, & ad perfectum iuuentutis modum suo tempore peruenire, quid dicemus de illis deinceps operibus & passionibus? Cum illo est quidem inseparabilis naturaliter vera caro, vera rationalis anima, veráque diuinitas. Veruntamen sic ea quæ naturalis veritas abnuit, aut pati dignaretur aut facere, vt totus Christus in passione vel opere permansisset inseparabilis, & quod personalis vnitas commune diuinitatis atque humanitatis ostenderet, hoc tamen in se idem Christus naturæ vniuscuiusque proprium naturali veritate monstraret. Suscipiens quippe infirmitatis nostræ esuriem, illam famem suam totus operatus est Christus, & vt cibum sumeret, totus Christus similiter fecit. Naturaliter tamen sicut sola caro esuriem pertulit, ita sola caro cibum o-
Ioan. 4. pere totius Christi comedentis accepit. Fatigatus ab itinere Iesus sedit super puteum. Illam verò fatigationem diuinitas sentire non potuit, sed neque secundum animam vllatenus eam fatigationem sensisse dicendus est Christus. Illud ergo quod sedit, ad solam refectionem pertinuit carnis naturaliter fatigatæ. In qua tamen refectione communis fuit operatio deita-

deitatis & animæ. In ipso deinde tempore passionis & mortis, quis in vno eodemq; Christo in ipsa communione operum non videat inseparabiliter manere propria naturarum? Tristis fuit anima eius vsque ad Matth. 14.
mortem, sed nec diuinitas incommutabilis receptrix potest esse tristitiæ, nec caro tristitiam potest aliquando sentire. Tristitia itaque solius est animæ rationalis, quæ nec diuinitati potest naturaliter inesse, nec carni. Personaliter tamen totus Christus dignatus est in se tristitiam operari. Ipse quippe suas passiones inuenitur operatus, qui nihil habuit quod pateretur inuitus. Vt ergo tristaretur, totus Christus fecit, sed illam tristitiam in se sola naturaliter anima rationalis accepit. Iam verò cùm Christus vno eodémque tempore & in sepulchro iacuit, & in infernum descendit, quis non inseparabile naturæ vtriusque opus videat? Et quis in ipso vno atque inseparabili opere propria carnis & animæ ac diuinitatis non euidenter agnoscat? Vt enim secundum carnem in sepulchro iaceret totus Christus fecit, sed sepulturæ capax sola caro naturaliter fuit. In infernum quoque vt secundum animam Christus descenderet, naturæ vtriusque, id est, diuinæ atque humanæ vnum fuit opus, sed solius animæ naturaliter fuit ille descensus. Sicut eodem tempore totus in cælo & in terra non cessabat Christus operari, sed solius diuinitatis fuit & loco non teneri, & quæ ad gubernationem vniuersitatis pertineant, cum patre naturaliter & æqualiter operari. Inde est quod in omnibus illis operibus passionis & mortis auctoritas Apostolica, quod totus in se operatus est Christus, sic vni personæ operantis adsignat, vt quid cuius naturæ sit indubitanter ostendat. Nam & Apostolus Paulus de vno eodémque

2. Cor. 13. Christo dicit: Et si crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. Et beatus Petrus propheticum de Psalmis sic ponit eloquiũ, vt Christi animam, quam in infernum nouerat descendisse, ipsam diceret in inferno non derelictam. Sic enim de beato Dauid Act. 2. idem Petrus Apostolus loquitur, Propheta igitur cum Psalm. 13. esset & sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prænidens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelicta est anima eius in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Hæc itaque omnia totus Christus secundum vnam personam fecit, & sic vnum naturæ vtriusque opus agnoscitur, vt tamen quid cui naturæ deputari debeat, non negetur. His ergo vnusquisq; instruatur exemplis, vt quod hic in naturarum consideratione cognoscit, hoc illic in personis intelligat: nec dubitet humanam Christi naturam totius Trinitatis opere factam, sed ad solam vnigeniti pertinere personam.

QVÆSTIO III.

VTrum anima Christi susceptricis deitatis plenam habeat omnino notitiam, & quemadmodum seinuicem norunt pater & filius & spiritus sanctus: ita idẽ filius seipsum per id quod homo est, in eo quod Deus nouerit ex vtraque, atque in vtraque substantia totum capiens patrem, an fortè sicut oculis corporalibus Deum spiritum minimè videt, ne non homini dignitas addita, sed natura credatur penitus commutata: sic rationalis animæ quamuis pro intellectu & corde mundissimo non videri, neque comprehendi omnem diuinitatis essentiam, ne quælibet creatura inueniatur capere creatorem.

RESPON-

RESPONSIO.

HÆc in tuis literis verba frater charissime cùm legissem, magis me fateor angustijs coarctatum, quia compellimur dicere, quod sufficienter ac dignè non possumus cogitare. Nam considerata Creatoris creaturæq; distinctio incomprehensibilem monstrat atque inexplicabilem intellectui creaturæ magnitudinem creatoris: quippe cùm pax Dei exuperet omnẽ intellectum, Philip. 4. & ille qui ascendit super Cherubin, volet super pennas Psalm. 17. ventorum. Nosti autem Cherubin interpretari plenitudinem scientiæ. Quid est ergo super Cherubin ascendere, nisi omnem scientiæ plenitudinem incomprehensibili altitudine superare? Sed hæc confidenter atque indubitanter dicimus de sanctis Angelis atque hominibus sanctis, quorumlibet sic diuinæ adoptionis gratuito munere Deus dicitur, vt tamen Deus Angelorum vel hominum nulla ratione dicatur. Cùm autem de anima Christi loquimur, de illo loquimur rationali spiritu, ad quem non solum Deus per gratiam venit, sed quem ipsa diuinitas in vnitate personæ susceptit. Anima quippe illa cum verbo, vnus est Christus. Anima illa cum verbo, vnus est vnigenitus Deus. Et quia vnigenitus Deus æqualis est patri, nec potest totum nosse filium, qui totum non nouerit patrem, caueamus ne cum anima Christi totum patrem nosse non creditur, ipsi vni Christo ex aliqua parte, non solum patris, sed etiam sui & spiritus sancti cognitio denegetur. Quàm verò perdurum est & sanitati fidei penitus alienum, vt dicamus animam Christi non plenam suæ deitatis habere notitiam, cum qua naturaliter vnam creditur habere personam. Quod si sic crediderimus, necesse est vt illa frustretur prædicatio Joannis Baptistæ, qua Christo singularem ac sine mẽsura tribuit spiritus largitatem, dicens: Non enim ad mensuram dat Deus Ioan. 3. spiritum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

spiritum. Cum & maiores nostri in nobis mensuram largitatis accipiant, in Christo autem plenitudinem manere sancti spiritus fateantur. Beatus namque Ambrosius in libro primo capite septimo de
Act. 2. Ioel. 2. *spiritu sancto, inter alia sic ait: De spiritu meo, inquit, effundam. Non spiritum ait, sed de spiritu. Neque enim nos capere possumus plenitudinem spiritus sancti, sed tantum accipimus, quantum de suo arbiter nostri pro sua voluntate diuiserit. Ostendens ergo nos sanctus Ambrosius non plenitudinem, sed de plenitudine spiritus accipere, paulo post hæc*
Ibidem. *dicit: De spiritu sancto pater se dicit effundere super omnem carnem. Non enim totum effundit, sed quod effudit, omnibus abundabit. Supra nos ergo effusum est de spiritu sancto: At vero super Dominum Iesum, cum in forma esset hominis, manebat spi-*
Ioan. 1. *ritus, sicut scriptum est: Super quem videris spiritum descendentem de cælo, & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Circa nos ex affluenti commodo liberalitas largientis est, in illo totius manet inæternum spiritus plenitudo. Nempe beatus Ambrosius euidenter atque indubitanter ostendit animæ Christi plenam totius diuinitatis in-*
Ioan. 3. *esse notitiam, cum dicit, quia circa nos ex affluenti commodo liberalitas largientis est, in illo totius manet inæternum spiritus plenitudo. Hoc autem vt diceret, illum sermonem beati Ioannis attendit, quo ait, cum de ipso filio loqueretur: Non enim ad men-*
Tract. 14. in Ioan. *suram dat Deus spiritum. Quod beatus quoque Augustinus eadem sancti spiritus illuminatione recipiens atque intelligens, in sola persona Christi accipi debere confirmat. Nam cum eundem locum Euangelij explanasset ipso sermone Ioannis Baptistæ proposito ait, Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.*

Inue-

Inuenimus quia ad mensuram dat Deus spiritum. Audi Apostolum dicentem: Secundum mensuram Ephes. 4 *donationis Christi. Hominibus ad mensuram dat, vnico filio non dat ad mensuram. Item in eadem homilia dicit: Sic sunt etiam diuersa dona fidelium, tanquam membris ad mensuram cuiq; propria distributa. Sed Christus qui dat, non ad mensuram accipit. Audi enim adhuc quod sequitur, quia de filio dixerat, non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Nempe beatus Augustinus hoc euangelico testimonio quid debeamus de anima sentire, quando ipse Christus qui spiritum dat ad mensuram accipit. Ipse est enim qui dat, ipse qui accipit. Et quia potens est ad mensuram dare, ideo non potuit ad mensuram accipere. In forma enim Dei manens, spiritum dat, formam serui accipiens, spiritum accipit. Sed quia ipse ad mensuram dat, ideo non ad mensuram accipit. Ipsum enim quem ad mensuram dat, totum accipit. Ad mensuram quippe dat multis filijs, sed non ad mensuram accipit vnicus filius, quia sic est verus homo, vt verus sit Deus. Hunc Euan-* D. Aug. Lib. de ser. Domini in monte. *gelij locum aliter beatus Augustinus aliquando posuerat in duobus libris, quos scripsit de sermone Domini in monte. Quem tamen sensum in suis Retractationibus emendauit, hoc approbans quod postea melius confirmans atque intelligens in illa expositione Euangelij, de solo Christo accipi debere firmauit. Quod in primo libro capite decimonono Retractationum suarum ostendens, inter alia sic ait: Alio loco* 1. Retract. Cap. 19. *quod interposui testimonium, non ad mensuram dat Deus spiritum, nondum intellexeram de Christo proprie verius accipi. Alijs quippe hominibus nisi ad mensuram daretur spiritus, non duplum peteret*

4. Reg. 2. b

Heliſæus quàm fuit in Helia. In his ergo dictis beati Auguſtini illud maximè attendamus, quod ait, aliis hominibus ad menſuram ſpiritum dari. Quod vtique ideò dixit, vt hoc ſe non de diuinitate, ſed de humanitate Chriſti ſenſiſſe monſtraret, cui non ad menſuram dedit Deus ſpiritum. Cum vnicuique dari gratiam ſecundum menſuram donationis Chriſti teſtetur Apoſtolus. Quare ergo beatus Auguſtinus non dixit hominibus, ſed aliis hominibus, niſi oſtenderet illi homini ſingulariter non ad menſuram, ſed omnem ineſſe ſpiritus plenitudinem, qui eſt naturaliter homo verus, vt idem ſit naturaliter etiam Deus verus, totum accipiens in veritate carnis, quem ad menſuram largitur munere deitatis? Illi ergo qui ſecundum menſuram donationis ſuæ dat gratiam, nõ ad menſurã dedit Deus ſpiritum. In Chriſto autem ſecundum catholicæ fidei veritatem in vnitate perſonæ ſimul & deitatem & animam rationalem fatetur & carnem, in quo tamen deitas ſpiritum accipere non potuit, quia ſecundum deitatem pater & filius & ſpiritus ſanctus, vnus eſt Deus. Vbi tantus eſt pater ſõlus, quantus cum filio & ſpiritu ſancto, tantuſq́, eſt ſõlus ſpiritus ſanctus, quantus cum patre ſimul ac filio. Ibi nulla de tribus perſonis habet duabus aliquid minus. Ibi in vnaquaq; perſona ſic eſt plena deitas, vt & in tribus perſonis vna ſit, & in ſingulis tota. Non ergo potuit ſpiritum ſanctum diuinitas filij accipere, cum ipſe ſpiritus ſanctus ſic procedat à filio, ſicut procedit à patre, & ſic detur à filio, ſicut datur a patre, nec illa natura vnde ſpiritus ſanctus habet originẽ, potuit vel expectare vel accipere largitatem. Spiritus ille totus eſt patris, totus eſt filij, quia vnus naturaliter eſt ſpiritus patris & filij. Proindè totus de patre procedit & filio, totus in patre manet ac filio, quia ſic manet vt procedat, ſic procedit vt maneat. Vnde

Vnde naturaliter hanc habet cum patre ac filio vnitatis plenitudinem, & plenitudinis vnitatem, vt totum patrem habeat, totúmque filium, ipſéque totus habeatur à patre, totus habeatur à filio. Non ergo accipit ſpiritum ſanctum diuinitas filij, cum qua vnius naturæ eſt ſpiritus ſanctus, & ex qua habet quicquid habet: Immo de qua eſt hoc quod eſt, quia quod naturaliter habet, hoc eſt. Reſtat itaque vt anima Chriſti ſpiritum ſanctum accipiat, quem tamen non ad menſuram accipit, ſed totum accipit. Vbi enim menſura non eſſe dicitur, plenitudo perfectionis, & perfectio plenitudinis inuenitur. Quis ſit autem iſte ſpiritus, quem non ad menſuram Chriſtus accipit, Prophe-

Eſa. 11.

ta nobis Eſaias oſtendit, qui de Chriſto loquens, ait: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris domini. Accipit ergo Chriſtus ſpiritum, ſed non ad menſuram accipit. Quod ſi animæ Chriſti non ad menſuram dedit Deus ſpiritum, neceſſe eſt vt nihil minus habeat ſapientiæ, nihil ſcientiæ. Spiritus enim ille, ſpiritus eſt ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis. Ac per hoc non ſõlum ad diuinitatem Chriſti, ſed ad eius quoque animam illa perfectionis prærogatiua pertinet, quam ipſi Chriſto beatus aſſignat Apoſtolus, dicens: In

Coloſſ. 2.

quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Si enim nõ ad menſuram accipit ſpiritum ſapientiæ & ſcientiæ, neceſſe eſt vt omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ habeat. Quod ſi ei aliquid eius plenitudinis demitur, conſequens eſt vt ad menſuram acceptſſe ſpiritum prædicetur. Et quis eſt cui non ad menſuram Deus ſpiritum dederit, ſi eum ad menſuram Chriſtus

accepit? In quantū enim ſpiritus datur, in tantū cognitio diuinitatis accipitur. Vbi autē ſpiritus nō eſt meſura, neceſſe eſt vt plena ſit diuinitatis immenſæ notitia. Tota enim plenitudo datur, vbi ſpiritus nō ad menſurā datur. Nō autē plenitudinē, ſed de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiā pro gratia. Vbi oſtēditur etiā in illa gratia ſpeciei quæ datur pro gratia fidei, nō ipſam
Ioan. 1. plenitudinem, ſed de plenitudine eius nō eſſe accepturos gratiā pro gratia, & hoc ipſo quod de plenitudine eius accepimus nos eſſe implendos, in quantū per eius gratiā
Pſal. 15. capaces erimus. Quod oſtendit Propheta dicēs, Adim-
Pſal. 64. plebis me lætitia cū vultu tuo. Et iterū: Replebimur in bonis domus tuæ, ſed vt repleamur, de plenitudine eius accipiemus. De Chriſto aūt Paulus doctor gentiū dicit:
Coloſ. 1. Quia in ipſo cōplacuit omnem plenitudinē inhabitare.
Coloſ. 2. de quo idē dicit, Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Nō enim exiſtimo illi animæ in aliquo plenā diuinitatis deeſſe notitiā, cuius vna eſt perſona cum verbo, quā ſic ſapiētia ſuſcepit, vt eadē ſapientia ipſa ſit quæ rerū omniū in tantū facta eſt domina, vt cū ipſa diuinitate ſua vna ſit in trinitate per-
1. Cor. 1. ſona, id eſt, Chriſtus crucifixus, quē Dei virtutē Deiq; ſapientiā Paulus prædicat. Quod ſi anima Chriſti minorē habet in aliquo deitatis ſuæ notitiā, nō in ſe habet totā ſapiētiam, totamq; virtutē. Participiū ergo habet. Nō ipſa eſt Chriſtus, ſi partē habet notitiæ diuinitatis ſuæ. Nos autē participes Chriſti Apoſtolus aſſerit di-
Hebr. 3. cēs: Participes enim Chriſti effecti ſum⁹. vnde ipſi Chri-
Hebr. 1. ſto dicitur, Vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis
Pſal. 44. præ participibus tuis. Oleū autē exultationis, quo vnctus eſt Chriſtus, ſpiritū ſanctū eſſe nō dubiū eſt dicēte
Act. 10. Petro, Ieſum à Nazareth quē vnxit Deus ſpiritu ſancto & virtute. Ipſum ergo vnxit præ participibus ſuis, cū nō ad menſurā dedit ſpiritū, in quo inhabitat omnis pleni-

plenitudo diuinitatis corporaliter. In quo ſunt omnes theſauri ſapiētiæ & ſciētiæ abſcōditi, cuius ſapiētiæ & Rom. 11.
ſciētiæ altitudinē B. Apoſtolus miratur, dicens: O altitudo diuitiarū ſapiētiæ et ſciētiæ Dei. Chriſtū autē non
ſolū ſecundū diuinitatē, ſed etiā ſecundū humanitatē
vera fides totū altiſſimum cōfitetur. Mater enim Syon Pſal. 86.
dicet, homo & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eā
altiſſimus. Et reuera quis audeat altiſſimū denegare,
quē Deus nō ſolū de ſe altiſſimū genuit, ſed etiā de virgine natū exaltauit, & donauit illi nomen quod eſt ſu-
per omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flecta- Phil. 2.
tur cœleſtiū, terreſtriū, & infernorum, & omnis lingua
confiteatur quia dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt
Dei patris? Si autē nō plenā habet anima Chriſti notitiā diuinitatis ſuæ, nō * peruenit ad altitudinē plenam *perueniet
ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Non ergo totus, ſed ex parte
Chriſtus prædicetur altiſſimus, ſi anima eius infrà altitudinē diuitiarū ſapientiæ & ſcientiæ Dei à fidelibus
prædicatur. In quo enim nos Deus exaltat, niſi in quo
ad ſe leuat animas noſtras? In tantū aūt ad ſe leuat animas noſtras, in quantū nobis veritatē ſuæ cognitionis
ac dilectionis inſinuat. Quis autē dicat animā Chriſti
aut minus percipere veritatis, aut min⁹ habere aliquid
charitatis? Ipſe autē Chriſtus eſt veritas. Quomodo ergo illa anima minus in ſe notitiā veritatis habere dicitur, quæ ipſius veritatis anima ſingulariter inuenitur?
Nō ſic eſt de Chriſti anima diſputandū, ſicut diſputatur de quolibet angelico ſpiritu vel humano. Quis particeps poteſt eſſe Dei veri, niſi Deus verus, qui eſt Chriſtus, qui perfectā carnē perfectamq; animā rationalē, id
eſt, plenā humanā naturā in illam ſempiternā perſonā
ſuæ diuinitatis accipiēs, ſicut naturaliter totus eſt homo
verus, ſic totus Deus verus, quia ſicut in diuinitate ſua
totā habet natiuitatis ſuæ naturā, ſic in humanitate ſua

totam

Universidad de Deusto
Biblioteca

totam habet diuinitatis suæ substantiam, totam maiestatem, totam incommutabilitatem, totam virtutem, totam sapientiam, totam omnipotentiam? Sic enim humanam naturam Deus vnigenitus suscipere dignatus est, vt ipse sit Deus qui homo est, & idem sit homo qui Deus est. Proinde sicut est plenitudo diuinitatis in homine Christo, sic ibi est plenitudo humanitatis in Deo. Sicut ergo Christus homo singulariter habet, vt Deus verus sit, sic totam diuinitatem suam singulariter nouit. Possumus plane dicere animam Christi habere plenam notitiam deitatis suæ, nescio tamẽ vtrum debeamus dicere, quod anima Christi sic suam deitatem nouerit, quemadmodum seipsa diuinitas nouit, an hoc potius dicendum est, quia nouit quantum illa, sed non sicut illa. Ipsa enim deitas sic se nouit, vt hoc se naturaliter inueniat esse quod nouit: anima autem illa sic totam deitatem suam nouit, vt ipsa tamen deitas non sit. Deitas ergo illa ipsa est naturaliter notitia sua, anima verò illa ab ipsa deitate quam plene nouit, accepit vt nouerit. Naturaliter ergo deitas Christi hoc est quod nouit, anima verò illa in eo quod scit deitatem suam, non hoc se inuenit esse quod nouit. Non ergo quemadmodum se nouerunt pater & filius & spiritus sanctus, sic animæ suæ secundum diuinitatẽ notus est Christus. Quoniam quidem habet anima illa plenam trinitatis notitiam, non tamen habet vnam cum trinitate naturam. Aliud est autem vnicuique rei nosse quod naturaliter est, aliud nosse quod naturaliter non est. Oculis porrò corporalibus Deus spiritus non videtur. Vnde quosdam beatus Augustinus qui hoc voluerunt de Christo credere, quod Deum patrem oculis corporalibus videat, in Epistola sua quam ad Italicã scripsit, licet breui sermone, sufficienti tamen responsione conuincit. Hoc habẽt quippe oculi corporis, vt non

Epistola 6.

vt non solum corpora videãt, sed nec videre possint, nisi inter ipsos & ea quæ vident spatij cuiusquam media interualla fuerint. Inde est quod cum alia plurima videant, seipsos videre non possunt, nec vident in se, cum videant extra se. Nam & ipsa acies visionis obtunditur, si aliquid videndum ipsis oculis adiungatur. Quisquis ergo putat Deum posse oculis corporalibus cerni, prius est vt eum dicat ab ipsis oculis corporali spatio separari. Quisquis autem vult agnoscere quibus oculis Deus videatur, ipsum Deum cogitet, quia sapientia est, veritas est, charitas est. Quocirca quibus oculis videtur sapientia, veritas, & charitas: ipsis oculis videtur illa sapiens veráque diuinitas. Non itaque corporis sed oculis animæ Deus suam visionem promittit, quam capacem sapientiæ, veritatis, charitatisq; constituit. Spiritus ergo rationalis accepit à Deo vt videat Deum. Accepit itaque per gratiam, quæ tamen non extra se potest videre, sed in se. Deus enim non loco continetur, sed affectu percipitur, & ideo in quo non habitat, non videtur. Multo enim interius animam inhabitat Deus, quàm anima inhabitat corpus, quoniam creator spiritus est ille, iste creatus. In tantum ergo habet quælibet sancti hominis anima illius summi Dei notitiam, in quantum internæ visionis acceperit gratiam. Vnde nescio quomodo accipimus vnigenitum à patre plenum gratiæ & veritatis, si vel illi plenitudini veritatis, aliquid plenitudinis gratiæ deesse dicimus, vel illi plenitudini gratiæ non totam esse veritatis plenitudinem æstimemus, cum vtique in eo certissime vnigenitus à patre plenus agnoscatur gratiæ & veritatis, si non solum in ipso vno plena gratia humanitatis, plenaq; diuinitatis veritas agnoscatur, sed etiam plenitudo veritatis in seipsa plenitudinem gratiæ, qua est tota humanitas in diuinitate sua, & plenitudo

Universidad de Deusto
Biblioteca

tudo gratiæ plenitudinem habeat veritatis in se, quæ est tota diuinitas in humanitate sua, ita vt plenitudo veritatis plenitudinem in se habeat gratiæ, & plenitudo gratiæ plenitudinem in se habeat veritatis. Non autem tota plenitudo veritatis habetur, quando ipsius veritatis aliquid ignoratur, quod absit vt de Christo aliquid sentiamus. Sic enim tota plenitudo gratiæ est in illa plenitudine veritatis, vt illa plena deitas totam impleat humanitatem suam, & sic est plenitudo veritatis in illa plenitudine gratiæ, vt illa plena humanitas sicut plenam habet & singularem incorruptionem atque immortalitatem carnis, ita secundum animam plenam singulariter habeat notitiam deitatis. Sic est ergo Christus plenus gratiæ & veritatis, vt sicut est in diuinitate eius plena humanitatis eius acceptio, sic in humanitate eius plena sit diuinitatis agnitio. Nec metuamus asserere quod Christi anima totam deitatem suam nouit, ne ex hoc dicatur cum ipsa deitate vnius esse naturæ, cum vtique si hoc ratiocinatio vera deposcit, vt in plenitudine cognitionis continuò sit vnitas naturalis, ipse primitus Deus, qui omnia quæ fecit plenè vtique nouit, eius diceretur esse naturæ, cuius sunt illa quæ fecit & nouit. Quod qui credit aut asserit, non catholica veritate præditus, sed Manichæa sit impietate possessus. Deinde illud est nihilominus intuendum, quod ipsa Christi anima ex quantacunque parte dicatur habere deitatis suæ notitiam, statim dicetur ex tanta parte vnam habere cum sua deitate naturam, quod vtique magnæ insaniæ est. Nam & nos speramus per Dei gratiam visuros esse Deum. In quantum autem visuros, in tantum sine dubio cognituros, quoniam vtrumque nobis Apostolica commendat auctoritas. Nam & beatus Paulus dicit: Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut 1.Cor.13.

sicut & cognitus sum. Et dilectus Christi Ioannes indubitanter asserit, quia cum apparuerit similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. Visio autem illa non solius carnis, secundum quam solam solus filius ab impijs videtur ad eorum condemnationem perpetuam, sed erit visio deitatis, secundum quam ipsa Trinitas ita videndam præbebit se iustis, vt illa diuinitatis indesinens visio, ipsa sit beatitudinis indeficiens plenitudo. Inde enim sunt beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. In tantum ergo diuinitatem sanctæ trinitatis videbimus, in quantum capiemus dono gratiæ vt videre possimus. Nec tamen in quantum videbimus, in tantum ipsi diuinitati consubstantiales erimus. Nam & corpore videmus multa quæ cum carne nostra non sunt vnius eiusdemq; naturæ. Vident enim oculi nostri lucem, cum tamen alterius naturæ sint illi, alterius illa. Dixit quidem beatus Ioannes, quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Similes autem dixit imitatione, scilicet iustitiæ, non vnitate naturæ, secundum quam imitationem dicit beatus Paulus, imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Et beatus Ioannes ait: Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Creatorem verò capit creatura, in quantum accipit, vt capiat. Inde est quod B. Augustinus hunc sermonem nõ refugit, sed indubitanter assumit. Nam in eadẽ homilia, in qua exposuit illum locũ, quia non ad mensurã dat Deus spiritum, sic quodam loco de ipso filio dicit: Manẽs enim Deus apud patrem, apud homines factus est homo, vt tu per illum * qui à se factus est homo fieres talis, qualis capit Deũ: Non enim homo poterat capere Deum. Videre poterat homo hominem, capere Deũ non poterat. Vnde non poterat capere Deum? Quia oculum cordis vnde caperet non 1.Ioan.3. Matth.5. 1.Ioan.3. 1.Cor.11. 1.Ioan.2. In Ioan. in fi. Tract. 34. * qui apud te factus.

non habebat. Erat ergo aliquid intus saucium, & aliquid foris sanum. Corporis oculos habebat sanos, & cordis habebat saucios. Factus est ille homo ad corporis oculum, vt creães in eum qui videri corporaliter potuit, curareris ad eum ipsum videndum, quem spiritualiter videre non poteras. His verbis ostendit beatus Augustinus in spiritualibus rebus hoc esse capere quod videre, neq; aliud esse videre, quàm intelligere, nec intelligere aliud esse quàm nosse. Hinc est quod in libro de præsentia Dei quam soli filio dat, plenam diuinitatis capacitatem soli, plenam diuinitatis ostendit ineſſe notitiam. In memorato quippe libro his vtitur verbis: Deus igitur vbique præsens est, & vbique totus, præsens nec vbique habitans, sed in templo suo, cui per gratiam benignus est & propitius. Capitur autem habitãs ab alijs amplius, ab alijs minus. De ipso vero capite nostro Apostolus ait, Quoniam in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Attende quæso in his verbis beati Augustini discretionem capitis membrorumq; certissimam. Ab illis ergo quibus ad mensuram dat Deus spiritum, capitur habitans ab alijs amplius, ab alijs minus. Quid est autem capi, nisi intelligi atque cognosci? Cùm autem de Christo idem beatus Augustinus loqui vellet, vide quid ait: De ipso, inquit, capite nostro Apostolus ait, quoniam in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Nempe beatus Augustinus ait, Quoniam Deus habitans capitur. Quocirca ab illo plenitudo capitur diuinitatis, in quo ipsa diuinitatis habitat plenitudo. In eo autem capitur, in quo cognoscitur. Illi ergo in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis, nõ potest ipsius plenitudinis plena non ineſſe notitia. Inde est quod beatus Augustinus in eodem libro paulo post hæc dicit: Quid ergo est? Hoccine interesse arbitramur inter caput & membra

Epist. 57. ad Dardanũ, circa finẽ.

Colloss. 2.

cætera,

cætera, quod in quolibet quamuis præcipuo membro, velut in aliquo magno Propheta aut Apostolo, quamuis diuinitas habitet, non tamen sicut in capite quod est Christus, omnis plenitudo diuinitatis? Nam & in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus quantus in capite, vbi prorsus omnis est quinque partitus. Ibi enim est visus, & auditus, olfactus & gustus & tactus: in cæteris autẽ solus est tactus. An etiam præter hoc quod tanquam in templo in illo corpore habitat omnis plenitudo diuinitatis, est aliud quod interſit inter illud caput, & cuiuslibet membri excellẽtiam? Est planè, quod singulari quadam susceptione hominis illius vna facta est persona cum verbo. De nullo enim sanctorum dici potuit, aut potest, aut poterit: Verbum caro factum est: nullus sanctorum qualibet præstantia gratiæ vnigeniti nomen accepit, vt quod est ipsum Dei verbum ante secula, hoc simul cum assumpto homine diceretur. Singularis ergo est illa susceptio, nec cum hominibus aliquibus sanctis quantalibet sapientia ac sanctitate præstantibus vllo modo potest esse communis. Certum est igitur sanctorum patrum sententiam scripturis cælestibus cõuenire, quæ manifestissimè protestãtur, & diuinitus inspiratæ proclamãt nobis, id est, omnibus adoptiuis, partem cognoscendæ atq; sapiendæ diuinitatis, prout voluntas donauerit largitoris infundi per gratiam, Christo vero, id est, animæ eius plenam totius diuinitatis ineſſe notitiam.

Ioan. 1.

QVÆSTIO IIII.

DEinde quæstionem series tuarum sic continet literarum. Vnum, inquis, regnum patris & filij & spiritus sancti credimus & fatemur, simul eos dominari creaturis omnibus sentiẽtes. Quare ergo in orationibus Sacerdotum per Iesum Christum filium tuum dominum nostrum, qui tecum viuit & regnat in vnitate

spiritus sancti per vniuersas penè Africæ regiones Catholica dicere consueuit Ecclesia, tanquam solus filius cum patre possideat regnum in vnitate scilicet spiritus sancti, vt regnantes adunare non simul regnare spiritus sanctus intimetur?

RESPONSIO.

DIcam simpliciter de sermone hoc quod sentio. Quotiēs exinde cogitaui, nihil ibi aliud maiores nostros quàm fidei veritatem contra multas hæreses præmunisse cognoui. Illud quippe primum attendendū est, quod in conclusione Orationis, per Iesum Christū filiū tuum dominum nostrum dicimus: quod vtique non inaniter Catholica concelebrat Ecclesia, propter illud vtiq; sa-
1. Timot. 2. *cramentum quod mediator Dei & hominum factus est homo Christus Iesus sacerdos in æternum secundum or-*
Hebr. 9. *dinem Melchisedech, qui per proprium sanguinem semel introiuit in sancta, non vtique manufacta exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, vbi est in dextera Dei, & interpellat pro nobis. Hoc in eo pōtificatus offi-*
Hebr. 13. *cium intuens Apostolus, ait: Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Per ipsum ergo hostiā laudis atque orationis offerimus: quia per eius mortem reconciliati sumus cum inimici essemus. Per ipsum enim qui pro nobis hostia dignatus est fieri, potest in conspectu Dei nostra hostia acceptabilis inueniri. Propterea nos*
1. Petri. 2. *beatus Petrus admonet, dicens: Et vos tāquam lapides viui ædificamini in domum spiritualem in sacerdotium sanctum, offerētes spirituales hostias, acceptabiles Deo, per Iesum Christum. Hac igitur ratione dicimus Deo patri: Per Iesum Christum dominum nostrum. Nam bene nosti nonnūquam dici per sacerdotem æternum filium tuum dominum nostrum Iesum Christum. Cum ergo sacerdotis fit mentio, quid aliud quàm mysterium domi-*

dominicæ incarnationis ostenditur, quo Dei filius cum philip. 2.
in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, secundum quam se humiliauit factus obediens patri vsque ad mortem, minoratus scilicet paulo minus ab angelis, & æqualitatē paternæ possidens vnitatis? Eo quippè minoratus est filius æqualis permanēs patri, quo in similitudinem hominum dignatus est fieri. Ipse autem se minorem fecit, quando semetipsum exinaniuit formā serui accipiens. Christi porrò minoratio, ipsa est exinanitio. Nec tamen aliud est exinanitio, quàm formæ seruilis acceptio. Christus ergo in forma Dei permanens, vnigenitus Deus, cui cum patre hostias offerimus formam serui accipiens, sacerdos est factus, per quem hostiam viuam, sanctam, Deo placentem offerre possimus. Nec tamen à nobis offerri hostia potuisset, si Christus pro nobis hostia non factus fuisset: in quo ipsa natura nostri generis, vera est hostia salutaris. Etenim ipse vnigenitus, qui verus naturaliter Deus est, vt verus sacerdos fieret, in persona diuinitatis suæ non humanitatis nostræ personam dignatus est accipere, sed naturam. Si enim naturā hominis cum persona simul accepisset, in illo incarnationis mysterio non idem vnus Christus in duabus naturis esset Deus & homo, sed in duabus personis alter esset Deus, & alter homo. Sed ideò vnus est Christus verus Dei & hominis filius, quia ille vnigenitus dominus qui personam propriā semper habuit, in ipsam personā suam veritatē naturæ seruilis accepit. Proinde Christus inseparabilis manet, quia cū altera sit in eo natura diuinitatis, altera verò natura seruilis, in vno tamē eodemq; Christo illa persona diuinitatis æternæ, ipsa est etiā humanitatis assumptæ. Propterea idē atq; vnus est Christus, quē & paulo minorē ab angelis ostendit acceptio formæ seruilis, & æqualem patri demōstrat vnitas naturalis.

In quo ſacramento ſic offenderunt Arriani, vt attendentes in eo officium ſacerdotis, nollent celſitudinem ſuſcipere deitatis. Inde eſt quod etiam ſic dicunt, Gloria patri per filiũ: vt nolint dicere, Gloria patri & filio. Quoniã ergo ſunt hæretici, qui filium cum patre vnius deitatis eſſe non credant: item ſunt alij qui veritatem carnis in Dei filio negare non metuant: hunc locũ congrue atq; vtiliter patres ſanctiſſimi poſuerunt. Nam cum nos oſtendimus per æternum ſacerdotem dominum Chriſtum noſtras orationes offerri, veram in eo carnem noſtri generis cõfitemur, ſecũdum illud quod Apoſtolus Hebr. 5. *dicit, Omnis enim Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deũ, vt offerat Deo dona & ſacrificia pro peccatis. Cum verò dicimus filium tuum, & adijcimus, qui tecum viuit & regnat in vnitate ſpiritus ſancti, illam vtique vnitatem cõmemoramus, quam naturaliter habet pater & filius & ſpiritus ſanctus. Vbi oſtenditur idem ipſe Chriſtus pro nobis ſacerdotali functus officio, cui naturalis eſt vnitas cum patre & ſpiritu ſancto. Vide quæſo quanti ex hoc conuincãtur hæretici. Principaliter enim noſtra fides à Manichæorum errore diſcernitur, cum per illum ſacerdotem noſtras orationes offerimus, qui propterea verus eſt ſacerdos, quia ſemetipſum veram pro nobis hoſtiam obtulit, quod Apoſtolus indubitanter affirmat* Epheſ. 5. *dicens: Eſtote ergo imitatores Dei ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & obtulit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Qui vtiq; verã hoſtiã non offerret, ſi carnis in eo veritas non fuiſſet. Huius hoſtiæ veritatem, poſtquam à mortuis reſurrexit, ipſe ſummus ſacerdos diſcipulis ſuis oſtendit, & contre-* Luc. 24. *ctandam obtulit, dicens: Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.*

Hinc

Hinc etiam fides noſtra diſcernitur ab Euthycis errore, qui licet incarnatum verbum negare non audeat, ipſam tamen verbi carnem cum nõ fatetur ſumptam de cãrne virginis, myſterium ſummi prorſus euacuat ſacerdotis. Cui Apoſtolus illa quam ſuperius poſui ſententia contradicit, Omnis, inquiens, pontifex ex hominibus aſ- Hebr. 5. *ſumptus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum. Et alio loco, Nuſquam enim angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per* Hebr. 2. *omnia fratribus ſimilari, vt miſericors fieret & fidelis põtifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. Hoc itaque ſermone, quo per Ieſum Chriſtũ nos oſtendimus noſtras orationes offerre, vera fides omni errori renititur, qui in Chriſto veritatem humani corporis non fatetur. Sed quia Chriſtus non ſolum verus homo, ſed & verus eſt naturaliter Deus, & vnus cum patre & ſpiritu ſancto Deus: digne dicimus, Deo patri, qui tecum viuit & regnat. In illa vtique vnitate naturali quam oſtendens ait: Ego & pater vnum ſumus, vbi ſimiliter* Ioan. 10. *fides noſtra non ſolum ab Arrij & Sabellij, verũ etiam à Neſtorij errore decernitur, in ipſo quippe vnitatis vocabulo ſicut patris & filij diuerſa cognoſcitur non eſſe ſubſtantia: ita cum dicimus, qui tecum viuit & regnat, oſtenditur patris & filij vna non eſſe perſona. Apparet etiam æternum ſacerdotẽ ipſum verum filium eſſe, qui cum Deo patre regnat in vnitate naturæ. Cum vero in vnitate ſpiritus ſancti dicimus, vnam naturam ſpiritus ſancti cum patre filioq; mõſtramus. Vnitas autem naturæ quid aliud, quàm trinitatem vnum Deum, & ex hoc vnum oſtendit & regnum? Diuerſitas quippe naturæ poteſt in regno diuerſitatem poteſtatis oſtendere. Vbi autem regni naturalis eſt vnitas, vna regnandi permanet & poteſtas. In illo autem regno illi diuerſitatem poteſtatis habere poſſunt, quibus ipſa poteſtas*

tribuitur ex gratia, sed non suppetit ex natura. Non est autem diuersitas, sed vnitas potestatis in trinitate, quæ ipsam potestatem vnicuique secundum suam tribuit voluntatem, quia naturalē habet ineffabiliter vnitatem. Vide autem quid beatus Augustinus in libro sexto de trinitate sentiat de spiritu sancto, vbi dicit: Ergò æqualis patri filius, & est vnius eiusdemq; substantiæ, continuò subiunxit: Quapropter spiritus sanctus in eadē vnitate substantiæ & æqualitate subsistit. Siue enim sit vnitas amborum, siue sanctitas, siue charitas, siue ideo vnitas quia charitas, & ideo charitas quia sanctitas: manifestum est quod nō aliquis duorum est quo vterque cōiungitur, quo genitus à gignente diligatur, generatoremq; suum diligat, sintq; non participatione sed essentia sua, neque dono superioris alicuius sed suo proprio seruantes vnitatem spiritus in vinculo pacis. Et paulo post: Spiritus ergo sanctus commune aliquid est patris & filij, quicquid illud est. At ipsa communio consubstantialis & coæterna. Quæ si amicitia conuenienter dici potest, dicatur: sed aptius dicitur charitas. Et hæc quoque substantia, quia Deus substantia, & Deus charitas, sicut scriptū est. Item alio loco eiusdem libri dicit: Æqualis est etiam spiritus sanctus, & si æqualis, in omnibus æqualis, propter summam simplicitatem quæ in illa substantia est. Et ideo non amplius quàm tria sunt: vnus diligens qui de illo est, & vnus diligens eum de quo est, & ipsa dilectio. Quæ si nihil est, quomodo Deus dilectio est? Si non est substantia, quomodo Deus substantia est? His itaque verbis beatus Augustinus non dubitauit sicut charitatem & sanctitatem, sic etiam vnitatem patris & filij spiritum sanctum dicere: nec solum commune aliquid eorum, sed etiam communionem consubstantialem coæternamq; fiducialiter prædicare. Quod vtique ideo catholicis

D. August. lib. 6. de Trin. cap. 5.

Eodē cap.

Eodē cap.

tholicis dicitur, vt ex ipso vnitatis nomine vna essentia, & ex hoc vnum regnum, & in eodem vno regno vna trinitatis potestas, vnaq; maiestas à fidelibus agnoscatur, ne putetur aut filius aut spiritus sanctus secūdum diuinam naturam ita cum patre regnare, quemadmodum cum potiore regnat inferior, sed illa vnitas spiritus sancti quæ est communio patris & filij, dum in illo regno vnitatem diuinitatis monstrat, vnam esse regnandi æternitatem, vnam potestatem, vnam maiestatem, vnámque dominationem summæ Trinitatis edoceat.

QVÆSTIO V.

QVinta verò, id est, nouissima continet his verbis epistola quæstionem: Quid sit quod Lucas Euangelista cœnam domini narraturus prius eum dicit calicem accepisse, & discipulis diuidendum inter se continuo tradidisse. Et deinde accepto pane dixisse: hoc est corpus meum: & accepto similiter postquam cœnauit calice tunc dixisse, hic calix nouum testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis effundetur. Ista verò quæstione postposita subiungis & dicis: Nunquid vnus calix secundò est datus, an alius prius, alius postea? Et si ita est, inquis, ad cuius rei sacramentum pertinet ille de quo maximè cæteri qui scripserunt Euangelia tacuerunt?

RESPONSIO.

HVnc Euangelij locum quidam sic intelligi voluerunt, vt nō duos calices à domino datos assererēt: sed potius per anticipationem dictum esse firmarent, cæterum vnū esse calicem, qui & anteà diuidendus, & posteà bibendus commemoratur datus esse discipulis. Quidā verò secundò datū calicē firmant. Sed siue hoc, siue illud quisque sentiat, talis est vterque sensus, vt vera fide nullatenus inueniatur extraneus. Hi verò qui

secundum datum æstimant calicem, hoc factum in significatione dixerunt, asserentes quod in primo calice suam, in secundo verò fidelium suorum dominus præfigurauerit passionem. Alij verò dixerunt in vtroque calice illud ostendi, quod in veteri testamento præceptum

Numer. 9. *est, vt qui pascha primi mensis agnum commedendo non ageret, in secundo mense in hædi commestione peragat. Videtur autem hic mihi etiam aliud quiddam congruum Christianæ fidei reperiri mysterium: vt in vtroque calice vtrunque intelligi debeat testamentum. Præsertim qũia hoc nobis sic ipsa demonstrauit veritas,*

Luc. 22. *vt nulla remaneret quærentibus difficultas. Nam ipse dominus calicem quem bibendum dedit, nouũ appellare dignatus est testamentum, quod Euangelici tenor demonstrat eloquij. Siquidẽ tribus Euãgelistis, Mat-*

Mat. 26. *thæo, Marco, & Luca, hoc indubitanter attestantibus inuenitur. Verba quippe Matthæi hæc sunt: Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, & fregit, deditq; discipulis suis, & ait: Accipite & commedite, hoc est Corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic*

Marc. 14. *est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Marcus verò mysterium dominici panis & calicis explicaturus, hæc ait: Manducantibus autem illis, accepit Iesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est Corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis. Et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est enim sanguis meus, noui testamenti, qui pro multis effundetur. Lucæ verò, quem secundo certum est calicem no-*

Luc. 22. *minasse, his inuenitur verbis ordinata atque triplicata narratio. Et accepto calice gratias egit & dixit: Accipite & dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et ac-*

Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Hinc est quod etiam beatus Paulus commemorans sacratissimum illius cœnæ mysterium, non aliud calicem quàm nouum à domino nuncupatum insinuat testamentum.

Inter alia namque sic dicit: Ego enim accepi à domino 1. Cor. 11. *quod & tradidi vobis, quoniam dominus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Hoc est Corpus meum pro vobis. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est, in sanguine meo. Hoc facite quotiescunque bibitis, in meam commemorationem. Hac igitur Euangelicorum atque Apostolicorum attestatione dictorum in calicis nomine, isto duntaxat loco non aliud quàm diuinum permittimur accipere testamẽtum. Neq; enim dubium est alijs locis à domino nomine calicis significatam gratiam passionis. Quod vtique intelligi voluit,*

dicens filijs Zebedæi, Potestis bibere calicem, quem ego Mat. 20. *bibiturus sum? Et in ipsa hora qua detineri manibus voluit impiorum, hoc sermone beatum Petrum vt gladium reconderet in vaginam præmonens, calicem se bibiturum passionis ostendit, dicens: Mitte gladium in*

Ioan. 18. *vaginam. Calicem quem dedit mihi pater, non bibam illum? In quo calice passionem esse intelligendam etiam illic ostendit, vbi auulsus à discipulis quantum iactus est lapidis moriturus pro peccatis hominum, humanæ quoque infirmitatis veraciter in seipso demonstrauit affectum, & vt desperationem ab infirmioribus membris dignaretur auferre, ipsa virtus, quæ nostrum caput esse voluit, dicere diuinoamore nõ dedignata, quod*

membra eius essent humano postmodum timore dictura. Inde est quod eum Lucas Euangelista commemorat: Pater, si vis, transfer calicem istum à me. Matthæus quoque verba eius hæc esse testatur: Pater meus, si possibile est, transeat à me calix iste. Marcus verò, vt ostenderet quid in illo calice intelligere deberemus, ait: Et cùm processisset paululũ, procidit super terram, & orabat, vt si fieri posset, transiret ab eo hora. Quam hic horam putamus à sancto Euangelista significatam, nisi illam de qua Dominus ait: Nondum venit hora mea. & de qua Ioannes Euangelista dicit: Et nemo misit in eum manus, quia necdum venerat hora eius? Hora vtique non coactitiæ mortis, sed voluntariæ passionis. Hora proculdubio illa, qua triumphalem mortem susciperet, & sõluens dolores inferni, mors ipse mortis misericorditer ac mirabiliter extitisset, sicut iam dixerat per Prophetam: Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne. Hanc horam à domino in ratione calicis nuncupatam beatus Euangelista subsequenter ostendit eius domini oratione subiuncta, qua dicit: Abba pater, omnia possibilia tibi sunt, transfer calicem istum à me. Nempe manifestum est, hoc fuisse orare, vt transiret ab eo hora, quod erat dicere, vt calix transferretur ab eo. Vbi, vt dixi, caput nostrum in se membrorum suorum susceptam demonstrauit infirmitatem, quibus se daturum nouerat patiendi virtutem, vt doceret non ex hoc euacuandum.

Luc. 22.

Matth. 26.

Marc. 14.

Ioan. 2.

Ioan. 7.

Osee. 13.

Marc. 14.

D. PETRI

D. PETRI DIACONI ET ALIORVM QVI IN CAVSA fidei à Græcis ex Oriente Romam missi fuerunt, de Incarnatione & gratia Domini nostri Iesu Christi ad Fulgentium & alios episcopos Africæ, Liber vnus.

CAPVT I.

DOMINIS sanctissimis & cum omni veneratione nominandis, Diacono, Fortunato, Albano, Orontio, Boetho, Fulgentio, Ianuario, & cæteris episcopis, & in Christi confessione decoratis, exigui Petrus Diaconus, Ioãnes Leõtius, Ioannes & cæteri fratres in causâ fidei Romæ directi. Vtile & perneccessarium, sanctisq; Dei ecclesijs specialiter credimus profuturũ, ea quæ de incarnatione & dispensatione diuina nobiscum vniuersæ sanctæ Ecclesiæ Orientaliũ contra hæreticos defendunt, (qui prauis & iniquis argumentis antiquam ecclesiæ fidem inquietare non cessant) sanctitati vestræ suggerere, atque de his cõsensum vestræ beatitudinis suppliciter promereri. Quia in nullo sanctã glorioſamq; confessionem vestrã credimus dissentire. Præsertim cum vno vbiq; spiritu sanctã Dei ecclesiam vegetari minime dubitemus. Nõ enim parua, imò potius magna lætitia vniuersi replebuntur oriẽtales, si sanctitatẽ vestrã suis, imò magis catholicis nouerint in omnibus consentire dogmatibus. Vnde suppliciter petimus & obsecramus beatitudinem vestrã, quatenus diligẽti examinatione, ea quæ inferius cõtinentur discutientes (vt decet verissimos & intrepidos Christi prædicatores) scriptis sententiã vestrã nobis patefacere iubeatis: vt si Deo præstante catholicæ fidei conueniẽs, & apostolicis traditionibus nostra apud vos

(sicut

(sicut non diffidimus) fuerit expositio comprobata, & facilè tantorum virorum, probatissimorumq; sacerdotum authoritate muniti, iniqua loquentium ora obstruere valebimus, & in fide sanctorum patrum perseuerantes, Deo qui nos sanctimonij sui confessione glorificauit, gratias referamus domini sanctissimi & Deo dignissimi. Nunc ea quæ sequuntur diligentius petimus exploretis.

CAPVT II.

IGitur iuxta sanctorum patrum traditionem, dominum nostrum Iesum Christum in duabus naturis vnitis & inconfusis, id est diuinitatis & humanitatis, in vna persona siue subsistētia confitemur. Nec illis acquiescentes qui vnam Dei verbi naturam incarnatam prædicantes, venerabilis Calcidonensis Concilij fidem refugiunt, nec illos admittentes, qui duas naturas dolosè pronunciantes, vnam Dei verbi naturam incarnatam minimè confitentur, æstimātes hoc duarum naturarum professioni contrarium: Quasi aliquid aliud quàm duas naturas ineffabiliter vnitas, vna Dei verbi natura incarnata significet, Beato Cyrillo Alexādrinæ ciuitatis antistite ad Successum episcopum Diocesariæ ita scribente: Si enim vnā naturā dicentes, Dei verbi tacuissemus non inferentes incarnatam, sed velut abijcientes dispensationem, erat illis forsitan non improbabilis sermo simulantibus interrogare, vbi est in humanitate perfectio, aut quomodo substātia nostra subsistit. Quoniam verò & perfectio quæ in humanitate est, & essentia nostræ manifestatio illata est, per id quod dictum est incarnati, iam deserant arundineam virgam sibimet supponentes.

CAPVT III.

BEatam verò virginem Mariam non propter dignitatem hominis illius, qui ex ipsa natus est (quē gratia &

tia & non natura Deum quidam impiè prædicare non metuunt.) Sed propriè & secundum veritatē credimus theotocon, id est Dei genitricem, eo quòd peperit verè & propriè Deum verbum incarnatum, & hominem factum, atq; essentialiter siue naturaliter carni vnitum. Propterea etiam essentialem siue naturalē factam naturarum vnitionem omnimodis confitemur, non sicut illi qui tanquam in propheta ita in Christo domini verbū inoperasse contendunt. Quos redarguit beatus Gregorius Nazianzenus ad Clidonium, dicēs: Si quis sicut in propheta secundum gratiam dicit inoperasse domini verbum, & non essentialiter factam confitetur vnitionem, sit vacuus melioris inoperationis, magis autē plenus sit deterioris. Nec sicut illi qui secundum illustrationem, aut dilectionem, aut affectionem, aut personalem, vel subsistentialem, siue secundum authoritatē, aut potentiam, aut æqualitatem honoris, vnitionem tentāt astruere naturarum. Quos paulò superiùs memoratus Beatus Cyrillus anathematizat dicens contra Nestorium: Si quis in vno Christo diuidit substantias post vnitatem sola societate connectens secundum dignitatem, & authoritatem, aut potentiam, & nō magis coniunctionem, quæ est secundum vnitatem naturalem, anathema sit. Deus enim verbum nō nomine vacuo, non particula sui, sed natura Deus tantus quantus & pater est, æqualis per omnia patri, præter hoc tantummodo quòd ille pater est, iste filius, naturæ se humanæ veniens factus est homo. Hinc etiam à sanctis patribus adunatione ex diuinitate & humanitate Christus dominus noster compositus prædicatur. Quod nolēs Paulus Samosatenus confiteri damnatus est ab Antiocheno Concilio, Malchione presbytero eiusdem Antiochenæ ecclesiæ viro per omnia eruditissimo, & ab vniuersis sacerdotibus qui contra eundem Paulum conuenerant

Gregor. Nazian.

Cyrillus anathematismo. 3.

tunc

tunc electo, qui summũ disputationis certamen à Concilio memorato suscipiens, ita eundem hæreticum inter cætera redarguit, dicens: Ex simplicibus sit certe compositũ, sicut in Christo Iesu, qui ex Deo verbo & humano corpore, quod est ex semine Dauid, vnus factus est, nequaquam vlterius diuisione aliqua, sed vnitate subsistens. Tu vero videris mihi secundum hoc nolle compositionem fateri, vt non substantia sit in eo filius Dei, sed sapientia secundum participationem. Hoc enim dixisti, quòd sapientia dispendium patiatur, & ideo composita esse possit, nec cogitas quod diuina sapientia sicut, antequam se exinaniisset, indiminuta permansit: ita & in hac exinanitione quam gessit misericorditer, indiminuta atque indemutabilis extitit. Et hoc etiam dicis quod sapientia habitaret in eo. Habitamus & nos in domibus, vt alter in altero, sed neque pars domorum nos sumus, nec nostra pars domus est. Similiter etiam beatus Athanasius in libello, cuius est titulus: Athanasius. Quòd vnus sit Christus, Hæreticorum vanitatem refutans, postquam de fide Dei diuinitate inquisitiones eorũ superfluas approbasset, ita prosequitur: Sic, inquit, etiam de incarnatione inquirunt: Quomodo, inquiunt, incarnatus Deus, quomodo incorporatur, quomodo cõponitur? Ad paruum corpusculum incapabilis, quomodo vnitur, increatus creato, & circumscripto incircumscriptus? aut quomodo in partem magnus ille & immẽsus & indiuiduus? Si autem magnitudo illa in paruo loco cõtracta est, aut paruũ illud factum est magnum, aut pars & nõ omnis diuinitas carni vnita est, quod est impium credere. Et prolapsi sunt ex hoc quod dicunt quomodo, & quali modo? & qua sententia impersidiam etiam isti & inhabitationem pro incarnatione operati sunt, & pro vnitate & compositione in operationẽ humanã, & pro vna substãtia domini nostri Iesu Christi, duas

duas subsistentias, & duas personas, & pro sancta & ineffabili Trinitate, quaternitatem indecenter dogmatizãtes & impiè. Rursus beatus Gregorius in sermone de filio: Vno autẽ, inquit, capitulo meo vt altiora quidem assscribas diuinitati, & illi naturæ quæ passionibus & corpore probatur esse superior: humiliora verò cõposito tribuas, qui propter te semetipsum exinaniuit, & incarnatus est. Hinc ergo rectissimè credimus, quod plenus & perfectus Deus verbum etiam post assumptam carnem nullum augmentum detrimentumq; pertulerit, imo vnitione sua ineffabilem gloriam contulerit assumptæ naturæ. Regula.

CAPVT IIII.

HAc de causa Trinitas etiam post incarnationis mysteriũ Trinitas mansit, quia idem Deus verbũ, etiã cum propria carne vnus est ex Trinitate: non quod caro eius sit de substantia trinitatis, sed quia caro Dei verbi est, qui est vnus ex trinitate. Ipse enim omnino & nõ alius ascendit in cælũ, qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Quapropter & Deum verbum passum carne, & crucifixũ carne, sepultũ carne, secundũ B. Cyrillum profitemur, dicẽtem: Si quis non confitetur Deum verbum passum carne, crucifixũ carne, & mortem carne gustasse, factumq; primogenitum ex mortuis, secundum quod est vita & viuificator tanquam Deus, anathema sit. Similiter etiam hominem Christum dicimus verbum, secundum illud beati Iohannis: Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ tractauerunt de verbo vitæ. Neque enim verbum secundum deitatis suæ naturam tractari potuit manibus humanis, nisi fieret homo. Est etiam proculdubio puer ille quem beata virgo genuit, quem pannis inuoluit, quem in præsepio collocauit, quẽ octauo die circuncidit, Ioan. 3. Cyrill. anathematis. mo 12. 1. Iohan. 1.

quem

quem Symeon vir iustus propriis amplexatus est gremiis, quẽ subiectum parentibus Euangelistæ referunt, quem profeciſſe atate & ſapientia proteſtantur, natura Deus, per quem facta ſunt omnia viſibilia & inuiſibilia, vnigenitus & primogenitus, in quo omnia conſtant ſecundum Apoſtolum. Et hoc ipſum claris vocibus etiã Eſaias propheta proteſtatur dicens: Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cuius poteſtas in humero eius, & vocabitur magni conſilij angelus, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, dominator, princeps pacis, pater futuri ſeculi. Et idcirco acquieſcendum illis nullatenus credimus, qui puero illi Deum fortẽ vnitum aſſerunt, nec Deum fortem ipſum eſſe puerum credunt, præſertim cùm non alterius cuiuſlibet, ſed eius omnino thronum qui de ſpiritu ſancto & Maria virgine natus eſt, atque in Iordane à Ioanne vt aquas ſanctificaret baptizatus eſt, in ſeculum ſeculi virga æquitatis, virga regni tui, dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Quomodo autem vngi poterat Deus, cuius thronus eſt in ſeculum, niſi fieret homo?

Coloſ. 1. Eſaiæ 9.

CAPVT V.

SEcundùm hanc ergo prophetæ ſententiam, Deus factus eſt Chriſtus, non autem Chriſtus factus eſt Deus, ſicut dicunt hæretici, qui per prouectum, non per naturam Chriſtum Deum audẽt aſſerere: Deus enim vnctus eſt, quia ipſe factus eſt homo, non enim eſt alter Deus, alter homo: ſed idem Deus, idem homo. Qui enim naturalis eſt filius virginis, idem naturalis eſt filius Dei, propterea & duas natiuitates credimus Dei verbi, & confitemur, id eſt, vnam ante ſecula in patre ſecundùm diuinitatem, alteram in nouiſſimis diebus à virgine ſancta ſecundum carnem: execrantes eos qui negant

Duæ natiuitates verbi Dei.

negant ſecundum carnem Dei verbi natiuitatem: qui etiam refugiunt vnius eiuſdemq; filij Dei fateri mirabilia, & paſſiones, quod omnis Dei eccleſia cõfitetur. Accipimus autem & quatuor concilia ſecundum hũc expoſitionis noſtræ ſenſum, Nicenum trecentorũ decem & octo epiſcoporũ, Conſtantinopolitanũ centũ et quinquaginta, qui damnauerũt impios pneumatomachos, necnon etiam Epheſinum primum, cui præfuerunt beatiſſimi Celeſtinus Romanus, & Cyrillus Alexandrinus antiſtites, & ſanctum ac venerabile, quod apud Calcedonam celebratum eſt. Epiſtolas quoque beati Leonis amplectimur, anathematizantes vniuerſos contraria dogmatibus eccleſiæ ſentientes, ſimul & omnia ſcripta Theodori Mopſueſtini, & Neſtorij diſcipuli eius, omneſq; qui illis ſimilia ſapiunt cum eodem Neſtorio, necnon etiam cuncta ſcripta 12. capitulis aduerſantia beati Cyrilli, quæ contra eundem Neſtorium edidit: his adijcientes Euticem, Dioſcorum cum ſocijs eorum, omneſq; quos iuſtè ac regulariter ſedes apoſtolica condemnauit.*

* id eſt, ſpiritus ſancti impugnatores.

CAPVT VI.

POſt hæc conſequens eſt etiam qualiter de Chriſti gratia ſentiamus, qua nos eruit de poteſtate ſathanæ, ſecũdum quod nobis eſt traditũ veſtræ beatitudini declarare: quia etiã in hac parte authoritas veſtra nobis valde eſt neceſſaria. Credimus itaq; bonum & ſine vlla carnis impugnatione à Deo creatore omnium factum Adã, magnaq; præditũ libertate, ita vt & bonum facere in propria facultate haberet, & malum ſi vellet poſſet admittere. Eratq; mors & immortalitas in eius poſita quodammodo arbitrij libertate. Capax enim erat vtriuſque rei, vt ſi ſeruaret præceptum, ſine experientia mortis fieret immortalis: ſi vero contemneret, mors continuo ſequeretur. Itaque ſerpentis aſtutia de

Qualis Adam ſit creatus.

A praua

prauatus, sponte diuinæ legis præuaricator effectus est, & ideo secundùm quod ei prædictum fuerat, iusto iudicio Dei, mortis pœna damnatur, totusq;, id est, secũdùm corpus & secundum animam in deterius commutatus, amissa libertate propria, sub peccati seruitio mãcipatur. Ex hoc nullus est hominum qui non huius peccati vinculo nascatur astrictus, præter eum qui ad hoc vinculum peccati soluendum, nouo generationis modo natus est, mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Quid enim aliud potuit aut potest nasci ex seruo, nisi seruus? neq; enim cùm esset liber Adã, filios procreauit, sed postquam seruus peccati factus est. Ideo sicut omnis ab illo est, ita & omnis homo seruus peccati per ipsum est. Hinc & Apostolus, ex vno, inquit, in omnes homines in condemnationem. & rursus: Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Falluntur ergo omnimodo qui dicunt mortẽ solam, non & peccatum transisse in genus humanum. Cùm apostolus & peccatũ & mortem mundo per eum testetur illatum. Ab hac igitur damnatione & morte nullus omnino liberatur, nisi gratia redemptoris. Qui cùm esset dominus, vtpote Deus, vt nos à seruitute perpetua, & potestate diaboli liberaret, atque ad veram libertatem educeret, factus est seruus, accipiens formam serui. Hinc est, quod dicit ad Iudæos: Tunc verè liberi eritis, si vos filius liberauerit. Putabant enim se verè liberos, qui humanis occupationibus intentione vanissima seruiebant. Vt ergo falsa libertas fieret Christiana libertas, eadem libertas liberatore indiguit, quo posset per eius gratiã ab occupationibus humanis auersa, ea cogitare & desiderare, quæ pertinent ad vitam æternam. Sine hac igitur gratia potest quidem cogitare & desiderare humana, non autem

Per peccatum totus homo factus est deterior.

Rom. 5.

Ioan. 8.

Sine gratia, non nisi humana cogitantur.

autem potest cogitare aut velle, seu desiderare diuina. Quorum primum est & præcipuum fundamentum, & crepido quodammodo siue omnium bonorum origo, credere in dominum gloriæ crucifixum. Quod vtique non est ex naturalis arbitrij libertate, quia non hoc caro & sanguis, sed pater cælestis reuelat cui voluerit, ad veram eum attrahens libertatem, non violenta necessitate, sed infundendo suauitatem per spiritum sanctum, vt mox credentes dicamus: quia dominus est Iesus, quod nemo per naturalem arbitrij libertatem potest dicere nisi in spiritu sancto. Frustra ergo garriunt qui dicunt, meum est velle credere, Dei autem gratia est adiuuare, cum etiam ipsum credere, quod est consensum præbere veritati, nobis à Deo dari testetur Apostolus, dicens: Vobis enim datũ est à Christo, nõ solùm vt in eum credatis, verumetiam vt pro illo patiamini.

Quid sit credere.

Philip. 1.

CAPVT VII.

SEd dicunt, si nolentes Deus facit vt velint credere, nullus autẽ est qui naturaliter, vt dicitis, potest credere in filio Dei, aut aliquid boni velle quod pertinet ad vitam æternã, cur ergo non facit omnes velle, cùm nõ sit personarum acceptio apud Deũ, præsertim cum de ipso scriptum sit: Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire. Aut enim vult & nõ potest, aut mẽtitur scriptura diuina. Quod si horũ quodlibet sentire est impium, restat vt non ille excitet voluntatem humanam, sed eam expectet ab homine, vt æquum sit in volentibus præmium, in nolentibus autem iusta damnatio. Hæc si ita sunt, vt hæretici iactitant, comprehensa sunt ab ipsis inscrutabilia, & incomprehensibilia Dei iudicia. Si enim, vt ipsi volunt, nolentes damnat, saluat autem volentes, nihil est omnino quod quæratur vlterius. Et quantum ad ipsos, fallit scriptura

Obiectio.

1. Tim. 2.

Solutio.

diuina, quæ incomprehensibilia Dei testatur iudicia. Nos autem incomprehensibilia credentes & demonstrantes iudicia Dei, ex vna massa perditionis alios saluari dicimus bonitate & gratia Dei, alios iusto & occulto iudicio derelinqui. Alioquin dicant si possunt hi qui hoc diuinæ iustitiæ & bonitati contrariũ æstimant, cur is qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, tam multas virtutes fecit in Corozaim & Bethsaida, & nullam harum in Tyro & Sydone facere voluit, vbi si factæ fuissent, (sicut ipse testatur) forsitan in cinere & cilicio pœnitẽtiam egissent? Aut cur in Asia & Bithimia Apostolum vetuit verbum salutis annunciare? Quòd si ista nequeũt comprehendi, redeant ad se, & inuenientes se homines, desinant quærere: cur alios saluet gratuito dono, alios derelinquat iusto & occulto iudicio, qui potestatem habet ex eadem massa aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam, & clament vnà nobiscum, imò iuxta Apostolum: Roma. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum domini? Aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit ei & retribuetur illi? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorũ Amen. Manifestè ergo non nobis, sed Apostolo, omnino resistit, qui dicit: nisi ego prius voluero, gratia ad me non venit. Quod omnino nihil aliud est dicere, nisi prius dare Deo, vt retribuatur illi.*

CAPVT VIII.

SEd nos sequentes eundem Apostolum, omnem bonarum cogitationum originem, earumq; confessionem & voluntatẽ ex Deo & per Deum & in Deo dicimus, qui prauas hominũ voluntates & terrenis actibus

bus implicatas, per infusionem & operationem intrinsecus sancti spiritus absoluit, & corrigit, sicut scriptum est: Præparatur voluntas à Domino. Hinc etiam beatus Basilius Cæsarienſis Episcopus in oratione sacri altaris, quam penè vniuersus frequẽtat Oriens. Inter cætera: Dona (inquit) domine virtutem ac tutamẽtum, malos quæsumus bonos facito, bonos in bonitate conserua, omnia enim potes, & non est qui contradicat tibi, cùm enim volueris saluas, & nullus resistit voluntati tuæ. Ecce quàm breuiter, quamq; districtè, doctor egregius olim huic controuersiæ finem posuit, docẽs per hanc precẽ, non à seipsis, sed à Deo malos homines bonos fieri, nec sua virtute, sed diuinæ gratiæ adiutorio in ipsa bonitate perseuerare. Similiter beatus Innocentius Apostolicæ sedis antistes, in epistola ad Concilium Mileuitanum: Omnia, inquit studia & omnia opera ac merita sanctorum, ad Dei gloriam laudemq; referenda sunt, quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donauerit. Quod diligẽtius manifestiusq; in epistola sua ad Papam Romanum replicantes, ipsius Papæ sententiam explicant Africana Concilia dicentes: Illud autẽ quod in literis, quas ad vniuersas prouincias curasti esse mittendas, posuisti, dicẽs: Nos tamen instinctu Dei (omnia enim bona ad authorem suum referenda sunt vnde nascuntur) ad fratrum & coepiscoporum nostrorum conscientiam vniuersa retulimus: sic accipimus dictum, vt illos qui contra Dei adiutoriũ extollunt arbitrij libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim transiens amputares. Quid enim tã libero fecisti arbitrio, quàm quòd vniuersa in humilitatis nostræ conscientiam retulisti? Et tamẽ instinctu Dei factũ fideliter sapienterq; vidisti, veraciter fidẽterq; dixisti, ideo vtiq; quia præparatur volũtas à domino, & vt boni aliquid agãt, paternis inspirationibus suorũ ipse tangit corda filiorum.

Basilius.

Vide in capitulis Celest. cap. 8.

Rom. 8. *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei, vt nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius præuenire non dubitemus gratiam, quòd ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisq; motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. His cõgrue beatissimus Celestinus in epistola ad Gallos data:* Celest. cap. 11. *Cum enim (inquit) sanctarum plebium præsules mandata sibi legatione fungantur, apud diuinã clementiam humani generis agunt causam, & tota secum ecclesia congemiscente postulant & precantur, vt infidelibus donetur fides, vt idolatræ ab infidelitatis suæ liberentur erroribus, vt Iudæis ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, vt hæretici catholicæ fidei perceptione resipiscãt, vt schismatici spiritum rediuiuæ charitatis accipiant, vt lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, vt denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis, cælestis misericordiæ aula reseretur. Hæc autem non perfunctoriè neque inaniter à domino peti rerum ipsarum monstrat effectus, quandoquidem ex omni errorum genere, plurimos dignatur attrahere, quos eruens de potestate tenebrarum, transfert in regnum filij charitatis suæ, & ex vasis iræ facit vasa misericordiæ, quod à Deo totum diuini operis esse sentitur, vt hæc efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisq; confessio pro illuminatione talium vel correctione referatur.* Idē cap. 12. *Rursus post pauca. His ergo, inquit, ecclesiasticis regulis ex diuina sumptis authoritate documentis, ita adiuuante domino Deo confirmatissimus, & omnium bonorum effectuum, atque operum, & omnium studiorum, omniumq; virtutum quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur authorem: & non dubitemus ab ipsius gratia omnis hominis merita præueniri, per quem sit vt aliquid boni & velle incipiamus & facere: quo vtique auxilio & munere Dei non aufertur liberũ arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudenti sit prouidum. Terminat autem idem magister hanc ipsam epistolam, atque concludit ita, dicens: Quia ad confitendam gratiam Dei, cuius* Idē cap. 13. *operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quicquid secundùm prædictas regulas apostolicæ sedis nos scripta docuerunt; vt prorsus non opinemur catholicum quod apparuerit præfixis esse sententijs contrarium. Hæc sanctissimi non quasi ignorantibus suggerere necessarium æstimauimus. Sed ad confutandum eorum amentiam, qui ea vt noua dogmata, & penitus ecclesijs inaudita refugiunt, huic paruitatis nostræ libello inserere vtile considerauimus. Quorũ omnium sanctorum patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium & Celestinum, simulq; etiam Iulianum Edanensem, & qui illis similia sapiunt, præcipuè libros Fausti Galliarum episcopi, qui* Libri Fausti contra prædestinationem. *de monasterio Lirinensi prouectus est, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est. In quibus non solum contra horum omnium sanctorum patrum, verumetiam contra ipsius Apostoli contradictionem veniens, humano labori subiungit gratiæ adiutorium, atq; totam omnino Christi euacuans gratiam, antiquos sanctos non ea gratia qua & nos, secundum quod docet beatissimus Petrus Apostolus, sed naturæ possibilitate saluatos impiè profitetur. Petrus misericordia Dei Diaconus subscripsit. Ioannes misericordiæ Dei monachus subscripsit. Leontius misericordia Dei monachus subscripsit. Ioannes Lector misericordia Dei subscripsit.*

D. FVLGENTII RVSPENSIS EPISCOPI DE INCARNATIONE & gratia Domini nostri Iesu Christi, ad Petrum Diaconum & alios qui ex Oriente in causa fidei Romam missi sunt, Liber vnus.

CAPVT I.

DILECTISSIMIS, & *in Christi fide atq; gratia plurimùm amplectendis, sanctis fratribus, Petro Diacono, Ioanni Leontio, & alio Ioanni, cæterisq; fratribus quos vnà vobiscum in causa fidei Romæ directos literis intimastis, Dacianus, Fortunatus, Boechos, Victor, Scholasticus, Horontius, Vindicianus, Victor, Ianuarius, Victorianus, Fotinus, Quoduultdeus, Fulgentius, Fœlix, & Ianuarius in domino salutem. Beatus frater noster Ioannes Diaconus à vestra societate directus, literas nobis quas misistis habuit, quibus recensitis vestram simul alacres & fidem cognouimus & salutem, imò in agnitione fidei vestra nobis salus innotuit. Quæ enim vera in hac vita salus est hominum, nisi recta in Deum fides, quæ per charitatem operatur, per quam nos gratia diuina saluatos apostolica testatur authoritas, dicens:*

Ephes.2. *Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis extollatur. Et quia charitas rectæ fidei debet iugiter adhærere, quæ studio atque efficacia bonorum operum cooperit multitudinem peccatorum, ideo doctor gentium in fide & veritate, ne quid sibi humani tumoris auderet arrogantia vendicare, post commendationem fidei per quam gratis salui facti sumus, operum quoque bonorum gratiam, muneribus diuinæ benignitatis assignans*

rum subsequẽter adiunxit. Ipsius enim sumus factura creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Ephes.2. *Deus vt in illis ambulemus. In eis nos Deo dirigente ambulare, ipso rerum gaudemus effectu. Solicitudine* Rom.12. *quippe non pigri, & spiritu feruentes, quò deuotione laudabiliore domino seruitis, eò charitas de corde puro & conscientia bona & fide non ficta nos instigat pro fidei communione plenius agnoscenda vestri exilij secreta perquirere. Quia igitur sermo Dei non est alligatus* 2.Tim.2. *qui viuus est & efficax, idcirco nos quoque ea quæ de incarnatione ac dispensatione domini nostri Iesu Christi, & de gratia (quæ gratis indignis ita tribuitur, vt ipsa in nobis & exordium & profectum bonæ voluntatis operetur) canonicorum sancta authoritate voluminum, paternorum quoque doctorum doctrina, atque institutione percipimus & tenemus, vestræ charitati rescripto indice demonstrauimus, confidentes in domino (à quo & fides infunditur, vt corde credamus ad iustitiam, & sermo datur, vt ore confiteamur ad salutem) quod nostrum pariter & sensum gubernauit & stylum, vt vestræ interrogationi talis reddatur nostra responsio, in qua & de incarnatione domini ea dicamus, quæ nostræ redemptionis continet veritas: & de gratia Dei ea loquamur, quæ nobis ipsa gratis infundit superna maiestas.*

CAPVT II.

DIcitis itaque vos iuxta sanctorum patrum traditionem, dominum nostrum Iesum Christum in duabus naturis vnitis & inconfusis, id est, diuinitatis & humanitatis in vna persona siue subsistẽtia confiteri. Vnde consequenter beatam quoque Mariam propriè & secundum veritatem vos credere asseritis genitricem Dei, eò quòd scilicet peperit verè & propriè Deum verbum incarnatum & hominem factum, atque essen-

tialiter siue naturaliter carni vnitum. Hæc ex epistolæ vestræ tenore posuisse sufficiat. Ex his enim pendent cætera, quæ de incarnatione domini sermonis vestri professio comprehendit. Si quis igitur in domino nostro Iesu Christo aut duas naturas aut vnam noluerit, siue dubitauerit credere ac prædicare personam: Vel si quis noluerit confiteri eundem Deum atque hominem, id est, verbum incarnatum, de Maria virgine pro nostra salute veraciter natum, tantum à catholica fide deprehenditur ac demonstratur extraneus, quantum sacramento redemptionis humanæ resistit ingratus.

1.Tim.3. *Hoc enim est illud magnum pietatis commendatum fidelibus cunctis ore apostolico sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria. Quia scilicet verbum quod in principio erat, & apud Deum erat, & Deus verbum erat, id est, Dei vnigenitus filius, Deiq; virtus & sapientia, per quem & in quo facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, id est, Deus vnigenitus cùm in forma Dei esset, id est, cum æqualis per omnia genitori vnitatem cum eo naturalis essentiæ possideret, & in ea natura quam sempiternus habet ex patre, hoc quod naturaliter pater est, id est, Deus verus summus incommutabilisq; esset, neq; alter à patre Deus, sed manente personali discretione, vnus naturaliter cum patre Deus esset, nec minor scilicet nec posterior patre, nec diuersæ potestatis, nec alterius essentiæ: (nõ enim rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo) tamen semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, id est, in similitudine hominum factus, idem habitu inuentus vt homo, in quo nulla potuit esse rapinæ arbitratio, quia de substantia patris ineffabili ac sempiterna natiuitate genita, naturalis æqualitatis in eo per-*

eo permanet plenitudo. Semetipsum igitur exinaniuit formam serui accipiens. In eo quippe Deus homo esse Philip.2. *naturaliter voluit, & dominus omniũ rerum, seruilem naturam sine amissione propriæ dominationis assumpsit, in quo serui formam misericorditer exinanitus accepit. Quam bene autem sanctus Apostolus noui testamẽti, sicut ipse testatur, factus à Deo minister idoneus, ne quisquam nostrum exinanitum Dei filium audiẽs, amissam vel diminutam æqualitatem paternæ formæ in Deo vnigenito noxia cogitatione cõciperet, & obliquos sequens serpẽtinæ deceptionis anfractus, rectæ fidei tramitem non teneret, illa exinanitione submotis reseruauit ambagibus, quãdo subsequenter adiecit, formã serui accipiens. Illa igitur exinanitio vnigeniti Dei, acceptio fuit formæ seruilis, non amissio vel diminutio deitatis. Diuina quippe natura nec minui potest aliquatenus nec augeri, quia incõmutabilis manens hoc habet semper esse quod est. Nã si Deus ille verus & summus, qui propter nos egenus factus est, cùm esset dines, vt illius* 2.Cor.8. *paupertate nos diuites essemus, plenitudinem suam quod nefas est, exinanitus amitteret, aut aliquid mutabilitatis in illa formæ seruilis acceptione sentiret, non dixisset beatus Ioannes Euangelista de verbo incarnato. Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à* Ioan.1. *patre, plenum gratiæ & veritatis. Verbum itaque caro factum in veritate humana caro esse cœpit, sed in veritate diuina verbum esse non desitit. Et susceptionis ac redemptionis humanæ mysterium ideo efficaciter peregit redemptoris admiranda benignitas, quia nec mutabilitatis, nec diminutionis vnquam receptrix esse potuit diuina maiestas. Verbum igitur Dei, idemq; verbum Deus, humanam carnem de carne matris accipiens, sic vtique formam serui accepit, vt permanens in forma Dei æternus atque incommutabilis Deus per vnitatem*

vnitatem personæ in quam formam serui accepit, fieri dignaretur ipse quod fecit. In similitudinem quippe hominum factus, habitu est inuentus vt homo, & incommutabilem habens de natura patris per omnia deitatem, creari dignatus est nõ creatus, & fieri voluit ex muliere non factus à patre, sed genitus. Atque ita verbum caro factum est, vt esset vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui est super omnia Deus benedictus in secula, vnus & verus Dei atque hominis filius, vnus idemq; de patre sine initio Deus semper genitus, de matre verò Deus secundùm carnem temporaliter conceptus & natus. Quam carnem non conceptam accepit vnigenitus Deus, sed in ea est Deus ipse altissima humilitate conceptus. Idem quippe Deus creatus est in virgine, & de virgine secundum carnem, qui sibi de qua & in qua crearetur creauerat genitricẽ.

Verbũ carnem cõceptam non accepit.

CAPVT III.

SI autem Deus verbum sic in virgine caro fieret vt ex ea non fieret, proculdubio non de carne matris idem Deus haberet substantiam carnis, esseteq; eius per virginem transitus, atque ita nec mediatoris sacramentum nobis proficeret ad salutem, nec humanæ diuinæq; plenam in se Christus Dei filius inconfusibiliter vniret substantiæ veritatem. Hoc ergo medicinaliter vsa est bonitas diuina remedio, vt ille vnigenitus Deus, qui est in sinu patris, non solùm in muliere, sed etiam ex muliere fieret homo. Quod indubitanter diuinis credere atque iubemur oraculis. In ea quippe Deum hominem factum propheta non tacuit, dicens: Mater Syon dicet, homo & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Esaias quoque spiritu sancto plenus, futuræ incarnationis filij Dei sic prænunciat sacramentum: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium,

Psal. 86.

Esaiæ 7.

filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod interpretatur, nobiscum Deus. Quia ergo ille quem in vtero virgo cõcepit & peperit, nobiscum Deus vocatur, Deus vtique in vtero virginis conceptus natusq; cognoscitur. In euangelio quoque dicitur de Maria: Inuenta est in vtero habens de spiritu sancto. Etiam Ioseph, quem virum Maria non ad cõcubitum corruptelamq; carnis, sed ad testimonium custodiamq; sacræ virginitatis & castissimæ fœcũditatis habuit, angelico sic admonetur oraculo: Ioseph fili Dauid, ne timeas accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Ex ipsa quoque factus cælestibus demonstratur eloquijs. Dicit enim Apostolus: Postquam autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Romanis etiam scribens, vt verũ firmumq; ponere se demonstraret fundamentum fidei, epistolæ suæ tale collocauit exordium: Paulus seruus Iesu Christi vocatus Apostolus segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos, in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Timotheo quoque dilecto filio in fide principaliter huius fidei sollicita commendat affectione memoriam, dicens: Memor esto Christum Iesum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid secundum Euangelium meum. Ad ipsam quoque beatam virginem futuram scilicet creatoris sui, imò rerum omnium genitricem, Gabriel Angelus hoc vsus inuenitur alloquio: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: Ideo quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Ad hoc pertinet salutis nostræ mysterium, quod pater noster Abraham dispensatorem domus suæ præcepit sub eius fœmore manum ponere, & iurare per Deum cæli. Quod non nisi spiritu fecisse creden-

Verbum factum est ex virgine.

Gal. 4.

Rom. 1.

2. Tim. 2.

Lucæ 1. d.

Genes. 24.

credendus est, tunc scilicet quando omnia in figura contigisse vas electionis insinuat. Illud igitur ideo sanctus Abraham pater gentium fecit, non quia carni suæ credebat aliquod iam esse cum Deo cali naturale consortium, sed vt ostenderet Deum cali ex ea carne nasciturum hominem, quæ de semine ipsius Abrahæ propaginis duceret veritatem. Vnus est igitur Christus Dei filius in natura diuinitatis & carnis, in quo singularitas personalis nõ confundit humanam diuinámque naturam, & inconfusa vnitio naturarum non facit geminam inesse personam. Veritas enim propterea nostræ reconciliationis permanet & salutis, quia & Deus vnigenitus verus homo pro nobis est factus, & idem homo non alius conceptus & natus est quàm vnigenitus Deus. Beata igitur Maria Deum verbum, secundùm quod caro factum est, & concepit & peperit. Cuius vtero verbum Deus non carnem, in qua conciperetur, intulit, nec ex ea materiam conceptæ siue formatæ carnis non ipse Deus concipiendus, sed tantùm nasciturus assumpsit: Sed ex ea & in eadem virgine humanæ carnis naturam, secundùm quam temporaliter Deus sempiternus conciperetur & nasceretur, accepit. Ipsa quippe acceptio carnis fuit conceptio virginalis, neque enim in vtero sanctæ illius & matris & virginis, illa spiritualis & ex Deo Patre sine initio genita verbi Dei natura, poterat absque carne temporaliter concipi, sicut nec caro sine verbi Dei vnitione potuit aliquatenus nullius viri coitu seminata in intimo vuluæ virginalis innasci. Hanc ergo carnem tunc ex se natura virginis concipientis exhibuit, cùm in eam Deus concipiendus aduenit. Non est igitur aliquod interuallum temporis æstimandum, inter conceptæ carnis initium, & concipiendæ maiestatis aduentum. Vna quippe fuit in vtero Mariæ virginis conceptio diuinita-

1. Cor. 1. c.

diuinitatis & carnis, & vnus est Christus Dei filius in vtraque natura conceptus, vt maculam vitiatæ propaginis inde inciperet abolere, vnde in vnoquoque nascentium videbatur existere.

CAPVT IIII.

NAm quia omnes homines ex coitu maris fœminæq; nascentes, ipsius conceptionis exordium originalis peccati habent contagione respersum, quia peccatum quod primus homo cùm esset natura bonus, diabolica malignitate seductus admisit, in posteros quoque cum pœna ac cum morte transiuit. Quod in veritate sanctus Dauid enunciat, dicens: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea: necessarium vtique admodum fuit vt misericors dominus & iustus iniquitatis humanæ vestigia deleturus, in ipso conceptu sibi humanam naturam dignaretur immaculatam immaculatus vnire, vbi eam consueuerat per inflictam peccati originalis maculam suæ parti dominióque diabolus vendicare. Naturæ igitur humanæ, cuius veritatem plenitudinémque Deus vnigenitus assumere voluit, conceptum quoque eius natiuitatémque suscepit. Absit enim vt quisquam catholicus credat aut dicat, quòd vnigenitus Deus suo nos sanguine redempturus, in ea carne qua idem Deus factus est homo, respuerit humanæ conceptionis initia, cùm in eadem carne Deus ipse immortalis permanens humanæ mortalitatis fuisset passurus extrema. Sicut enim carne moriens incommutabilem atque inamissibilem naturalem sui statum Deus verus viuúsque non perdidit, sic idem Deus vniuersus naturaliter & æternus cùm parua carne conciperetur, vniuersitate naturali non caruit. Et cùm temporaliter carne nasceretur, æternitatem

Psalm. 50.

tem naturalem, in qua de patre atque in patre sempiternus Deus est, non amisit, quia vita illa suum voluit esse quem in carne suscepit, obitum & æternitas illa suum habuit in matre conceptū. Verbum igitur Deus, id est vnigenitus Dei filius, qui est in omnibus (sicut ipse testatur) alpha & Ω, initium & finis, sic initialiter secundùm humanam naturam concipi carne non abnuit, sicut eadem carne moriens, Deus humanæ naturæ debitum finale persoluit. Nullatenus namq; humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi vnione verbi Dei, non naturali confusione, sed solùm personali vnitate transiret. Verbū quippe cùm caro fieret, vnitione mirabili suam naturam fecit, quam ex nobis accepit. In qua tamen vnitione deifica, & omnino mirabili, verbi diuinitas mutata non est in carnem, veraq; verbi humanitas naturalem prorsus tenuit nostri generis veritatem. Virgo igitur, quòd sæpe commemorandum, ipsum Deum verbum secundum hoc quod in ea caro factum est, & concepit & peperit, & illum vnigenitum Deum, virtutem scilicet & sapientiam Dei, candorem lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imaginem bonitatis illius, splendorem gloriæ, & figuram substantiæ eius, quem sine vllo initio de sua natura sempiternum atque incommutabilem genuit incommutabilis ac sempiterna diuinitas patris: eundem humana natura totum plenumq; Deum & hominem initialiter concepit & peperit vterus virginalis.

Apoc. 1.

CAPVT V.

CVm autem dominum Christum Deum hominémque dicimus, non personalem dualitatē, sed vtriusque naturæ vnitionem verissimam sine vlla facta confusione monstramus. Idem quippe Deus qui homo, idem

idem homo qui Deus est, quia sic Deo verbo mirabiliter vnita est humana natura, vt ipse verus Deus verus homo fieret, alterā verò personam incarnati verbi vera humanitas non haberet. Accessit enim Deo humana substantia non persona. Deus itaq; cum sua carne vnus est Christus, filius Dei & filius hominis, idem verbum simul & caro, imò idem verbum caro, quia idem Deus homo.

CAPVT VI.

NOn autem sic Deus verbum carnem accepit, vt caro non fieret, cùm Euangelista dicat, Verbum caro factum est. Neq; naturam carnis ita Deus summus atque vniuersus assumpsit, vt tanquàm in vno de patriarchis aut prophetis, in illo quidem homine Deus esset, sed idem Deus homo non esset. Absit vt hoc Christiana conscientia teneat, aut se quisquam fideliū profanari tanta impietate permittat. Cùm enim verbum caro factum est, sic diuinitas humanitatem sibi mirabiliter vnire dignata est, vt vtriusq; naturæ veritate seruata, in vno eodemq; Deo atq; homine Christo pro vita mūdi diuina fieret illa eius humanitas. Deus enim non continens in ira misericordias suas, ad hoc homo factus est, vt quicquid in homine creauerat integrum, idem Deus in se totum redintegraret assumptum. Hoc itaq; habuit, Dei hominisq; mirabilis quidem, sed verus ille secundùm carnem conceptus & partus, quo Deum cæli virgo ineffabiliter cōcepit & peperit, & virgo genitrix inuiolata permansit, illa scilicet gratia plena, & beata in mulieribus veraciter ab angelo nuncupata, quòd gratiæ præuenientis ope atque opere spiritu sancto superueniente in se, & virtute altissimi obumbrante sibi Deum Dei filium conceptura, viri coitum nec pertulit omnino nec voluit, sed virginitatem retinens & mentis & corporis, ab eo quem conceptura & paritura fuerat

Ioan. 1.

Psalm. 76.

donum incorruptæ fœcunditatis & fœcũdæ integritatis accepit. Ita Deum verbum secundum quod caro factum est, virgo sancta concepit, angelorum hominumq; factorẽ, eundemq; nihilominus virgo peperit hominum redemptorem. Nec enim sancta virgo Maria Deum sine carnis assumptione, nec carnẽ sine vnitione cõcepit, quia ille conceptus virginis Deo fuit carniq; communis. Hæc est gratia qua factum est, vt Deus qui venit peccata tollere, quia peccatum in eo non est, homo conciperetur, atq; nasceretur in similitudine carnis peccati, de carne peccati. Caro quippe Mariæ, quæ in iniquitatibus fuerat humana solennitate concepta, caro fuit vtiq; peccati, quæ filium Dei genuit in similitudinem carnis peccati. Testatur enim Apostolus, quia misit Deus filium suum in similitudinẽ carnis peccati, illum scilicet qui cùm in forma Dei esset, non rapinã arbitratus est esse se æqualẽ Deo, & semetipsum exinaniuit formam serui accipiẽs, in similitudine hominũ factus. Propterea verò in similitudine carnis peccati missus est Dei filius, idẽ qui in similitudine hominũ factus, vt & similis hominibus fieret in veritate carnis quã ipse creauerat, et dissimilitudinẽ nostrã Deus in carne sine peccato creatus auferret, quam nostræ carni nõ ex opere suo, sed ex nostro peccato inesse cernebat. In similitudine igitur carnis peccati Dei filius missus apparuit, quia in eius vera humana carne nõ iniquitas hominis, sed mortalitas fuit. Similitudo verò carnis peccati cùm in Dei filio vel potius Dei filius in similitudine carnis peccati, cùm dicitur, credendum est vnigenitũ Deũ de virginis carne mortalis non traxisse peccati sordẽ, sed accepisse naturæ integrã veritatẽ, vt veritatis ortus de terra existeret, quem prophetali sermone B. Dauid insinuat, dicẽs: veritas de terra orta est. Verè igitur Deũ verbũ Maria concepit quod incarnatũ peperit, quã Deus accepit.

Caro Mariæ caro peccati fuit.

Rom. 8.

Philip. 2.

CAP.

CAPVT VII.

SEd ipsum Deum hominem factum & concipere & parere, non humanis meritis, sed concepti nascẽtisq; ex ea summi Dei dignatione promeruit. Nisi enim verbum Deus humanam sibi vniens singulariter naturam, ex virgine homo verus nasceretur, & plenus: nunquam nobis carnaliter natis, spiritualiter nascendi cõferretur exortus. Sed vt carnaliter donaretur diuina natiuitas, prius concepta & nata est in veritate carnis vnigeniti filij diuina maiestas. Longe enim fuit à peccatoribus salus, & iniquitates nostræ magna nos à Deo separatione disiũxerant. Et quia in ipsa natiuitate carnis nostræ, mortis vinculo tenebamur obstricti, à quo sõlius beneficio spiritualis natiuitatis possemus absolui, Deus natus est ex homine, vt ex Deo homines nascerentur. Ideo namq; Christus filius Dei, id est Deus verus & vita æterna, natus & mortuus est in veritate carnis, vt nos spiritualiter in vno trinitatis nomine renasceremur in sacramento baptismatis. Hoc docet apostolus, dicens: Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Christi ergo filij Dei prima natiuitas ex Deo, secunda ex homine: nostra vero prima natiuitas ex homine, secunda ex Deo. Et quia Deus nasciturus ex vtero veritatem carnis accepit, ideo nobis renatis in baptismo, spiritum adoptionis indulsit. Ille quod ex prima natiuitate natura non fuit, secunda natiuitate per gratiam factus est, vt nos quod primæ natiuitatis natura non fuimus, gratia secundæ natiuitatis essemus. Sed Deus vt ex homine nasceretur gratiam nobis attulit, nos autem gratiam gratis accipimus, vt diuinæ consortes naturæ, Dei ex carne nascentis munere fieremus. Quia ergo filius Dei factus filius hominis, propterea quotquot receperunt eum (sicut beatus Iohannes Euangelista testatur)

Pſal. 118. Esaiæ 59.

Rom. 6.

Ioan. 1.

dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Si verò vnigenitus filius qui est in sinu patris, post æternam natiuitatem, quam ex æterno patre filius coæternus habet, secundam natiuitatem sanctificandi hominis gratia non susciperet, homo in iniquitatibus conceptus, primæ natiuitatis nexibus non careret. Sed quia secundùm beati Ioannis eloquium, in hoc apparuit filius Dei, vt soluat opera diaboli, ille qui in prima natiuitate qua de patris natura verus Deus est
1.Ioan.3. *& vita æterna, nullū haberet natiuitatis initium, idem Deus ex virgine temporaliter sumpsit secundæ natiuitatis exordium.*

CAPVT VIII.

ILle itaq; viuus sermo Dei, vitæ suæ statu incommutabiliter permanente, post primam natiuitatem cum patre, de quo natus vna naturaliter vita est, quia sicut
Ioan.5. *habet pater vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso. Idem ipse Dei filius in natura carnis per gratiam pro mortuis natus est ad mortem, vt nos post mortem primæ natiuitatis quam habemus ex carne, in gratia spiritus renasceremur ad vitam. Sed Deus verus & viuus, imò Deus veritas & vita æterna, nisi idem verus homo fieret, mortem gustare non posset. Et idem homo qui mortem gustauit, si verus Deus & vita æterna non esset, mortem vincere non valeret. Excepto illo qui sic homo est vt idem sit Deus, quis est homo qui destruxerit mortē? Aut quis eruet animā suam de manu inferi? Proinde vnigenitus Deus viuus & verus, secundum carnem quam ex nobis accepit, sicut conceptus & natus est, ita etiam mortuus resurrexit, quia veniens quærere & saluum facere quod perierat,*
Rom.4.d *traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustifi-*

iustificationem nostram. Mors autem filij Dei quam sola carne suscepit, vtramque in nobis mortem, animæ scilicet carnisq; destruxit, & resurrectio carnis eius, gratiā nobis & spiritualis & corporalis resurrectionis attribuit, vt priùs iustificati per fidem mortis resurrectionis filij Dei, resuscitaremur ab infidelitatis morte, qua cùm naturaliter essemus filij iræ, sicut & cæteri tenebamur obstricti, & post primā resurrectionē, scilicet Ephes.2. *animarum, quæ nobis in fide collata est, etiam ista carne in qua nunc viuimus, resurgamus, nunquam denuò morituri. Nec ob aliud Deus verus & vita æterna, mortem nostram dignatus est accipere destruendam, nisi vt nobis in eius resurrectione credētibus vitā suam donaret sine fine mansurā. Dominus quoq; gloriæ ideo contumeliam sustinuit crucis, vt gloriā suam donaret fidelibus suis, sicut ipse testatus est, dicens: Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi illis. Verbū igitur caro factum, vnus & plenus est Christus. Carnis autē no-* Ioan.17.d *mine, totus hic accipiendus est homo, idem anima rationalis & caro. Christus enim Dei filius sicut veram sine peccato accepit carnem nostram, sic veram sine peccato accepit animam suam. Et carnē quidem nostram cum conditione humanæ mortalitatis induit, animam quoque nostram cum infirmitatibus sine macula humanæ infirmitatis accepit, vt diuinitas Christi per suam virtutem in anima sua infirmitates nostras portans, sine peccato iustitiam custodiret, & per eā etiam ab ipsa carne sua mortalitatis supplicium, dono resurrectionis auferret. Ideo Christus surgens à mortuis, iam* Rom.6. *non moritur, & mors illi vltrà non dominabitur.*

Nomine carnis totus homo intelligitur.

CAPVT IX.

QVia verò familiare est diuinis eloquijs vocabulo carnis simūl in homine carnem atque animam

Ioel.2. Ioel.1. nuncupare, sicut scriptum est: Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & videbit omnis caro salutare Dei. Et sicut dedisti ei potestatem omnis carnis: & nisi Ioan.17. Matth.24. breuiati fuissent dies illi, nõ salua fieret omnis caro. Ex hac vtiq; consuetudine, sic in scripturis sanctis totus homo carnis appellatione dicitur, sicut ibidem rursus homo totus solius animæ nuncupatione monstratur. Genes.12. Abraham namque patriarcha de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui, præcepto atq; auxilio Dei vocantis egrediens, (neque enim ille quod Deus iubebat, vllatenus implere posset, nisi eum ille qui præceperat adiuuisset) cùm secum homines quos habuit * in harã. duceret exiturus, animas quas acquisierat * in carra Act.7. secum tulisse narratur. Iacob quoq; in Ægyptum descendente, septuagintaquinque animas in eius comitatu fuisse sancta scriptura commemorat. Beatus etiam Pe- 1.Pet.3. trus octo animas dicit diluuij tempore per aquam fuisse saluatas. In actibus quoque Apostolorum, cùm fuissent Iudæi repentina mirandaq; eiusdem beati Petri Act.2.8. prædicatione compuncti, & immutatione dexteræ excelsi ad fidem fuissent ex infidelitate cõuersi, scriptum est: quia applicatæ sunt in illa die animæ circiter tria milia. His itaque testimonijs agnoscimus, & carnis solius & animæ homine, plerunque naturæ humanæ plenitudinem nuncupari. Verbum ergo caro factum, vnus & plenus est Christus, vnus ex vtraq; atque in vtraq;, id est, in humana diuinaq; natura, in quo sic vtriusque naturæ prorsus vnitio gloriosa perstitit, vt siue diuinitati Christi humanitatem quis demat, siue humanitati diuinitatem detrahat, Christum sacrilega infidelitate & blasphema prædicatione dissoluat. Ioannes au- 1.Ioan.4. tem Apostolus, plenus veritate testatur, quia omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est: & hic antichristus.

CAP.

CAPVT X.

ILlud verò quis facilè Christianus aut ignoret aut dubitet, quòd verbum Deus priusquã caro fieret, non fuit Christus, sed tantum Deus? Tunc autem idem Deus verbũ, quod semper in forma Dei erat Christus, esse cœpit, cùm Deus semetipsum exinaniens formam serui absq; diminutione plenitudinis naturalis accepit. Deus ergo factus est Christus, vt Christus esset Deus homoq; perfectus: quia verbum dignatũ est caro fieri, vt caro posset verbi, hoc est, Dei nomine nũcupari. Neq; enim caro Christi priusquam verbo susciperetur eadem caro, Christus fuit. Neque ipsa caro, id est, ipse homo in se formam Dei viuẽtis accepit. Sed Deus qui in forma Dei erat, formã serui accepit. Et Deus æqualis patri, in similitudine hominũ factus, habitu est in- Philip.2. uentus vt homo, & qui dives fuit, propter nos pauper 2.Cor.8. factus est, vt illius paupertate nos ditaremur. Verbum itaq; caro factũ vnus est Christus. Sed verbum illud sine carne Deus æternus fuit, caro autẽ Christi sine verbo non solùm Christus aliquando non fuit, sed nec personaliter cõcepta fuit. Verbum ergo quod caro factum est, antequam caro fieret, mansit æternum, caro autem verbi in ipsum Deũ verbũ, personale sumpsit initium. Sed quia verbum caro factum vnus Christus est Dei & hominis filius, nec alter est verbũ, alter est caro, sed idem vnus, verbum caro: propterea idem vnus est, qui initium nõ habet æternus Deus generatus ex patre, & qui initium habet temporaliter secundũ carnem, idem Deus homo creatus ex virgine. Vnus vnigenitus Dei filius ex æternitate diuinitatis, & ex initio carnis. Ex æternitate, scilicet diuinitatis, creator visibiliũ inuisibiliumq; rerum: ex initio autem carnis saluum faciens populum suum à peccatis eorũ. Ex æternitate diuinitatis idem coæternus patri, de quo natus est semper vnus:

Ex initio autem carnis idem posterior matre, de qua temporaliter natus est in tempore moriturus. Testatur enim apostolus, quia Christus secundùm tempus pro impys mortuus est. Rom. 5. *Igitur non trinitas, id est, non simul pater & filius & spiritus sanctus, nec solus pater, aut solus spiritus sanctus, id est, non ille qui filium genuit, nec ille qui de patre procedit, sed solus filius, id est, ille quem in vnitate naturæ pater coæternum sibi filium & coæqualem genuit, id est, vna ex trinitate persona Christus Dei filius vnicus, vt nos saluos faceret, carne conceptus & natus est de ventre virginis matris. Qui verus & summus Deus est ex vtero Dei patris, non trinitas, sed vnigenitus à Patre Christus Dei filius, carne paruulus fuit, & carne creuit. Quem perfectus atque vniuersus pater per vnitatem diuinitatis, æqualem suæ perfectioni atque vniuersitati cognoscit. Non trinitas, sed via, veritas, & vita, Christus Dei filius per curricula temporum ab infantia vsq; ad perfectam iuuentutem, humanas ætates carne misericorditer transcurrit, qui permanens in vnitate paternæ naturæ sempiternus, secula mirabiliter fecit, & incommutabilis, temporum mutabilitates instituit. Non trinitas, sed splendor paternæ gloriæ Christus, est pro nobis passus carne, qui de patre Deo solus natus est impassibilis Deus. Ipsum vtique, quod dubitandum non est, Christum filium Dei pro nobis mortem carne gustasse, salua immortalitate diuinitatis eius veraciter credimus, quem verum Dei patris filium, verumq; Deum, & vitam æternam prædicatione veridica sancti apostoli* 1. Ioan. 5. *Ioannis audimus. Non trinitas, sed verbum caro factum, Christus Dei filius, eadem carne qua crucifigi & mori dignatus est, resurrexit, qui de sepulchro eandem carnem suam, vita permanens, suscitauit. Christus qui est super omnia Deus, videntibus eum discipulis, carne in cæ-*

lum, carne de cælo venturus, ascendit: qui nec deseruit cælum cùm in terra carnẽ accepit, & carne conscendens in cælum, suos in terra diuinitate non deserit. Hoc enim promisit, dicens: Ecce ego vobiscum omnibus Matth. 28. *diebus vsque ad consummationem seculi: Deus ergo ille qui in forma Dei secundùm beati Ieremiæ vaticinium magnus est & non habet finem, excelsus & vniuersus, de quo etiam paulò pòst idem propheta dicit: Hic est* Baruch. 3. *Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum: adinuenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Ipse secundùm formam serui, in qua minoratus est paulo minus ab angelis. Post hæc (sicut idem propheta dicit) in terris visus est, & cum hominibus cõuersatus. Ipsum hominem mortalem atq; mutabilem infideles viderunt, quem Deum naturaliter immortalem atque incommutabilem, illi mundo corde visuri sunt, qui nunc in eum veraciter credunt. Fides enim vera nũc corda hominum mũdat, quæ corda capacia videndo Deo gloriã futuræ resurrectionis exhibeat.*

CAPVT XI.

QVæ est autẽ vera fides, nisi vnum eundemq; Christum verum Deum verumq; hominem sine aliqua hæsitatione credere, vnum eundemque de patre Deo secundum diuinitatem, & de virgine Maria secundum carnem Deum genitum prædicare? Apostolica quippe testatur authoritas, quia vnus idemq; est Christus ex patribus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Vnus idemq; crucifixus ex infir- Rom. 9. *mitate, sed viuens ex virtute Dei. Vnus idemq; est fa-* 2. Cor. 13. *ciens in hominibus virtutes, & sustinẽs pro hominibus passiones, quia cùm miracula secundum diuinitatẽ faceret Christus Dei filius, in eodem Deo fuit passibilis humanitas sua, & cùm pateretur secũdum carnẽ idem Christus Dei filius, in eodem homine fuit impassibilis*

diuinitas sua. Quia igitur in Christo Dei vnigenito filio, personam non diuidunt propria naturarum, neque vnitas personæ potest vtriusque naturæ propria confundere vel auferre, quia ille qui se esse veritatem naturaliter dicit, vtrunque in se vno, manente naturali veritate seruauit: Propterea neq; in passionibus ab illa humanitate Christi diuinitatem suam impassibilem seiungimus, neq; ab illa diuinitate humanitatem suam vllatenus separadam in virtutibus æstimamus. Neque ergo diuidimus, neq; confundimus in virtutibus & passionibus Christum, quem filium Dei viui reuelante patre beatus Petrus confessus est, cùm se tamen filium hominis veraciter Christus ipse dixisset. Ideo verũ Christum in passionibus atque virtutibus nec confundit fides vera, nec diuidit, quia personalis vnitas in eo diuisionem non recipit, & vtriusq; naturæ veritas inconfusa persistit. Traditus est enim Deus Christus propter delicta nostra, quia verus homo est, & resurrexit idẽ homo Christus propter iustificationẽ nostram, quia Deus verus est. Nisi enim idẽ homo verus esset, tradi moriq; non posset. Et idem verus homo si verus Deus nõ esset, resuscitare semetipsum solutis inferni doloribus nequiuisset. Sed quia non est alter Deus, alter homo, sed idem vnus est Christus Deus & homo, profectò idem Deus Christus est, qui mortem sua carne suscepit, & idem homo Christus est, qui mortem sua diuinitate destruxit. Idem quippe Christus Dei filius qui diuinitate mori non potuit, carne mortuus est, quam mortalem Deus immortalis accepit. Et idem Christus Dei filius carne mortuus resurrexit, quia immortalitatem suæ diuinitatis carne mortuus nõ amisit. Hinc est quòd etiam post resurrectionẽ suam sicut in cicatricibus veris, & in vera comestione piscis & mellis soliditatem in se veræ carnis edocuit, ita clausis foribus ingrediens, veram in

ram in se virtutem sempiternæ diuinitatis ostendit, vt agnosceretur, & naturalis fuisse Christi morientis infirmitas, & eidem resurgenti naturalis inesse maiestas. Inde Thomas dũ iniecta manu iubetur in latere mortui ac resurgentis Christi veritatem vulneris experiri, veram in illis cicatricibus patientis ac resurgẽtis virtutẽ diuinitatis agnoscens, in quo iubetur vt clauorum loca digitis tangat, ipsum dominum ac Deum suum fideli confessione pronunciat, dicens: Dominus meus & Deus meus. Agnouit enim non alterum per naturalem diuinitatis suæ virtutẽ resurrexisse carne sua, nisi eum qui de natura Dei patris Deus verus est & vita æterna. Huius fidei nobis intimans veritatem, ipse humani generis conditor, & redemptor, opifex, nostræ particeps & naturæ, postquam veram in se carnem cicatricibus veris, verãq; diuinitatẽ virtute resurrectionis ostendit, vt vnum eundemq; se Deũ & hominẽ credendum prædicandumq; mõstraret, simul in se diuinã humanamq; naturã vnius filij nomine nũcupauit, dicens Apostolus: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Doctor igitur & largitor æternæ salutis, hãc ideo formam sancti baptismatis dedit, Ne quis in eodẽ Dei filio naturas diuidens, mortifero illaquearetur errore, si aut humanã filij Dei naturã ab opere redemptionis humanæ alienã in sacramento baptismatis crederet, aut duas in Christo confitendo personas, non iam verax trinitatis cultor, sed nepharius esset quaternitatis assertor, ac per hoc cum patre & spiritu sancto non filiũ, sed filios coleret, quisquis in Christo vnius personæ repudiandam fidem aliquatenus æstimaret: Cùm idẽ sit vnus filius in trinitate cũ patre & cum spiritu sancto Christus Iesus, qui mundũ creauit, & pro nobis sanguinẽ fudit. Propterea omnis qui in nomine patris & filij & spiritus sancti sacramento sanctæ rege-

Ioan. 20.

Matth. 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

regenerationis abluitur, non nisi in Christi morte ac nomine baptizatur, vt euidenter appareat illi nos consepultos esse per baptismum in morte, in cuius vno cum patris & spiritus sancti constat nomine baptizatos. Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet Pauliq; verbis, tãquam splendentibus radijs illustrata, eorumq; decorata corporibus Romana (quæ mundi cacumẽ est) tenet & docet Ecclesia, totusq; cum ea Christianus orbis, & ad iustitiam nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri. Nam beati Petri Iudæis filium Dei prædicantis hæc verba sunt: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrũ in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorũ. Beatus quoq; Paulus, vt in morte nos Christi baptizatos firmissime crederemus, in ea quam Romanis scribit epistola, hoc salutis nostræ mysterium, tanquam in eminentissima cunctis videndum specula collocauit, dicens: Quicunq; in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismũ in morte. Quisquis igitur duas asserere nititur in Christo personas, & tamen secundum regulam ore atq; imperio domini constitutam, in vno se patris & filij & spiritus sancti baptizatum nomine confitetur, aut euidentissima blasphemia se in morte Christi baptizatum neget, vt inimicus apostolicæ prædicationis appareat, aut cultorẽ se non trinitatis, sed quaternitatis agnoscat. Si vero vtriusque metuit impietatis abruptum, rectam catholicæ fidei teneat toto corde sententiam, nec se dubitet in Christi baptizatum morte, in cuius baptizatus est nomine. Vnum quoque patris & filij & spiritus sancti naturale nomen agnoscens, seq; in illius morte ac nomine baptizatũ esse considerans, de cuius latere sacramentum fontis & calicis manauit: Pendentis in cruce, illum prõ nobis crucifixũ agnoscat, quem Dei virtutẽ, Deiq; sapien-

Romana ecclesia mundi cacumen. Acto. 2.

Rom. 6.

sapientiam Paulus & credit & prædicat, dicens: Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gẽtibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutẽ & Dei sapientiam. Hoc est magnum pietatis sacramentum, quo scilicet Vnigenitus Deus verus, homo verus 1. Cor. 1.
dignatus est fieri, & æternus temporaliter nasci, & impassibilis pati, & incomprehẽsibilis crucifigi, & immortalis mori, & immensus non solum præsepis cum nasceretur, verum etiam sepulchri cum moreretur, paruitate concludi. Quæ omnia secundum veritatem carnis vera sunt in Dei filio, quia manente in eo inconfusibiliter atque inseparabiliter humana diuinaq; natura, vna est filij Dei Iesu Christi in vtriusque naturæ veritate persona.

CAPVT XII.

SIc humano generi gratuitam gratiam diuina bonitas contulit, per quam in hominibus non solum propaginis obligatione contracta, & vitio propriæ voluntatis adiecta, deleretur omnis iniquitas, quin etiam cogitationis sanctæ amissa pridem in homine primo per hominem secundum reciperetur facultas, ac sic homine Deo carne pro hominibus mortuo ac resurgente, captiuaretur, quæ in nostro corpore regnante peccato, consueuerat dominari captiuitas, & vbi abundauit peccatum delinquentis hominis, superabũdaret gratia redemptoris, atq; ita hominis arbitrium quod sub ditione peccati male liberum fuit, veræ salubrisq; libertatis reciperet denuo statum præuenientis gratiæ munere liberatum, de qua gratia Dei, nõ qua homines nascimur, sed cuius opere per fidem mediatoris vinculis peccati originalis atque actualis absoluimur, quantum possumus epistolari breuitate, vt etiam in hac quæstione interrogationi, vel potius professioni vestræ responsio non desit, ipsius Rom. 2.

gratiæ

gratiæ fulti iuuamine diſſeremus. Quiſquis igitur Chriſtianæ religionis non vult inaniter imò dānabiliter portare vocabulum, credat firmiſſime Deum noſtrū, id eſt, ſanctā trinitatē, quæ vnus ſummus & verus eſt Deus, primo homini quē ad ſuam imaginē gratuita bonitate bonum fecit, cui facultatē quoq; ſuæ cognitionis ac dilectionis inſeruit, non ſolum bonæ volūtatis donum, quin etiam ad habendā cuſtodiendamq; iuſtitiā integrū ſanumq; creaſſe libertatis arbitriū, vt facultas atq; motus inditæ libertatis, ſi iuuantē ſe gratiā Dei non deſereret, præmiū vitæ æternæ tribueret Dei bonitas homini: ſi autē iuſtitiam diuinā contēnens, à gratia excidiſſet, ſupplicia retribueret iuſtitia peccatori. Proinde à bono iuſtoq; creatore illi homini quem in corpore animali cōditum ditauit intelligentiæ ac iuſtitiæ dono, iuſta eſt vtriq; ſtatuta conditio, vt ſcilicet ſi obedientiam quæ prima virtus eſt cuſtodiret, ex animali in qua creatus erat corporis qualitate, ad ſpiritualē immortalemq; ſtatū ſine corporis morte (quia ſine animæ iniquitate) trāſiret, accepiſſetq; diuino munere, ſi præcepta ſeruaſſet, nō ſolum perfectam atq; inamiſſibilem corporis immortalitatem, verum etiam in anima talem gratiam ſanctè iuſteq; viuendi, vt peccare deinceps omnino nō poſſet, ſi non peccaret donec peccare potuiſſet. Creatus ergo primus homo de terra terrenus, accepit quidem gratiā qua non poſſet peccare ſi peccare nollet, nondum tamen tantam acceperat gratiam, qua nec peccare vellet omnino nec poſſet, vt ſcilicet à bono iuſtoq; domino poſt eſſet illud munere largiēdum, ſi voluntariè fuiſſet hoc à ſeruo prius in opere cuſtoditum. Quod ſi bono iuſtoq; negleXiſſet obedire mandato, poſt mortem animæ quam delinquendo ipſe ſibi noxius intuliſſet, etiam per corporis mortem vitæ præſentis mutaretur incommodo, nec tenere ſineretur iugiter in carne peccati dānabilem vitam, qui noluiſſet in corde ſeruare iuſtitiam, eſſetq; pœnaliter etiam corpore mortis deinceps neceſſitate cōſtrictus, qui contumaciter ſalubria iuſſa tranſgrediens, ſpirituali morte ſponte fuiſſet obnoxius. Niſi enim præceſſiſſet in peccato mors animæ, nunquam corporis mors in ſupplicio ſequeretur. Hoc apoſtolica docet authoritas, quæ ait: Corpus quidem mortuum propter peccatum. Rom.8.
Ideo poſt peccatum volūtaria prævaricatione commiſſum, ſententiam Dei punientis hoc audire meruit ſermone peccator: Terra es, & in terrā ibis. Homo igitur Geneſ.3.
in terram carne non iret, ſi terra peccando non fieret.

CAPVT XIII.

PEccans itaque ille qui ſine peccandi neceſſitate creatus eſt, in eo quod animæ ſanitatem delinquēdo perdidit, etiam illa cogitandi quæ ad Deū pertinēt amiſit protinus facultatem. Oblitus eſt enim manducare panem ſuum, & expoliatus veſtimento fidei, carnaliumq; Pſal.101.
concupiſcentiarum vulneribus ſauciatus, ſic iacuit oppreſſus ditione peccati, vt nullatenus aliquod bonæ voluntatis initium habere potuiſſet, niſi hoc Deo gratis donante ſumpſiſſet. Seruus quippe factus peccati, liber factus iuſtitiæ. Et ideo à iuſtitia factus eſt alienus, qui ſponte dominio eſt iniquitatis addictus. Venundatus ergo ſub peccato cunctam in ſe prolē de carnis concubitu naſcituram, nexibus mortiferæ ſeruitutis obſtrinxit. Initium bonæ voluntatis, non niſi à Deo eſt.
Rom.6.
Quod beatus Paulus euidenter his verbis inſinuat. Per Rom.5.
vnum hominem peccatum in hunc mūdum intrauit, & per peccatū mors, & ita in omnes homines mors pertrāſiit, in quo omnes peccauerunt, hoc in illo qui primus factus eſt, patre orbis terrarū vniuerſi pertulimus, in quo omnes peccauerunt antequam nati eſſent, qui per ſeipſos peccare non potuerūt. Hinc factum eſt, vt iam filios iræ propagaret maſſa dānata, quæ in illius hominis poſteros

posteros & iniquitatem simul transfudit & mortem, vt omnis qui per legem peccati, (quam certum est mortalibus vsque ad mortem inesse corporibus) de peccatoris semine nasciturus, in ipso conceptionis exordio excepisset peccati parentalis maculam, exinde sub iugo graui quod est super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium, ducturus esset ærumnosam infœliciter vitam, breuitati scilicet, peccato, mortiq; subiectam. Scriptum est enim: Homo natus de muliere breuis vitæ, & plenus iræ. Quæ ad secundam quoque mortem natum mortaliter traheret, si quem alienum à gratia Dei redemptoris vitæ huius miserabilis obitus inueniret. Vt ergo peccati originalis vinculo, quo per hominẽ primum tenebamur obstricti, miserantis Dei gratia solueremur, vnus extitit mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Nam quia Deus immortalis & iustus est, nos autem iniquos & mortales primi hominis transgressio fecerat, vt congrua nostris adhiberetur medela vulneribus, natus est de homine homo vnigenitus Deus, qui de patre natus est immortalis & iustus. Hic in humana natura, in qua mediator Dei & hominum factus est, iustitiam habuit ex patre, mortem ex matre, vt per ipsum liberaremur ab omni peccato, qui peccatum nec nascendo, nec viuẽdo contraxit, & ab ipso acciperemus iustitiam, per quam mortis æternæ vinculo solueremur, vt per eum & in hac vita iusti, & post hãc vitam immortales esse possemus. Ipse igitur in similitudine carnis peccati mirabiliter, quia singulariter natus, solus est masculus adaperiens vuluã, qui in veritate sanctus domino vocaretur. Vluam quippe matris eius non concupiscentia mariti concumbentis, sed omnipotẽtia filij nascentis aperuit. Ideo solus est, in quo princeps mundi huius veniens nihil inuenit, solus homo sine adiutorio inter mortuos liber, solus qui

Eccles. 40.

Iob. 14.

Ioan. 14.

Psal. 87.

lus qui non nouerat peccatum, & ob hoc sufficit, vt pro nobis peccatum fieret, id est, sacrificium pro peccatis, vt nos essemus iustitia Dei in ipso. Solus panis qui de cælo descendit, & dat vitam mundo, panis autem quem dat, caro eius pro mundi vita. Caro vtique iusti atque immortalis Dei, cuius acceptione iustitia confertur illi carni, quæ nascatur cum pœna mortis & pollutione peccati.

2. Cor. 5.

Ioan. 6.

CAPVT XIIII.

SI qui ergo mortem solam vt non etiam peccatum ex homine primo transijsse in genus humanum nituntur asserere, mirum si non intelligunt quibus sententiæ suæ laqueis obligentur. Primo, quia Deum dicunt iniustum, in eo quòd mori facit paruulos, quos nulla volunt isti originalis peccati contagione pollutos, quósque manifestè constat infantili ætate aliquid actualis peccati, propria non posse voluntate contrahere, cùm mortem stipendium Apostolus esse peccati diffiniat: & rursum, aculeum mortis dicat esse peccatum, quo vtique pungente mors illigata est homini. Sic enim peccatum aculeus mortis dicitur, non quia peccatum per mortem, sed quia per peccatum mors in mundum intrauit: sicut virulentum poculum mortis poculum dicimus, non quod à morte poculum detur, sed quòd mors poculo illi comparetur. Qua igitur iustitia paruulus subijcitur peccati stipendio, si nulla est in eo peccati pollutio? Vel quomodo videmus morte punctum, si non sensit aculeum? Et cùm non sit iniquitas apud Deum, qui fecit hominem ad imaginem suam, quæ iustitia est vt imago Dei quæ nihil potuit per seipsam delinquere, si non redimatur sanguine filij Dei, in regnum Dei non permittatur intrare? Quo vtiq; quisquis nõ ingreditur, interminabilibus ignis æterni cruciabitur pœnis. Qua igitur iustitia Deus iustus infantibus sine peccato nascentibus

Rom. 6.

1. Cor. 15.

Quicunq; regnũ Dei nõ ingreditur, pœnis æternis cruciatur.

scentibus ingerit pœnam, in quibus pœnæ non inuenit causam? Hæc ne est creatoris Dei benignitas, vt imaginem suam creet, eamq; sine vlla iniquitate condemnet, cùm non sit iniquus Deus, qui infert iram? Si ergo nolunt in ipsius Dei contumeliam mortifera impietate versari, fateantur hominem primum in omnes homines cum morte transmisisse peccatum.

CAPVT XV.

ALiam rursus impietatẽ debent in hac sua videre ac vitare sententia. Dicẽtes enim paruulos ex Adam non trahere originale peccatum, negant eos profectò habere carnem peccati, quos tamẽ humanam carnem habere non negant. Ex eo verò quòd eos sic humanam carnem habere non negant, vt eam esse carnem peccati negent, consequens est vt humanam carnem negent carnẽ
Rom. 8. *esse peccati. Fatentur Apostolũ cõpellentem, quia Deus misit filium suũ in similitudine carnis peccati. Ad hoc igitur istos cæcitas impiæ professionis impellit, vt qui carnem humanam negant carnem esse peccati, Christũ autem in similitudinem carnis peccati venisse non negant, ipsam Christi carnem non humanam esse, sed alterius naturæ sacrilega infidelitate cõfingant. Isti enim carnem in qua paruuli nascuntur, humanam dicunt esse carnem, quam tamen esse carnem peccati negare cõtendunt, Christum autem in similitudine carnis peccati venisse pariter nobiscum professione consentiunt: Aut igitur carnem Christi humanam esse non dicant, aut omnium hominum carnem, in cuius similitudinem Deus filium suum misit, carnem peccati esse consentiant. Quod cùm consenserint, nullus remanebit labor quo eis peccatum carni paruulorum ineſſe monstretur. Si enim caro peccati non mendaciter dicitur, habet in se caro ipsa peccatum. Si verò peccatum non habet, falsum*

falsum portat carnis peccati vocabulum. Sed eam, de qua loquimur, carnẽ peccati verax discipulus veritatis Paulus appellat. Restat igitur vt sicut verè caro est cùm caro dicitur, ita verè in se peccatum habeat, cùm caro peccati ore apostolico nuncupatur. Sed forsitan dicent in illius carnis peccati similitudine missum filium Dei, qualem habent homines, qui propria voluntate peccare iam possunt, vnde caro eorum caro peccati non immeritò nuncupatur, non in quali carne paruuli sine aliqua peccandi voluntate nascuntur. Vbi non attendunt, quia si caro paruulorum à carne maiorum diuersa qualitate fuisset, non nisi in similitudine carnis paruulorum, (quos nullum originaliter dicunt habere peccatum) Deus aduenisset. Magis enim similis esset caro Christi carni paruulorum, cum qua veritatem haberet substantiæ qualitatisq; communẽ, quàm carni hominum maiorum, cum quibus illi communis esset sola carnis natura non macula. Sed hoc illi forsitan volunt, vt caro Christi cum carne hominum maiorum solam habuerit naturæ similitudinem, cum carne verò paruulorum munditiam quoq; potuerit habere communem. Fateantur ergo paruulos in similitudine carnis peccati, quos asserunt nasci quidem in carne humana, sed originalis peccati negant contagione pollutos. Quibus ostendendũ est quanta eos etiam hic sequatur absurditas. Negãtes enim in paruulis nascẽtibus originale peccatũ, humanam eos carnem habere non negant, filium autem Dei carnem humanẽ de virgine sine peccato accepisse concedunt: consequens igitur est, vt inter carnẽ nascentis ex virgine vnigeniti Dei, & cuiuslibet alterius paruuli nihil distare fateantur. Vnde cõficitur, vt omnes paruulos quos nasci asserunt sine peccato, dicant non egere saluatoris auxilio: atq; ita laqueum Pelagiani erroris incurrũt, dũ fidei catholicæ

infideliter contradicunt. Si enim sine peccato infantes nasci asserunt, quid restat, nisi vt dicãt nihil esse in eis, quod debeat spirituali regeneratione mũdari? Et si remouent peccati originalis maculam à nascentibus paruulis, quid aliud nituntur, nisi diuinæ veritati succensere mendaciũ, quando eos in remissionem peccatorum vident baptismatis accipere sacramentum? Quod ideo vniformiter infantibus maioribusq; cõfertur, vt omnibus originalis ineſſe peccati macula cognoscatur. Quisquis igitur salutem veram sempiternamq; desiderat adipisci, sensum hæreticæ prauitatis abijciens, quos cum pœna peccati natos videt, cum peccato quoq; natos non

Iob. 15. *dubitet, audiatq; beatum Iob dicentem: Quia non est mundus à sorde nec infans, cuius vnius diei vita est super terrã. Beati quoq; Dauid fluctus pij cordis humi-*

Psalm. 50. *litate cõsideret, dicentis: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Sancto quoq; Abrahæ videat circuncisionis sacramentũ non sine tremenda paruuli comminatione mandatum. Ibi quippe Deus fidelis & iustus, qui non infert iram, vbi culpam non inuenit, Patri nostro Abrahæ sic loquitur: Masculus*

Genes. 17. *qui non fuerit circuncisus carnẽ præputij sui octauo die, exterminabitur anima illa de populo suo, quia testamẽtum meum transgressus est. Quisquis itaq; negat in paruulis secundum carnẽ nascentibus originale peccatum, dicat in quo potuit infans octo dierũ testamentum Dei transgredi, si nõ in illo transgressus est, in quo*

Rom. 9. *omnes peccauerunt, cum & antequã nascerentur asserat Apostolo. Infantes nihil egisse boni vel mali, & videamus iam natos non solum intra octauum diem natiuitatis suæ, quo tunc tempore circuncidi iubebãtur infantes, sed etiam post ipsum diẽ toto infantiæ suæ tempore intantum non posse testamentum Dei trãsgredi, vt eis nec eiusdem testamẽti cognitio valeat intimari. An illo*

illo quisquam beati Pauli sermone in paruulis euacuare nititur originale peccatum, quo dicit regnasse mortem ab Adam vsq; ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinẽ præuaricationis Adæ? Cui si fuerit illud è contrario replicatum, quod idem Apostolus ait: Per vnius delictũ in omnes homines in condemnationem. quod paulo pòst exponẽs ait: Per inobedientiã vnius hominis peccatores constituti sunt multi. Et cũm de Iudæis atq; Græcis loqueretur, generaliter intulit, Omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu domino nostro. Nónne illicò in magnas trudetur angustias, si non vtrunq; sensum secundum professionem catholicæ credulitatis acceperit, vt scilicet infantes proprijs quidem operibus nihil deliquisse dicat, in illo autem primo homine omnes homines generaliter peccasse cognoscat?

Obiectio. Rom. 5. Rom. 5. Solutio.

CAPVT XVI.

AB hoc peccato quod originaliter carnalis natiuitas trahit, neminem facultas naturalis, neminem litera sanctæ legis, sed sola fides eripit Iesu Christi filij Dei, qui venit quærere & saluũ facere quod perierat. Pro impijs mortuus est, offerens semetipsum pro nobis, sicut Apostolus dicit: Oblationem & hostiam Deo in

Ephes. 5. *odorem suauitatis. In hoc mediatore Dei & hominum, & humanæ naturæ status reparatus est, & implẽdæ legis est consummatus effectus, quia nec sibi ad virtutem sufficere vllatenus potuit naturalis infirmitas, quæ vtique ex quo omnes dies defecerunt, & in ira Dei defecimus, lumine simul & virtute priuata, intantũ natura cœca sine lege peccat, vt peccare se nesciat. Propter*

Natura cæca sine lege peccat. Rom. 7. *quod dicitur: Concupiscẽtiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces. Legalis quoq; auditus non solũm neminem de potestate tenebrarum eripuit, quin etiam*

peccatoribus cumulum prævaricationis adiecit. Sine gratia quippe fidei grauiùs lex agnita quã ignota condemnat. Vbi quãtum ignorãtia peccati minuitur, tantum reatus peccatoris augetur. Ideo apostolus ait: Lex enim irã operatur; vbi enim non est lex, nec prævaricatio. Idẽ quoq; dicit: Quia lex propter transgressionem posita est. Et quia cõclusit scriptura omnia sub peccato, vt iustificatio ex fide Iesu Christi daretur credẽtibus. Quomodo igitur de possibilitate sõlius liberi arbitrij (si nõ præueniatur adiutorio gratiæ Dei, per quã bona volũtas reparatur, & seruatur in homine natura tantò magis superba, quantò magis dominio peccati mortiq; subiecta) quantulũcunq; sibi bonæ voluntatis & operis exordiũ repromittit, quæ nec sana potuit Dei seruare mandatũ, nec vulnerata quantulumcunq; curationis sumpsit de lege remediũ, sed insuper auxit peccatũ cognitione mandati. Lex enim subintrauit, vt abundaret peccatũ, de quo liberari nemo potest, nisi per agnũ Dei qui tollit peccata mundi. De corpore enim mortis huius non liberum hominis arbitrium, neque legis sanctum iustum bonumq; mandatum. Sed sõlas nos liberat gratia Dei per Iesum Christum dominũ nostrum. Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit nos à lege peccati & mortis.

Rom. 4.
Gala 3.
Rom. 8.

CAPVT XVII.

Liberauit autem non in quolibet homine fidem inueniendo, sed dando. Deus enim qui impium iustificat, ipse infideli fidem quæ per charitatem operatur, gratia suæ bonæ voluntatis inspirat. Vnde quod ad bene cogitandi attinet facultatem, testatur Apostolus: Quia nõ sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo. Re vera enim secundum eiusdem Apostoli dictum, Deus quibus voluerit dat pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, vt re-

1. Cor. 3.

vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Vnde ille Apostolorum primus, & dignè beatus veritatis eloquio nuncupatus, de credulitate gentium loquens: Deum dixit fide mundasse corda eorum. Rursus ait: eandem gratiam diuinitus datam gentibus, quam & ipsis, vt crederent, vbi gratuitum gratiæ donum apostoli & maiores natu in doctrina sancti spiritus agnouerunt, omneśq; vnanimes vno ore in beati Petri sententiam transierũt, dicentes: Ergo & gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit. Nempe cùm ipse Saluator noster propriæ vocis imperio humanã conuenit voluntatem, dicens: Pœnitemini & credite euãgelio, claret tamẽ quia vt homo in Deum credere incipiat, à Deo accipit pœnitentiã ad vitã, ita vt omnino credere non possit, nisi pœnitentiã dono Dei miserantis acceperit. Quæ est autẽ pœnitentia hominis, nisi mutatio volũtatis? Deus ergo qui homini pœnitentiam dat, ipse mutat hominis voluntatẽ. Proinde si quis dicit, meum est velle credere, Dei autẽ gratiæ est adiuuare, mutet igitur dictorum ordinẽ, imò nõ mutet, sed seruet, nec quod posterius est, in priore loco, nec quod est prius, in loco posteriori constituat. Malè enim gratiam Dei suæ volũtati postponit, cùm ista bona esse nõ possit si illa defuerit. Non enim dicat meũ esse velle credere, Dei autem gratiæ est adiuuare. Sed dicat, gratiæ Dei est adiuuare, vt sit meum velle credere. Tunc enim verè rectèq; ait eius hoc velle, cùm eum gratia præueniens cœperit adiuuare. Fides enim quæ per charitatem operatur, humilem facit eum cui datur, quia charitas non inflatur. Adiutorio igitur atque munere gratiæ sibi fidem dari vnusquisq; non dubitet, nedum initium sibi fidei nititur assignare. Pœnitentiam quoque quã Deus ad vitam dat, sibi homo non sanitate validus, sed infirmitate præiudicatus assignet, tantiq; medicaminis

2. Tim. 1.
Act. 15.
Act. 11.
Rom. 15.

beneficio careat, cuius gratiam contumax atque ingratus oppugnat, cum cordis humilitas diuinis sit eloquijs admonenda, vbi principaliter ipsa bona voluntas, qua incipimus velle credere, à domino præparari demonstratur ac dirigi, Salomone dicente: Præparatur voluntas à
Pſal.36. domino. Et Dauid canit in Psalmis: A domino gressus hominis dirigentur, & viam eius cupiet nimis.

CAPVT XVIII.

SI verò secundum opinionem illorũ, nostrum est velle credere, priusquã nos Dei gratia incipiat adiuuare, iniuste gratia dicitur, quia non gratis datur homini, sed bonæ retribuitur voluntati. Hanc enim (sicut illi volunt) gratia in nobis inuenit, quam ipsa non dedit: imo si sic est, nos priores Deo voluntatem damus, atque
Rom.11. ita gratiam non miseratione tribuentis, sed æquitate Dei retribuẽtis accipimus. Verũtamen quis prior dedit
1.Cor.4. illi, & retribuetur ei? Nemo vtiq; , quia nõ potest homo accipere quicquam, nisi datum fuerit de cælo. Quid enim habet quod non accepit? Si autem accepit, quid gloriatur quasi nõ acceperit? Non autem misericordia Dei aliquando præuenit hominem, si nunquam bonam fecit, sed expectat vt inueniat voluntatem. Et vbi est quod Dauid dicit: Deus meus misericordia eius præue-
Pſal.58. niet me. In quo autem Dei nos misericordia præueniat, vel præueniens quales inueniat, non in quolibet alio,
1.Tim.1. sed in se nobis gentium magister ostendit, dicens: Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Quomodo ergo aliquam credendi voluntatem ex seipso Paulus habere poterat, qui blasphemum se, & persecutorem, & contumeliosum cœcus atque incredulus ignorabat? Quod humili corde consi-
1.Cor.15. derans, alio loco dicit: Non sum dignus vocari Apostolus, quia

quia persecutus sum ecclesiam Dei. Statimq; fidẽ suam non propriæ voluntati, sed gratiæ Dei miserantis assignans, dicit: Gratia autem Dei sum id quod sum. Quid autem iam fuit nisi fidelis? Quod vt esset, misericordiã
est vtique consecutus, sicut ipse testatur, dicens: Con- 1.Cor.7.
silium do tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Nam & cùm se prius blasphemum & persecutorem, & contumeliosum fuisse fateretur, fidem suam & charitatem gratiæ designare non desistit, statim subijciẽs: Superabũdauit autẽ gratia Dei in fide 1.Tim.1.
& dilectione quæ est in Christo Iesu domino nostro. Si ergo fidem Paulo gratia Dei non dedit, nec charitatẽ ei dedisse credenda est. Ergo, quod absit, mẽtitus est Paulus, qui ait: Quia charitas Dei diffusa est in cordibus Rom.5.
nostris per spiritũ sanctũ qui datus est nobis. Sed quia Paulus Christo in se loquente mentiri non potuit, ipso spiritu nobis tribui fidem firmissime fateamur, per quẽ charitatem Dei in nostris diffundi cordibus negare nequimus. Cùm ergo Paulus esset blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, non ideo est adiutus Dei gratia, quia credere voluit. sed vt credere vellet, donum gratiæ præuenientis accepit, quæ in eius voluntate nõ aliquod credulitatis initium, sed blasphemiam, sæuitiam, contumelias, & ignorantiam in incredulitate reperit. Cuius vsqueadeo cæca fuit volũtas, vt nõ solũ nõ posset credere, sed nec ipsum suæ credulitatis posset initiũ præuidere. Non enim ignorans feciisset, si suã in se ignorantiam præuidisset. Dignè igitur in Paulo assignatur præuenientis misericordiæ dono, nõ solum credulitatis initium, sed etiã ipsius incredulitatis agnitio. Quã ei propterea Dei misericordia contulit, vt incredulitatem suam illuminatus atq; adiutus & agnoscceret & vitaret. Dominus enim est illuminatio nostra, & salus nostra, qui nos illuminat vt peccata nostra cognoscamus: & sanat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt à peccatis nostris separati cum iustitia viuamus. Ob hoc ipse qui vt fidelis esset, fatetur se misericordiã
Rom.9. *consecutum, salubriter nos instruit dicens: Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Quia re vera & vt velimus, misericordiæ præuenientis illuminamur dono, & vt curramus, misericordiæ subsequentis fulcimur auxilio. Vt ergo sibi quisque tribuat bonam voluntatem, qua velle incipit credere, non viuentis animæ vigor, sed mortuæ carnis est tumor.*

CAPVT XIX.

EX quo enim primus homo naturam suam voluntarie vitiauit, atque oppressit infirmitas, nisi diuinæ gratiæ medicamento præuentum in vnoquoque homine sanetur atque adiuuetur liberum indesinenter arbitrium, est quidem liberum, non tamen bonum, est liberum, nõ tamen rectũ, est liberum, non tamen sanum, est liberum, nõ tamen iustum. Et quanto magis à bonitate, rectitudine, sanitate, iustitiaq;, liberum, tanto magis malitiæ, peruersitatis, infirmitatis, atq; iniquitatis
Ioan.8. *mortifera seruitute captiuũ. Qui enim facit peccatum,*
2.Petri.2. *seruus est peccati, & à quo quis deuictus est, huic & seruus addictus est. Regnãte igitur peccato habet liberum arbitrium, sed liberum sine Deo, non liberum sub Deo, id est, liberum iustitia, non liberum sub gratia, & ob hoc pessimè atq; seruiliter liberum, quia non gratuito miserentis Dei munere liberatũ. Hoc Apostolus euidenter insinuat dicens: Cùm enim serui essetis peccati,*
Rom.6. *liberi fuistis iustitiæ. Seruire igitur iustitiæ non potest, qui iustitiæ liber est: quia quamdiu est peccati seruus, non nisi ad seruiendum peccato reperitur idoneus. Ab ista seruitute peccati nemo liber efficitur, nisi qui liberatoris Christi gratia liberatur, vt scilicet liberatus à peccato, seruus fiat Deo. Hoc autẽ quemadmodum fiat, ipse*

ipse liberator noster ostendit: Si vos, inquiẽs, filius liberauerit, verè liberi eritis. Ideo vas electionis beneficium Ioan.8.
nobis gratiæ liberatricis insinuans, nõ solùm liberos, sed etiã liberatos nos esse testatur his verbis: Nunc autem Rom.6.
liberati à peccato, serui facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Hæc verò libertas quæ non ex humano arbitrio nascitur, sed gratuita Dei miseratione confertur, à bona vo- Libertas à bona volũtate sumit initium.
luntate sumit exordiũ, & per fructum sanctificationis, in vita æterna plenum sui sortitur effectum. Sed sicut in natiuitate carnali omnem nascentis hominis voluntatem præcedit operis diuini formatio, sic in spirituali natiuitate, qua veterem hominẽ qui corrumpitur secundùm desideria erroris, deponere incipimus, vt nouũ qui in iustitia et sanctitate veritatis creatus est induamus. Nemo potest habere bonam voluntatem motu proprio, nisi mens ipsa, id est, interior homo noster renouetur ac reformetur ex Deo. Ideo nos beatus Paulus præcipit nõ conformari huic seculo, sed reformari in nouitate sensus vestri. Cuius reformationis initium ne nostræ facultati assignare aliquatenus deberemus, dominus per prophetam seipsum formatorẽ lucis ostendit dicens: Ego domi- Esaiæ 45. 2.Cor.4.
nus formans lucem & creans tenebras. Quod & beatus Apostolus sua prædicatione cõfirmat dicens, Deus qui dixit de tenebris lucẽ splẽdescere, illuxit in cordibus nostris. Eidẽ luci quã ipse formauerat Deus, alio loco dicit: Eratis enim aliquãdo tenebræ, nunc autẽ lux in domino. Quibusdam verò ex illa lucis formatione laudabili, Ephes.5.
ad vituperabilẽ tenebrarum infirmitatẽ relapsis, affectum piæ mentis ostendẽs, ita loquitur: Filioli mei quos Gala.4.
iterũ parturio, donec formetur Christus in vobis. Quomodo autẽ Christus in suis formari potest, nisi quomodo in eis habitare incipit, id est per fidem. Quod beatus Paulus ita confirmat: In interiore, inquiens, homine habitare

Ephes.3. habitare Christum per fidem in cordibus nostris. Dum ergo reformamur, renouamur, & in eo quo renouamur, viuificamur.

CAPVT XX.

VIta autem nostra à fide sumit initium, quia iustus ex fide viuit. Quam fidem non ex voluntate nostra nasci, sed per spiritum sanctum vnicuique dari beatus
1.Cor.12. Paulus ostendit, dicens: Alij quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritũ, alteri fides in eodem spiritu. Non ergo spiritum sanctum, quia credimus, sed vt credere-mus, accepimus. Forma enim præcessit in carne Christi, quam in nostra fide spiritualiter agnoscamus. Nam Christus filius Dei secundùm carnem de spiritu sancto conceptus & natus est. Carnem autem illam nec concipere virgo posset aliquando, nec parere, nisi eiusdem carnis spiritus sanctus operaretur exortum. Sic ergo in hominis corde nec concipi fides poterit, nec augeri, nisi eam spiritus sanctus effundat & nutriat. Ex eodem namque spiritu renati sumus, ex quo natus est Christus. Eodem igitur spiritu Christus formatur secundum fidem in corde vniuscuiusq; credentis, quo spiritu secundùm carnem formatus est in vtero virginis. Ideo propheta ex persona fidelium clamat ad dominum:
Esaiæ 26. Propter timorem tuum Domine in vtero concepimus & parturiuimus, spiritum salutis tuæ fecimus super terram. Sicut autem non solum priusquam virgo Maria Christum conciperet, sed etiam priusquam se concepturam agnosceret, gratia plena angeli voce nuncupata est, cum nulla eius præcederet concipiendi filij Dei vel cognitio, vel voluntas, vt agnosceretur ex gratia Dei esse tam ipsa obediens voluntas virginis quàm conceptio domini saluatoris: Sic homo priusquam credere velle inciperet, gratia donantis infundi-

funditur cordi, vt incipiat in homine per fidem Christus formari. Cùm autem Christus in vnoquoque formatur, ipse se format, quia ipse fidem in corde vniuscuiusque credentis initiat. Propterea in epistola quæ ad Hebræos scripta est admonemur, vt aspiciamus in Heb.12. authorem fidei & consummatorem Iesum: qui procul dubio sic est author fidei nostræ cùm ipse fidem non habentibus donat, sicut est eiusdem fidei consummator, cùm eam in habentibus augẽdo multiplicat, & sancta operatione consummat. Dicit enim beatus Apostolus Iacobus: quia fides Abrahæ patris nostri ex operibus Iacobi 2. consummata est. Author est ergo fidei nostræ consummatorq; Iesus, quia ipse operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Quòd si in eo tantum est auctor fidei nostræ, quia nostram voluntatem expectat, vt ex nobis esse fides incipiat, consequens est, vt etiam consummator fidei nostræ ideo dicatur, quia expectat vt nostro tantum conatu ad consummationem fides quæ à nobis exorta est perueniat. Ac sic totũ Deo adimitur, si & initium & consummatio fidei nostræ humani arbitrij viribus applicetur. Quod quia valde impium est, si scripturarum sanctarum eloquijs salutaribus nos resistimus, omnia quæ pertinent ad bona voluntatis initium vel profectum, Deum in nobis & incipere & perficere sine aliqua hæsitatione credamus. Ipse est enim qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Clamemus igitur in humilitate cordis & veritate fidei cum propheta: Scio domine quia non est in homine via eius, neq; viri est vt corrigat viam suam. Non est itaq; in homine via eius quam habet ex Deo, Ierem.10. neque viri est vt corrigat viam suam quam habet ex seipso. Viam ergo suam non habet in se, nec viam suam corrigit, nisi cum rectitudine cordis donum gratiæ spiritualis acceperit. Ideo Salomon dicit: Dirigit autem Prou.21. corda

Iacobi 1. corda dominus. Beatus quoq; apostolus Iacobus testatur: quia omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum, eorum scilicet luminum, quibus per Ezechielē noui cordis Ezech. 11. gratiam repromittit, dicens: Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouū ponam in medio vestri, & auferetur cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritū meum dabo in vobis, & faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis. Beatus quoq; Paulus humanæ cōprimens præ- 1. Cor. 4. sumptionis audaciam, dicit: Quis enim te discernit? Quid autē habes quod non accepisti? Si autē accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Cum quo nos oportet humiliter salubriterq; cognoscere pariter & fateri, gratia Dei nos esse quod & sumus, si tamē aliquid sumus. Per gratiā non aufertur liberum arbitrium. Qua gratia humanū non aufertur, sed sanatur, nō adimitur, sed corrigitur, non remouetur, sed illuminatur, non euacuatur, sed adiuuatur atq; seruatur arbitrium: vt in quo infirmitatem homo habuit, in eo habere incipiat sanitatem. Quo errabat, eodem in via redeat. In quo cæcus fuit, in eo accipiat lumen. Et vbi fuit iniquus seruiens immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ibi gratia præuentus atque adiutus seruiat iustitiæ in sanctificationem.

CAPVT XXI.

MIramur autem quosdam dicere: Si volentes Deus facit vt velint credere, nullus autem est qui naturaliter posset credere in filio Dei, aut aliquid boni velle quod pertinet ad vitam æternā, cur ergo non facit omnes velle, cùm non sit personarum acceptor Deus? Ex quibus verbis quæ vestris literis indita sunt, apparet eos minus cōsiderare quod dicunt: Personarum acceptio apud Deum tunc esset, si (quemadmodum isti volunt) in quolibet hominum aliquod inueniret bonæ volūtatis initium.

initium. Cùm autem in nullo bonam voluntatem inuenit, sed eam gratis cùm voluerit ipse concedit, agnoscitur nulla esse personarum acceptio, quando gratuita est donantis in vnoquoque largitio. Quod autem dicunt, cur non facit omnes velle? Itane vero in nemine hoc facit, quia non in omnibus facit? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud quidem in cōtumeliam? aut culpari potest iustitia in vasis iræ, quæ iustè pro meritis aptauit in interitum, vel misericordia in vasis misericordiæ, quæ sine vllis meritis solo gratiæ dono præparauit in gloriam? Quibus ipsam quoque præparari voluntatem à Domino scriptura teste docuimus. Quæ si non à Deo datur, sed in homine inuenitur, falsum est quod ea scriptura præparari dicit à Domino. Omnis autem scriptura diuinitus inspirata, cuncta quæ dicit vera dicit, quia ex veritate sunt vniuersa quæ dicit. Eloquia enim Domini eloquia casta. Deus ergo qui voluntatem præparat, ipse donat. Quam si Deus per suam gratiam homini non dederit, nunquam potest homo in Deum velle credere, quia ipsam voluntatem gratia non inuenit, sed operatur in homine. Psal. 11. Nemo à se habet velle credere.

CAPVT XXII.

CVm autem dicimus neminem posse in Deum credere, nisi per gratiam Dei cor illuminetur vt credat, non credendi possibilitatem humanæ naturæ omnino inesse non posse dicimus, sed vt habeat ipsum posse, vnde debet sperare ac poscere demonstramus. Nam vtique naturaliter homini, cùm cœperit in Dei filium credere, si posse credere in conditione primi hominis datum non esset, nunquam peccatum de infidelitate contraheret, neque vlli naturæ credendi facultas insita est, quam rationalem non fecit Deus.

Nunquid

1.Cor.9. *Nunquid enim de bobus cura est Deo? in quibus nec punitur impietas, nec pietas coronatur. De hominibus autem omnibus curam esse Deo, cælestibus eloquijs edocemur. Naturæ igitur humanæ competit fides, cuius tantam curam creator habere dignatur, vt etiam capillos capitis nostri numeratos veritas dicat, vt scilicet dum se tãtùm à Deo diligi humana natura cognoscit, diligentem se Deum diligat, eique per fidem puri cordis inhæreat: cui ad beatitudinem fides est via, cui est infidelitas magna miseria: & ideo dignè punitur, cùm in Dei filium non credit, quia vitium eius est eius infidelitas, sicut virtus est fides, non qualis in dæmonibus inuenitur, sed qualem Deus sanctis suis donat, quos ex impietate iustificat. Ipsa est fides quæ per charitatem operatur. Nam & dæmones credunt & contremiscunt, sed non diligunt eum à quo per superbiam recesserunt. In quam superbiam quia primus homo diabolica est*

Adam perdidit fidẽ. *persuasione deiectus, in quo perdidit humilitatem, perdidit fidem, perdens autẽ fidem perdidit diuinam protectionem. Scriptum est enim: Qui non credit Deo, à Deo non protegitur. Exinde cœpit superbire terra & cinis, quia in vita sua proiecit intima sua. Ad ipsa in-*

Esa 46. *tima vt homines redeant, diuinus nõ desinit sermo clamare, dicens: Redite prauaricatores ad cor verum, quia*

Psal 77. *illi caro sunt spiritus vadens & non rediens: nec vnquam redire velle potest ouis errans, nisi fuerit boni pastoris inquisitione præuenta, & humeris reportata. Propterea pastor bonus venit quærere & salua facere ouem perditam, quæ pastorẽ suum quærere non potest, priusquam ab eo quæratur, sed à quærente præuenitur, vt quærat: Pastor autem eam frustra quæreret, si quærere ipsa pastorem quæsita non posset. Sed hic ei quærentis pastoris bonitas donat, vt etiam ipsa quærendi pastoris habeat voluntatem. Quæritur autem vt quærat, quando*

quando illuminatur vt credat. Hoc igitur in homine diuinitus agitur cui fidem Deus infundit, vt gratiæ dono virtutem credendi natura recipiat quam amisit, & quod nõ poterat vitiata per culpam, incipiat poscere formata per gratiam, ac sic operãte illo medico qui non est opus sanis sed malè habentibus, infirmitas expellatur, natura sanetur. Quam sanitatem poscebat qui dicebat: Ego dixi domine miserere mei, sana animam

Psal.40. *meam, quia peccaui. Nullius autem sanctorum sanitatem posceret, si humana natura sana esset. Et frustra sanitatem quisque posceret, si sanari humana natura non posset. Natura igitur humana sanari potest. Sed illius gratia, sanitatis accipit donum, ex quo creationis sumpsit initium. Nam si homo naturaliter sanari nullatenus posset, ad sanandum eum cælestis medicus non venisset. Rursus si se ipse sanare posset, cælesti medico non egeret. Sanatur enim per fidem, quam si ex seipso aliquis habere posset, Deus eam homini non donaret, donat autem, quoniam alteri datur fides in eodem*

1.Cor.12. Rom.12. *spiritu, sicut Apostolus dicit: Deus ergo vnicuique diuisit mensuram fidei.*

CAPVT XXIII.

NOn ergo propterea non potest homo naturaliter credere, quia diuinitus ei donatur vt credat, imò in hoc maximè ad habendũ fidem homo creatus agnoscitur, quia per fidem humana natura ex vetustate renouatur. Sic enim est omnis voluntario peccato primi hominis vitiatus, vt Deus voluntate sua bonam voluntatem hominis possit sanare si velit. Creauit enim, sicut

Sapien.1. *scriptum est, vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum. Veruntamen ne homini ex seipso putaretur esse sanitatis initium, mox sermo diuinus adiecit: Et non est in illis medicamentum exterminij.*

Quamuis igitur homini primo diabolus abstulerit fidem, Deo tamen reddendi quod dederat non abstulit potestatem, nec humanam naturam vsqueadeo diabolus vitiare potuit, vt deinceps non posset quod amiserat Deo rursum largiente recipere. Omnipotens enim qui potuit humanam formare, potest etiam infirmam sanando per gratiam reformare & custodire naturam. A quo ipsa natura sicut in primo homine fidem ad salutem acceperat, ita nunc in singulis munere diuinæ bonitatis accepit, quos idem Deus prædestinatos, & per fidem saluandos ex parentibus creat. Potest igitur Deo donante homo in Deum naturaliter credere. Contra naturam quippe hominis est quòd in Deum non credit, quia incredulitatem non habet ex creatione Dei, sed ex voluntaria prævaricatione mandati, per quam sanitate priuatus & lumine, hoc per seipsum potest, vt cæcitatem atque infirmitatem suam proprio arbitrio augere possit, remouere non possit. Cuius tamen illuminatio atque sanatio intantum est omnipotenti creatori possibilis, vt ad gloriam nominis eius ipso donante, non solùm possit infidelis credere, verùm etiam ad immortalem atque incorruptibilem vitæ statum, per fidei gratiam peruenire. Vbi accipiens gratiam pro gratia peccare omnino non possit, & possit fœliciter videre quod credidit. Vnde vox illa fidei resultat in Psalmis: Credo videre bona domini in terra viuentium. Deus igitur licet non ad hoc humanam naturam fecerit vt vitiaretur per culpam, ipse tamen omnipotenti bonitate potest vitiatam sanare per gratiam. Arbitrium itaque hominis sanat Deus atque illuminat, vt homo in Deum naturaliter credat. Ita fit vt homo fidem habere possit, sed eam nisi ex dono Dei habere non possit.

Psal. 26.

CAP

CAPVT XXIIII.

NOn enim consequens est vt omnia quæ habere nos possumus, etiam ex nobis habere possimus. Nam & caro nostra sic à Deo facta est, vt possit naturaliter viuere, hoc ipsum tamen non ex se, sed ex anima possit habere quod viuit, vita igitur vt inesse carni naturaliter incipiat, manifestum est eam ab anima ministrari. Ac sic quidem potest caro nostra viuere. Sed si in ea sit anima quæ vita eius est. Veruntamen in anima nostra & carne, non paruum nobis gratiæ Dei monstratur exemplum. Nam sicut ex seipsa caro vitam non habet, sed ab anima accipit, sic homo non potest habere fidem nisi munere Dei donantis acceperit. Sicut etiam vt caro viuat solius opus est animæ, ita quoque vt homo credat solius opus est gratiæ. Et sicut caro nihil operari potest si eam viuificare anima desinat, sic homo nihil bene velle potest, si ab eo gratiæ iuuamen abcedat. Vt ergo caro & viuere possit & operari, præsentis animæ viuificatione fulcitur, homo quoque vt bonum velit aut faciat, gratiæ viuificantis subsidio iugiter adiuuatur. Interest autem vt caro nostra quantum viuificatur ab anima, non solum bene, sed etiam malè operandi accipiat facultatem. Cùm autem nos gratia viuificat, non nisi ad bene volendum, nec nisi ad bene operandum nobis adiutorium subministrat. Agnoscat igitur homo in eo se naturaliter credere posse, in quo naturam habet credulitatis, ac fidei capacem, quod animalibus irrationabilibus datum diuinitus non est, non tamen vt se putet ad habendum fidem vsque adeò esse idoneum, vt ex voluntate sua constare fidei arbitretur exordium. Volens enim homo habet fidem: sed Deus qui fidem donat, ipse hominis mutat & dirigit voluntatem. Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum.

Psal. 84.

CAPVT XXV.

DE his igitur in quibus natura diuino ſanatur munere, vt in Deum naturaliter credant, quiq; gratis per fidem iuſtificati, etiam ad bene operandum auxilium gratiæ ſubſequentis accipiunt, Apoſtolus dicit: Rom.2. Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Quem quidem apoſtoli locum, hi qui gratiæ contradicunt, gentibus incredulis aſſignare contendunt, ex hoc videlicet quòd etiam illi qui fidei gratiam non recipiunt, illa quæ ad honeſtatem morum & humanæ ſocietatis vinculum pertinent, naturali quadam lege ſic ſeruant, vt etiam eos qui illa violare contendunt, iudiciorum æquitate ac ſeueritate coërceant. Vbi minus attendunt Apoſtolico ſuam ſententiam prorſus eneruari ſermone, quem ſuperius præmiſit, dicens: Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Iuſtificari autem ſine fide neminem poſſe idem beatus Apoſtolus oſtendit, dicens: Scientes autem quod non iuſtificabitur homo Galat.2. ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti. Et nos in Chriſto Ieſu credimus vt iuſtificemur ex fide Ieſu Chriſti, & non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro. Et paulo poſt fidei gratiam cõmendans, per quam vera cõfertur vnicuiq; iuſtitia, ſic ait: Non abijcio gratiam Dei. Si enim per legẽ iuſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Item cùm patrem noſtrum Abraham non ex operibus legis, Galat.3. ſed ex fide iuſtificatum aſſereret, dicẽs: ſicut Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiã, vt etiam gentes quas ſemini Abrahæ diuinus ſermo promiſit ex fide iuſtificari Paulus oſtẽderet, ſecutus adiunxit, Cognoſcite ergo quia qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abrahæ. Prouidens autem ſcriptura, quia ex fide iuſtificantur gentes, Deus prænunciauit Abrahæ, dicens: quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham. Hunc autem patrem noſtrum Abraham non ex operibus, ſed ex fide iuſtificatũ eſſe confirmãs alio loco ſic loquitur: Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non Rom.4. apud Deũ. Quid enim ſcriptura dicit: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam? Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecũdum gratiam, ſed ſecundùm debitũ. Ei verò qui nõ operatur, credenti autem in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam. Cùm ergo Apoſtolus de his gentibus loquens, quæ naturaliter ea quæ legis ſunt facientes, oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, de his ſe loqui teſtetur qui iuſtificantur, Abraham autẽ patrem noſtrum non ex operibus, ſed ex fide iuſtificatum eſſe commemoret, quis audeat illas in hoc loco gentes accipere, quas conſtat non eſſe iuſtificatas ex fide, cum ipſe teſtetur Apoſtolus: quia omne quod non eſt ex fide, pec- Rom.14. catum eſt. Et quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo? Hebr.11. Quod ſi Abraham ex fide iuſtificatum eſſe conſtat, cuius ſemini gentes Apoſtolus promiſſas eſſe commemorat, quiſquis aſſerit gentes non ex fide, ſed ex operibus iuſtificari poſſe, quid ſuperẽſt, niſi vt eas neget ad Abrahæ ſemen, cui gentes promiſſæ ſunt, pertinere: cùm Abraham (ſicut Apoſtolus dicit) pater ſit omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iuſtitiam? Quoniam igitur vnus Deus qui iuſtifi- Rom.4. cat circunciſionem ex fide, & præputium per fidem, Apoſtolus autem de his qui iuſtificantur ſe loqui monſtrauit, cùm de gentibus naturaliter quæ legis ſunt facientibus, & opus legis in ſuo corde habentibus diſputaret, ille ſenſus eſt veritati conueniens, quod gentes in

eodem loco accipiuntur, quas Deus fidei dono iustificat, & in eo quod eis gratiam fidei tribuit, opus legis suæ in eorum cordibus donata iustificatione conscripsit, vt sine testamenti veteris litera per noui testamenti gratiam natura renouata opus legis ad hoc scriptum habeat, vt ad populum Dei non operum præcedentium merito, sed iustificationis gratuito munere incipiat pertinere. Quod nobis ore prophetico cælestis dignata
Hiere. 31. est vulgare doctrina, sancto Hieremia dicente: Ecce dies venient, dicit dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum. Et paulo post: Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel, Post dies illos, dicit dominus, dabo leges meas in corda eorum, & in sensibus eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Deum, quoniam omnes scient me à maiore vsq; ad minorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum illorum iam non memorabor.

CAPVT XXVI.

HÆc autem scientia in qua sic Deus agnoscitur, vt peccatorum remissio diuinæ propitiationis munere tribuatur, longè aliena est ab illa cognitione illorum, qua cognoscentes Deum non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerũt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. Isti enim quia sine gratia fidei, quæ per charitatem operatur, Deum cognouerunt, ipsa sua cognitione inexcusabiles facti sunt. Hi verò, qui Deum perceptione fidei cognoscunt, inaccusabiles fiunt. Quis enim accusabit

cusabit electos Dei? Nemo vtique, diligentibus enim Rom. 8.
eis Deum omnia cooperantur in bonum. Et ideo eos nullus accusat, quia Deus eos secundum propositum præscitos & prædestinatos vocatósque iustificat atque glorificat, vt gloriatione legis factorum qua se homo superbus extollit exclusa, per legem fidei quæ per charitatem operatur, qui gloriatur in domino glorietur. Quod si quibusdam cognoscentibus Deum, nec tamen sicut Deum glorificantibus, cognitio illa nihil profuit ad salutem, quomodo hi potuerunt iusti esse apud Deum, qui sic in suis moribus atque operibus bonitatis aliquid seruant, vt hoc ad finem Christianæ fidei charitatisq; non referant? Quibus aliqua quidem bona quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem, inesse possunt. Sed quia non charitate Dei fiunt, prodesse non possunt. Etenim fieri potest, vt quisquam Deum esse credat, qui Deum non diligit: vt autem quisquam Deum diligat qui in Deum non credit, fieri nullatenus potest: quia potest vnusquisque credere aliquid esse quod nõ diligit, diligere verò nemo potest quod esse non credit. Apostolus autem dicit: Sine charitate Fides non potest esse sine charitate. 1. Cor. 13.
fidem cæteraq; bona opera cuiquam prodesse non posse, dicit enim: Si habuero omnẽ fidem ita vt montes transferam, & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Si ergo opera cum fide sine charitate prodesse non possunt, quomodo proderunt opera quæ in fide non fiunt? Vnde non immeritò beatus Apostolus pro Thessalonicensibus orat, vt eis Deus impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute. Nam & in eodem loco, vbi de gentibus legem naturaliter facientibus loquebatur, antè præmiserat dicens: Gloria autem & honor Rom. 2.
& pax omni operãti bonum, Iudæo primum & Græco.

Quomodo autem infidelibus potest esse gloria, quæ non datur nisi iustificatis? Quos enim Deus iustificauit, illos & glorificauit. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi super omnes qui credunt. Aut quis honor incredulis dabitur, cùm hunc non nisi credentibus tribui beatus Petrus edoceat, dicens: Vobis igitur honor credentibus? Vel quomodo erit pax ei, qui non est redemptus sanguine Iesu Christi, in quo Deus pacificauit, siue quæ in terris sunt, siue quæ in cælis? Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Hæc autem pax sine charitate & fide Christi non potest possideri, quia iustificati ex fide, pacem habemus ad Deum per dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum habemus per fidem in gratia ista, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Quos spes ideo non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Accepimus enim spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Vt igitur homines filij Dei fiant, filium Dei vnicum per fidem recipiunt, & ipso donante hãc accipiunt à domino potestatem, vt & in eum credant, & ad numerum filiorum Dei pertineant: Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. In eorum cordibus dat legem suam, & in sensibus eorum scribit eam, id est, legem fidei, quæ inspirata iustificat, non legem factorum, quæ etiam obseruatores suos sine dubitatione condemnat.

Rom. 8. Rom. 3. 1. Pet. 2. Ephes. 1. Rom. 5. Rom. 8. Ioan. 1.

CAPVT XXVII.

NAm illa quæ lex factorum est, quæ hominem iustificare non potest, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, potest quidem naturaliter esse & in corde gentilium, & in corde fidelium Iudæorum: Quæ

Quæ tamen sine fide Christi nullatenus iustificat sectatores suos, sed eos tenet vinculo impietatis obstrictos. Hæc vtique fuit in corde Pauli, quando fuit incredulus, secundùm æmulationem persequens ecclesiam Dei, & secundùm iustitiam quæ in lege est conuersatus sine querela. Quam tamen quia ex Deo non habuit, ideo dicit: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta: veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi domini, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ est ex fide Christi, quæ ex Deo iustitia ex fide ad cognoscendum illum. Quis non his verbis apostolicis videat iustitiam quæ ex lege est, esse ex homine, iustitiam verò quæ ex fide Christi est, non esse nisi ex Deo? Illa est igitur iustitia per quam impius erigitur vt cadat in pœnam, ista autem est per quam iustificatus humiliatur, vt exaltetur ad gloriam. Ideo cùm in illa quæ ex lege est, sine querela conuersaretur Apostolus, fuisse se impium non negat, dicens: Vt quid enim Christus cùm adhuc infirmi essemus secundùm tempus pro impijs mortuus est? Inimicum quoque Dei se fuisse veraciter confitetur, dicens: Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati, saluierimus in vita ipsius ab ira per ipsum. Quid ergo prodesset Paulo sine cognitione Christi, illam quæ in lege factorum est, seruare iustitiam: cùm ipse Saluator noster Iudæis dicat: Nisi cognoueritis, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris. Ergo quia iustitiam quæ est ex fide Christi ad cognoscendum illum esse testatur Apostolus, manifestum est legem fidei esse, quam se Deus in corde suorum scripturum esse promisit.

Philip. 3. Rom. 5. Ioan. 8.

Quod eiusdem tenor euidenter ostendit. Ibi enim dicit
Hiere.31. Deus: Et non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce dominum, quia omnes scient me à minore vsque maiorem eorum. Hæc est lex, quam Deus scribit in cordibus eorum omnium, non per conditionem naturæ, sed per largitatem gratiæ, non per liberum arbitrium hominis, sed per ministerium Euangelicæ prædicationis, non in lapide per literam veteris testamenti, sed in corde per spiritum Dei viui. Quod beatus Paulus euidẽter insinuat dicẽs:
2.Cor.3. Epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Hoc ergo Deus scribit in cordibus hominum per spiritum suum, quod exinde diaboli deleuit inuidia, per quam mors intrauit in orbem terrarum. Scribit itaque legem fidei per quam iustificat gentes Deus, vt dando gratiàm renouet naturam. Charitatem quippe quæ plenitudo est legis, ad hoc
Rom.13. per spiritum suum diffundit, vt faciat impleri quod præcipit: & illuminationis gratiam per spiritum fidei propterea largitur, vt quod Deo placitum est, fides per charitatem operetur. Quæ quandiu in homine non est, quicquid sine lege fidei per legem naturalem scriptum remansit in homine, operantem nullatenus saluat, quia neminem Deus sine fide iustificat, nec potest operanti salutem acquirere, quia sine fide impossibile est
Heb.11. placere Deo. Nemo ergo naturali legi conetur assignare legem, quam Deus non condendo naturam, sed donando gratiam in corde gentium scribit. Hæc est enim lex, non qua homo societatis humanæ vinculum etiam sine fide custodit, sed per quam credendo Deum cognoscit & diligit, non per quam sibi etiam bona opera vel ipsam fidem quisquam superbus vendicat, sed quæ Deo in se misericorditer operante, tam fidem suam quàm

quàm bona opera subiectus assignat. Hæc enim cor hominis ita componit & dirigit, vt cùm homo præcepta Dei audit, id donari sibi quod præcipitur poscat, & cùm in fide operatur, gratia Dei se iugiter adiuuari non ambigat.

CAPVT XXVIII.

QVod autem interrogant isti de Deo dicentes: Cur ergo non fecit omnes homines velle credere, cum non sit personarum acceptio apud Deum? Scire debent hoc in illis altioribus positum, à quibus sancta scriptura humanæ curiositatis exercet audaciam, dicens: Altiora Eccles.3.
te ne quæsieris, fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper. Hæc altiora ille qui vsque in tertium cælum raptus est, eo magis territus quo magis illuminatus expauit. Vnde magis clamare non cessat: O altitudo diuitiarum sapientiæ & Rom.11.
scientiæ Dei, quàm incõprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum domini? aut quis cõsiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula. Sat est ergo nobis & in his qui saluantur gratuitam Dei misericordiam, & in his qui condemnantur veram Dei iustitiam sine dubitatione credere, & corde contrito atque humiliato misericordiam domino iudiciumq; cantare, qui & in vasis iræ atque aptatis in interitum ostendit iustitiæ suæ nullam iniquitatem placere, & demonstrat in vasis misericordiæ, quia potest eius bonitas omnia, quibus voluerit, peccata dimittere.

CAPVT XXIX.

ILlud verò apostolicũ, vbi dicitur de Deo: Qui vult 1.Tim.2.
omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: non sicut oportet intelligunt, qui hanc Dei vo-

Universidad de Deusto Biblioteca

Dei voluntatẽ ſicut in vaſis miſericordiæ, ſic & in vaſis iræ accipiendam exiſtimant, minus conſiderantes veraciſſimam ſcripturæ ſententiam, quæ diuinæ commendans omnipotentiã volũtatis: Omnia, inquit, quæcunque voluit fecit in cælo, & in terra, in mari, & in
Pſal.113. *omnibus abyſſis. Ipſi Deo rurſus dicitur: Subeſt enim*
Sapien.7. *tibi cùm voles poſſe. Quomodo igitur omnia quæ vult facit, ſi volens hominem ſaluum fieri, cuius ſalus non niſi à bona incipit voluntate, ipſum velle non in homine Deus inchoat, ſed vt ab homine naſcatur expectat? O quàm peſſimum nephas aſſeritur, dũ gratiæ Dei contumaciter repugnatur, & homines opere Dei ſe in bonum mutari negant, qui homines non eſſent niſi bonitate Dei operantis exiſterent. Itáne verò rerum ordo credi putarive permittitur, vt Deus qui creator eſt hominis, valeat hominẽ facere, nõ mutare, & qui nullius eget adiutorio vt hominem faciat, operari tamen quod vult in hominis voluntate non poſſit, priuſquàm in homine ipſum velle repererit, & vt ſit homo habeat ex Deo, vt autem melior ſit habeat ex ſeipſo, ac ſic voluntatem bonitatis qua in Deum creditur, non diuina bonitas, ſed humana prauitas operetur. Prauus eſt enim omnis homo priuſquam in Deum credat. & quia*
Eſaiæ 40. *ſcriptum eſt: erunt praua in directa. Ex prauo ſit homo rectus, ex infideli fidelis efficitur. Igitur ſi Deus prauæ voluntati bonam non tribuit, ſed vt ex ſe ipſa bona fiat expectat, poteſt ergo praua voluntas ex ſe bonitatem gignere, ita vt cùm ex Deo habeat vt ſit, non niſi ex ſe habere poſſit vt bona ſit, ac ſic omnipotens & bonus de voluntatibus hominum malis, bonum poſſit operari cùm velit, vt autem ipſæ voluntates bonæ ſint, velit quidem, facere antè nullatenus poſſit. Quis enim neſciat malæ voluntatis fuiſſe Paulũ cùm perſequeretur eccleſiam Dei, & expugnaret illam? Cuius tamen malitia bene*

bene vſus eſt Deus, quando perſequente Paulo beatus Stephanus eſt martyrio coronatus. Ergóne potuit Deus Stephanum coronare per Pauli perſecutoris infidelitatem, & perſecutorem Paulum Deus conuertere nequiuit ad fidem? Ergóne Paulus prior voluntatem ſuam Deo dedit, & ſic Deus fidem Paulo volenti retribuit? Et vbi eſt quod ipſe dicit: Quis prior dedit illi & retri- Rom.11. *buetur ei? Quod vtique non dixiſſet, ſi à ſe voluntatem Deo datam, & à Deo ſibi fidẽ cognoſceret retributam. Hanc itaq; amentiam & à fidelibus ſuis arceat, & ab infidelibus auferat Deus. Ille enim tam prophana cogitatione polluitur, cui gratia vel obdurato nõ datur, vel aufertur ingrato. Deus enim conuertens viuificat quos vult ſaluos fieri, Deus voluntates hominũ mutat vt eſſe bonæ incipiant. Ideo ſcriptũ eſt: Et dixi, nunc cœpi, hæc* Pſal.76. *eſt mutatio dexteræ excelſi. Prophetæ ſenſus aperto ſermone ſe præbuit agnoſcendũ, qui vtiq; non poſtea quàm cœpit, ſed hoc ipſum quod cœpit, mutationem dexteræ excelſi non tacuit. Proinde hi qui voluntatem Dei qua omnes homines vult ſaluos fieri, æqualem circa redimendos & damnandos exiſtimãt, cùm interrogati fuerint cur velit Deus omnes homines ſaluos fieri, nec tamen omnes ſalui fiant, quid reſpondebunt?*

CAPVT XXX.

AN illud quod veſtra eos dicere teſtatur epiſtola? id eſt, quia Deus expectat hominis voluntatem, vt æquum ſit in volẽtibus præmium, in nolentibus autem iuſta damnatio. Sed vt prolixitatem vitãtes omittamus alia quæ poſſunt pro veritate fidei huic prauæ ſententiæ replicari, interim teſtimonio confundantur atque conuincantur non loquentium hominum, ſed tacentium paruulorum, in quibus ad euacuãdam ſapientiam verbi multum reſplendet virtus crucis Chriſti, quæ gratis in omnibus hominibus propria vtentibus volun-

Salus gratuita adultis sicut paruulis.

voluntate eandem salutem à se ostendit fieri, quam in infantibus nullam voluntatem habentibus dignatur operari. In eis namq; nec bona voluntas est, vt æquum sit in volentibus præmium: nec mala, vt sit in nolentibus iusta damnatio. Si ergo vt ad saluandos homines, sicut isti volunt, non excitat neque mutat, sed expectat hominum volũtates, quomodo infantibus qui baptizantur, & in eadem infantia moriuntur, donat æternam salutem, quorum bonam nec expectat, nec inuenit voluntatem. Item alios quomodo sine baptismate mortuos

Cruciatus infantum.

æternis cruciatibus damnat, cùm in eis nullam culpam malæ voluntatis inueniat? Nónne istos inimicos gratiæ Dei, nec defensores humani sed deceptores arbitrij, ad hoc sua peruersitas cogit, vt Deum putent iniquum in obitu omnium paruulorum, vbi nulla interueniente vel bonitate, vel malitia voluntatis, alios vident potiri regno, alios interminabili deputatos incendio? Proinde si ita est, vt ipsi sentiunt, nullus debet paruulus mori priusquam ad ætatem perueniat, in qua possit vel bonam volũtatem habere vel malam, vt Deus nec baptizatos paruulos sine bona voluntate saluet, neq; non baptizatos sine mala voluntate condemnet. Si enim Dei bonitas salutem non incipit hominis operari, nisi bonam eius inuenerit voluntatem, iniquum erit eum damnari vel redimi, qui bene nec velle nec nolle potuerit. Sed non est iniquitas apud Deum, cuius vniuersæ viæ misericordia & veritas. Igitur quia Deum iustum bonumq; catholica veraciter credit & confitetur ecclesia, certissimè credendũ est & fiducialiter confitendum, vnam eademq; Dei gratiã in maioribus saluandis operari bonæ voluntatis initium, quæ in paruulis sine voluntate operatur saluationis effectum. Ipsa gratia infantes neque volentes neq; nolentes redimit, quæ maiores illuminando volentes ex nolentibus facit. Et hoc in paruulis salutis opus, sine propriæ voluntatis assensu gratia Dei operante perficitur, quod bonæ voluntatis exordio diuinitus dato in maioribus inchoatur, vt opere solius gratiæ voluntas quæ mala fuit bona fiat, & deinceps gratiæ secum operanti seruitium obedientiæ cooperatricis exhibeat. Sic autem Deus crudelis non est in infantibus damnandis, quibus baptismatis beneficium non tribuit, sicut iniustus non est in maioribus, cùm bonam non donat voluntatem. Et sicut illos voluntas sua mala, sic istos iure puniri facit origo damnata. Deus autem in hominibus nec maculam vitiatæ originis, nec malitiam condidit propriæ voluntatis. In hominibus igitur quos saluat voluntatem bonam non inuenit, sed sicut ætatum exigit diuersitas, aut in maioribus bonam voluntatem gratis facit quam inuenit malam, aut sine voluntate hominis vel bona vel mala, perficit in paruulis gratiam sacramenti ille cuius nemo potest bonæ resistere voluntati.

CAPVT XXXI.

QVocirca illos omnes quos Deus vult saluos fieri, sic intelligere debemus, vt nec aliquem putemus saluari posse nisi volente Deo, nec existimemus voluntatẽ omnipotentis Dei aut in aliquo non impleri, aut aliquatenus impediri. Omnes enim quos Deus vult saluos fieri, sine dubitatione saluantur, nec possunt saluari nisi quos Deus vult saluos fieri, nec est quisquã quem Deus saluari velit & non saluetur, quia Deus noster omnia quæcunque voluit fecit. Ipsi omnes vtique salui fiunt, quos omnes vult saluos fieri, quia hæc salus non illis ex humana voluntate nascitur, sed ex Dei bona volũtate præstatur. Veruntamen in his omnibus hominibus quos Deus vult saluos facere, non totum omnino genus significatur hominum, sed omniũ vniuersitas saluandorum.

Ideo

Ideo autem omnes dicti sunt, quia ex omnibus hominibus omnes istos diuina bonitas saluat, id est, ex omni gente, conditione, ætate, ex omni lingua, ex omnium prouincia. In his omnibus ille sermo nostri redemptoris impletur, quo ait: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Quod non ideo dixit, quia omnis omnino trahit, sed quia nemo saluus fit, nisi quem ipse traxerit. Nam & alibi dicit: Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Item alibi: Omne quod dedit mihi pater, ad me veniet. Hi ergo sunt omnes, quos vult Deus saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Est autem familiare diuinis eloquijs, vt omnes nonnunquam dicant, nec tamen omne humanum genus in ipsis omnibus semper intelligi debere commoneant, sicut est illud quod dicit dominus per prophetam: In nouissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem. Quod in centum viginti hominibus, in quos spiritus sanctus linguis igneis venit, factum beatus Petrus ostendit. Si ergo hic omnem carnem omnes omnino putauerimus homines intelligi, incipiet (quod absit) mendax æstimari diuinus sermo. Est autem Deus verax, & eloquia domini eloquia casta. Super omnem igitur carnem sicut se Deus effusurum de spiritu suo repromisit, sic fecit, sic facit, sic vsque in finem seculi facturus est. Prorsus super omnem carnẽ, id est, super omnes homines effundit de spiritu suo, scilicet super illos homines quos vult saluos fieri. Et vt qui sint omnes isti plenius nouerimus, eiusdem beati Petri sermonibus auscultemus, qui illam prædicationem suam sancto spiritu repletus hac exhortatione concluſit: Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum spiritus sancti. Vobis enim est repromissio, & filijs vestris, & omnibus qui

Ioan.11.

Ioan.6.

Per omnes homines nõ semper totum genus humanum intelligitur.

Ioel 2.

Actu.2.

Actor.2.

qui longè sunt quoscunque aduocauerit dominus Deus noster. Omnes itaque dixit, sed quoscunque dominus aduocauerit. Quos etiã beatus Paulus secundùm propositum vocatos insinuat. Qui alio quoque loco ait: concluſisse Deum omnia in incredulitate, vt omnium misereatur. Et tamen Deus non ita omnium omnino miseretur, quos in incredulitate concluſit, vt omnibus infidelibus gratiam fidei misericorditer donet, cùm tamen eandem gratiam fidei non infidelibus Deus misericors donet, sed illis proculdubio de quibus ad Moysen dicit: Miserebor cui misereor, & misericordiam præstabo cuius miserebor. Gratiam igitur voluntariæ donationis ostendens, sicut dominus suis dignatus est loqui discipulis: Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum. Item dicit: Qui potest capere capiat. Sed vt ipsam capacitatẽ diuina doceret largitate concedi, alio loco ait: Non omnes capiũt verbum, sed quibus datum est. Hi sunt ergo omnes quorum Deus miseretur, quia misericordia ipsius præueniuntur vt credant, & gratis salui fiant per fidem. Eorum namque credulitas, non ex humana voluntate sumit initium, sed ipsi voluntati fides gratuita Dei miserantis largitate donatur. Hanc omniũ discretionem, quam fidelis debet intellectus omnino seruare, beatus Paulus vno epistolæ suæ loco sic posuit, vt omnes homines sine aliqua exceptione dicens, statim quosdam omnes homines exceptis alijs intimaret. Ait enim: Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Nunquidnam quia in omnes homines in condemnationem, & in omnes homines in iustificationem Apostolus dicit, ideo prorsus omnes homines quos per peccatum Adæ originaliter constat esse damnatos, simul omnes eosdem credere debemus iustificatos

Rom.11.

Exo.9.

Matth.13.

Matth.19.

Ibidem.

Rom.5.

esse per Christum, cùm innumerabiles infidelium mortes obsistant, qui sine gratia iustificationis de hac vita transeunt, & absque sacramento baptismatis, ad sedem mortis, æternaq; supplicia rapiuntur. Restat ergo vt non omnes omnino quos in condemnationem ponit Apostolus, transire ad iustificationis gratiã sentiamus, sed quosdam ex illis omnibus. Omnes istos itaque omnes per Adam in condemnationem esse filios iræ, & ex eis quosdam per Christum omnes esse filios gratiæ *. Illos ergo esse omnes quos per primum hominem propago peccatrix carnali generatione condemnat, omnes enim terreni sunt, qui terreni hominis imaginem gerunt, & omnes cælestes, qui ad æternam vitam imaginem hominis cælestis accipiunt. Iterum dicit propheta: Omnes gentes quascunq; feciſti venient, & adorabunt coram te, & glorificabunt nomen tuum in æternum. Dominus autem suis fidelibus dicit: Eritis odio omnibus gẽtibus propter nomen meum. Nunquid ergo contrarijs sibi repugnat scriptura diuina sententijs? Absit. Sed & illos omnes & istos omnes veraciter dicit, id est, & omnes fideles qui nomen domini in omnibus gentibus glorificãt, & omnes incredulos qui per easdem omnes gentes, in odio nominis Christi fideliũmque eius, mortifera impietate perdurant. Tale quiddam est etiam in epistola quam Colossensibus beatus Apostolus scribit, vbi dicit: Quia in Christo condita sunt vniuersa in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Et paulò post ait: Quia in ipso complacuit omnem plenitudinẽ inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris sunt, siue quæ in cælis sunt. Nunquid diabolum & angelos eius pacificare credemus?

* aliàs addendũ debemus intelligere.

Pſal. 85.

Matth. 10.

Cap. 1.

mus? Absit, qui enim sic sentire voluerit, bicipitem laqueum geminæ impietatis incurret, vt aut diabolum & angelos eius per spiritum creatos esse neget, aut eos reconciliandos per sanguinem crucis eius affirmet. Veruntamen quisquis harum sententiarum prauitate qualibet inuoluitur, caueat ne cum ipso diabolo atque angelis eius æternæ combustionis punitione damnetur. Vnius enim eiusdémque impietatis est reus, si quis diabolum aut non à Christo creatum, aut reconciliationi Christi credat quandoque reddendum. Cùm vtique si eum Christus dominus non creasset, eius damnabilis à Christo discessio non esset. Et si eum Christus quandoque saluaturus esset, non ore Christi pronunciaretur eius æterna cõbustio. Omnia ergo per Christum & in Christo creata sunt, quia nihil est quod non per filium & in filio creauerit pater. Et omnia per ipsum atque in ipso reconciliantur, quia nullus est hominum qui sine cruce Christi reconciliationis beneficium consequatur. Ex hac ergo regula quæ cælestibus inserta monstratur oraculis, sic intelligamus omnes homines quos vult Deus saluos fieri, vt nouerimus omnes qui saluantur nõ nisi ex eius gratuita bonitate saluari. Vt enim quisque saluetur, nulla præcedunt humanæ voluntatis bona merita, sed sola Dei voluntas humanæ saluationis est causa. Ira enim in indignatione eius, & vita in volũtate eius. Ira igitur eius nostræ iniquitatis est meritum, vita verò nostra voluntatis eius est donum. Sicut enim pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. Eosdem autem viuificari vult, quos vult saluos fieri. Sic ergo quos vult saluat, quemadmodũ quos vult viuificat. Nihil namq; voluit & non fecit, qui, scriptura teste, omnia quæcunq; voluit fecit. Proinde non indignè dicimus aliquid Deum nolle quod possit. Nephas est autẽ si quis omnipotentẽ dicat

Pſal. 19.

Ioan. 5.

Roman.9. *aliquid facere non posse quod velit, voluntati enim eius quis resistet? Nemo vtique, quia non est aliqua natura quæ ab eius creatione sit aliena. Et sicut nihil naturaliter subsistit quod ille non fecerit, ita nihil prouenit in salutem hominum quod ille non in æterna bonæ voluntatis suæ dispositione faciendum prædestinauerit, à quo & fides gratis infunditur, per quam bene ambulemus, & perseuerantia donatur, per quam ad speciem peruenire possimus. Hæc autem dona sua semper Deus in æterna atque incommutabili habet voluntate disposita, in qua præordinauit atque præparauit & quæ daret, & quibus daret. Ipse enim prædestinando præparauit gratiæ donum, qui gratiam donando implet prædestinationis effectum.*

EPILOGVS.

Habetis dilectissimi fratres tam de incarnatione domini nostri Iesu Christi, quàm de gratia paucis expressam fidei nostræ confessionisq; sententiam, qua certissimè continetur vnigenitum Deum de Deo patre naturaliter sine initio natum, ex virgine naturaliter secũdum carnem progenitum. Vnus enim idemq; Deus verbum, quem prima natiuitate coæternum sibi genuit æternitas patris, & quem temporaliter conceptum secunda natiuitate filium hominis protulit vterus virginalis. Cuius gratia nobis & initium bonæ voluntatis donatur ad fidem, & ipsi voluntati adiutorium tribuitur, vt quod bene vult bene operetur. Deus enim qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua & donum illuminationis ad credendum, & donum perseuerantiæ ad proficiendum atque permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit præparauit, quiq; non aliter perficit in opere, quàm in sua sempiterna atque incommutabili habet voluntate dispositum. Cuius prædestinationis veritatem qua nos ante

ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante vltimum diem vitæ præsentis, impietatis suæ contumaciam qua Deo viuo & vero rebellis obsistit non abiecerit, manifestum est eum non pertinere ad eorũ numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit & prædestinauit ad regnum. Pro quibus tamẽ nec oratio fidelium debet desistere, nec charitas aliquando torpere, vt Deus eis gratiam suæ illuminationis donet, per quam in eis semẽ diuini sermonis fructificet, qui frustra exterioribus auribus sonat, nisi Deus spirituali munere auditum hominis interioris aperiat.

Ephes.1.

D. FVLGENTII RVSPENSIS EPISCOPI LIBER DE FIDE AD PETRVM DIACONVM.

PROLOGVS.

EPISTOLAM, *fili Petre, tuæ charitatis accepi, in qua te significasti velle Hierosolymam pergere, & postulasti te literis nostris instrui, quã debeas in illis partibus veræ fidei regulam tenere, vt nullus tibi possit sensus hæreticæ subrepere falsitatis. Gaudeo quidem quod pro fide vera sine vllo perfidiæ vitio custodiendæ solicitudinem geris, sine qua nulla potest prodesse, imò nec esse, conuersio. Apostolica quippe dicit authoritas, quia sine fide impossibile est placere Deo. Fides namque est bonorum omnium fundamentum. Fides est humanæ salutis initium. Sine hac fide nemo ad filiorum Dei numerum potest peruenire: quia sine ipsa nec in hoc seculo*

quisquam iustificationis gratiam cõsequitur, nec in futuro vitam possidebit æternam. Et si quis hic non ambulauerit per fidem, non perueniet ad speciem. Sine fide omnis labor hominis vacuus est. Tale quippe est, vt sine vera fide quisque velit Deo per cõtemptum seculi placere: quale si quisquam tendens ad patriam, in qua se scit beatè esse victurũ, relinquat itineris rectitudinem, & improuidus sectetur errorem: quo non ad beatam ciuitatem perueniat, sed in præcipitium cadat, vbi non gaudium perueniẽti detur, sed cadenti interitus inferatur. Veruntamen vt de fide sufficiẽs sermo promatur, nec temporis suffragatur spatium, quia celeriter nostrũ cupis habere responsum, & tam magnum est huius disputationis opus, vt à magnis vix possit impleri. Neque enim poposcisti sic te debere de fide instrui, vt vnam quamlibet hæresim designares, contra quam specialiter nostræ disputationis vigilaret intentio: sed cum indefinitè definitionẽ fidei petis, eamq; cupis etiam sub breuitate concludi, vides proculdubio quàm sit nobis impossibile, vt rem tantam in breui plenè comprehendamus. Cui sufficientes esse non possumus, etiamsi tantum spatium temporis, & tale nobis esset ingenium, vt multa volumina de hoc quod à nobis expetis facere valeremus. Sed quia Deus propè est omnibus inuocantibus eum in veritate, qui verbum consummans & breuians fecit super terram, spero, quia sicut tibi dedit huius fidei sanctam sollicitudinem, sic etiam mihi, vt tuo tam bono tamq; laudabili seruiam desiderio, sufficientem tribuet facultatem: vt etsi non potuero cuncta dicere, ex quibus omnis error hæreticus possit agnosci, & agnitus vel conuinci valeat vel vitari: tamẽ in nomine atq; adiutorio sanctæ trinitatis, quæ vnus solus verus & bonus est Deus, ea dicam in quibus saltẽ magna ex parte rationẽ fidei catholicæ cõstet sine aliqua erroris caligine con-

ne contineri: quibus retentis poteris & illa deprehẽdere atq; fugere, quæ etsi in hoc opere nõ videtur speciali disputatione conuinci, tamẽ ex ijs quæ hic generaliter atq; absolutè ponentur, appareãt illa quæ infideles homines auribus sõlent susurrare fidelium, non regula diuinæ veritatis tradita, sed nequitia humani erroris inuenta.

CAPVT I.

QVocunque igitur loco fueris constitutus, quia secundum regulam nostri Saluatoris imperio promulgatã, nosti te in vno patris & filij & Spiritus sancti nomine baptizatum, principaliter atq; indubitãter toto corde retine, patrem Deum, filium Deum, & Spiritum sanctum Deum, id est, sanctam atque ineffabilem trinitatem vnum esse naturaliter Deum, de quo in Deuteronomio dicitur: Audi Israel, dominus Deus tuus Deus vnus est. Et dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Veruntamen quia istum vnum Deum, qui solus est verus naturaliter Deus, non patrem solum, neque filium solum, neque sõlum Spiritum sanctum, sed simul patrem & filium & spiritum sanctum diximus esse, cauendũ est ne sicut patrẽ & filium & Spiritũ sanctum vnũ Deum esse, quãtum ad naturalem attinet vnitatẽ, veraciter dicimus: sic eũ qui pater est, eundẽ vel filiũ vel spiritũ sanctũ, aut eũ qui filius est, siue patrem, siue Spiritũ sanctũ, aut eũ qui Spiritus sanctus proprie in cõfessione huius trinitatis dicitur, vel patrem vel filium personaliter dicere siue credere, quod omnino nefas est, audeamus. Fides enim quã sancti patriarchæ atq; prophetæ ante incarnationẽ filij Dei diuinitus acceperunt, quam etiam sancti apostoli ab ipso domino in carne posito audierunt, & Spiritus sancti magisterio instructi, nõ sõlum sermone prædicauerunt, verumetiam ad institutionem saluberrimã posterorum scriptis suis inditam reliquerũt, vnũ Deum

Trinitas.

Deut. 6. Matth. 4.

prædicat trinitatem, id est, patrem & filiũ & Spiritum sanctũ. Sed trinitas vera nõ esset, si vna eademq; persona diceretur pater & filius & Spiritus sanctus. Si enim sicut est patris & filij & spiritus sancti vna substãtia, sic esset vna persona, nihil omnino esset in quo veraciter trinitas diceretur. Rursus quidẽ trinitas esset vera, sed vnus Deus trinitas ipsa nõ esset, si quemadmodum pater & filius & Spiritus sanctus personarũ sunt ab inuicem proprietate distincti, sic fuissent naturarũ quoq; diuersitate discreti. Sed quia in illo vno vero Deo trinitate, nõ solum quod vnus Deus est, sed etiam quod trinitas est, naturaliter verũ est, propterea ipse verus Deus in personis trinitas est, & in vna natura vnus est. Per hanc vnitatem naturalem totus pater in filio & Spiritu sancto est, totus filius in patre & Spiritu sancto est, totus quoque Spiritus sanctus in patre & filio. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est: quia nemo alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate: quia nec filio nec Spiritu sancto, quantum ad naturæ diuinæ vnitatem pertinet, aut anterior, aut maior pater est: nec filij æternitas atque immensitas, velut anterior aut maior Spiritus sancti immensitatem æternitatemq; aut præcedere aut excedere naturaliter potest. Sicut ergo nec filius posterior aut minor est patre, ita nec Spiritus sanctus posterior aut minor est filio. Æternum quippe & sine initio est, quod filius de patris natura natus existit: & æternum ac sine initio est, quod Spiritus sanctus de natura patris filijq; procedit. Ob hoc ergo tres, vnum rectè credimus & dicimus Deum, quia vna prorsus æternitas, vna immensitas, & vna naturaliter est trium personarum diuinitas. Teneamus igitur patrem & filium & Spiritum sanctum vnum esse naturaliter Deum, neque tamen ipsum patrem esse qui filius est, neque filium

filium ipsum esse qui pater est, nec Spiritum sanctum ipsum esse qui pater aut filius est. Vna enim est patris & filij & Spiritus sancti essentia, quam Græci οὐσίαν vocant, in qua non est aliud pater, aliud filius, aliud Spiritus sanctus, quamuis personaliter sit alius pater, alius filius, alius Spiritus sanctus. Quod nobis maximè in ipso sanctarum Scripturarum initio demonstratur, vbi Deus dicit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Cùm enim in singulari numero dicit, imaginem, ostendit vnam naturam esse, ad cuius imaginem homo fieret. Cùm verò dicit pluraliter, nostram, ostendit eundem Deum ad cuius imaginem homo fiebat, non vnam esse personam. Si enim in illa vna natura patris & filij & Spiritus sancti vna esset persona, nõ diceretur, ad imaginem nostram, sed ad imaginem meam: nec dixisse, faciamus, sed faciam. Si verò in illis tribus personis tres essent intelligendæ vel credendæ substantiæ, non diceretur, ad imaginem nostram, sed ad imagines nostras. Vna enim imago trium naturarum inæqualium esse non posset. Sed dum ad vnam imaginem vnius Dei homo factus dicitur, vna sanctæ trinitatis essentialiter diuinitas intimatur. Denique & paulo post pro eo quod superius dixerat, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, sic hominem factum Scriptura narrauit, vt diceret, Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum. Hanc trinitatem personarum atque vnitatem naturæ propheta Esaias reuelatam esse sibi non tacuit, cum se dicit Seraphim vidisse clamantia, Sanctus sanctus sanctus Dominus Deus sabaoth. Vbi prorsus in eo quod dicitur tertiò, sanctus, personarum trinitatem: in eo verò quod dicitur semel, Dominus Deus sabaoth, diuinæ naturæ cognoscimus vnitatem. In illa igitur sancta trinitate, quæ ideo à nobis repetitur to-

Genes. 1.

Esaiæ 6.

ties, vt nostro cordi tenacius infigatur, vnus est Deus pater, qui solus essentialiter de seipso vnũ filiũ genuit, & vnus filius, qui de vno patre solus est essentialiter genitus, & vnus Spiritus sanctus, qui solus essentialiter de patre filioq; procedit. Hoc autem totum vna persona non posset, scilicet gignere se, & nasci de se, & procedere de se. Quia igitur aliud est genuisse quàm natum esse, aliudq; est procedere quàm genuisse vel natũ esse, manifestum est, quoniam alius est pater, alius filius, alius spiritus sanctus. Trinitas itaque ad personas patris & filij & Spiritus sancti refertur, vnitas ad naturam.

CAPVT II.

Humanitas Christi.

Sicut ergo secundum illam diuinitatem, qua vnum sunt pater & filius & Spiritus sanctus, neque patrem natum credimus, neque spiritum sanctum, sed solum filium: sic etiam secundum carnem solũm filium natum catholica fides & credit & prædicat. Neque enim in illa trinitate proprium esset solius patris, quia non est natus ipse, sed vnum filium genuit: neque proprium solius filij, quia non genuit ipse, sed solus de patris essentia natus est: neque proprium Spiritus sancti, quia nec natus est ipse, nec genuit, sed solus de patre filióque procedit: si secundum diuinam quidem naturam Deus pater de nullo nasceretur Deo, secundum carnem tamen ipse nasceretur ex virgine, vna persona esset pater & filius: ipsa autem vna persona, pro eo quia non de Deo, sed tantum de virgine nasceretur, nõ Dei filius, sed tantũ hominis filius veraciter diceretur. Ipse autem Dei filius dicit: Quia sic dilexit Deus mundũ, Ioan. 3. *vt filium suum vnigenitum daret. Et iterum: Non enim misit Deus filium suum in mundum vt iudicet mũdum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Nec beatus dixisset Ioannes:* 1. Ioan. 3. *Qui diligit genitorem, diligit & eum*

eum qui natus est ex eo. Nec ipse filius dixisset: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Ipse enim qui filius dicitur, si idem esset & pater, non veraciter Dei filius diceretur, quia non de Deo, sed de sola virgine nasceretur. Ad extremum nec ipse pater de cælo testaretur, & suum corporali voce filium demonstraret dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Apostolus quoque non dixisset de Deo patre: Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Sed quoniam omnia ista diuinitus ad nostram doctrinam dicta sunt, & quia diuina dicta sunt, vtique vera sunt: verum est quod fides catholica prædicat, & secundum diuinitatem de patre natũ esse solum filium æternum, cum patre immortalem, impassibilem, atque incommutabilem Deum: & secundum carnem non patrem, sed vnigenitum eius filium, salua æternitate sua temporaliter natum, salua impassibilitate sua passum, salua immortalitate sua mortuum, salua incõmutabilitate sua, quia Deus verus, & vita æterna est, veraciter suscitatum. Qui totum habet cõmune cum patre quod æternus naturaliter sine initio habuit: & nihil habet commune cum patre eorum quæ in suam personam temporaliter atque humiliter ille æternus atque excelsus accepit. Rursus, si non ille qui proprius atque vnigenitus Dei patris filius est, sed Spiritus sanctus nasceretur ex virgine, nõ ipsum qui factus est ex muliere, factus sub lege, natum de Spiritu sancto ex Maria virgine, in symbolo acceptum, & corde ad iustitiam crederet, & ore ad salutem sancta ecclesia confiteretur. Sed & si ipse Spiritus sanctus, qui patris & filij spiritus est, formam serui acciperet, nõ ipse Spiritus sanctus super seipsum hominem factum in columbæ specie cælitus adueniret. Pater ergo Deus de nullo genitus Deo, semel de sua natura

natura sine initio genuit filium Deum sibi æqualem, & eadem qua ipse naturaliter æternus est diuinitate coæternum. Sed idē Deus filius cum sit æternus & verus, & cum patre secundum diuinitatem naturaliter
Ioan. 10. vnus Deus, secundum quod dicit, Ego & pater vnum sumus, idem pro nobis est homo factus verus & plenus. In eo verus, quia veram habet Deus ille humanam naturam: in eo verò plenus, quia & carnem humanam susceptit, & animam rationalem. Idem tamen vnigenitus Deus natus est semel ex patre, semel ex matre. Natus est enim de patre Deus verbum, natus est ex matre verbum caro factum. Vnus ergo est atque idem Deus Dei filius natus ante secula, & natus in seculo, & vtraq; natiuitas vnius est filij Dei. Diuina, secundum quam creator in forma Dei coæternus patri Deus est: humana, secundum quam semetipsum exinaniens, & formam serui accipiens, non solùm in conceptu materni vteri semetipsum dum homo fieret, eadem seruilis formæ susceptione formauit: verum etiam de eodem matris vtero idem Deus homo factus exiuit, & in cruce idem Deus homo factus pepēdit, & in sepulchro idem Deus homo factus iacuit, & ab inferis idē Deus homo factus tertio die resurrexit, sed in sepulchro secundum solam carnem idem Deus iacuit, & in infernum secundum solam animam descendit. Quæ de inferis ad carnem die tertia reuertente, idem Deus secundum carnem quæ in sepulchro iacuit, de sepulchro resurrexit: & quadragesimo post resurrectionem die idem Deus homo factus ad cælum ascendens in dextra Dei sedit, inde in fine seculi ad iudicandos viuos mortuosq; venturus. Verbum ergo caro factum, vnus est filius Dei dominus Iesus Christus, mediator Dei & hominum. Idcirco autē mediator, quia idem Deus atque homo verus, habens cum patre vnam diuinitatis naturam,

naturam, & humanitatis vnam cum matre substantiam: habens ex nobis vsq; ad mortem iniquitatis nostræ pœnam, habens incommutabilem de Deo patre iustitiam: propter iniquitatem nostram temporaliter mortuus, propter iustitiam suam & ipse viuus semper, & immortalitatem mortalibus largiturus. Qui perfectam quidem humanitatē suam in ipsa diuinitatis suæ perfectione seruauit: veritatem verò mortalitatis nostræ per susceptionem mortis, veritate atque incommutabilitate suæ immortalitatis absorbuit. Hoc est quod testatur beatus Petrus, quia Christus deglu- 1. Petr. 3.
tiuit mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur. Beatus quoque Paulus docet, quia Christus mortem de- 2. Tim. 1.
glutierit, illuminauerit autem vitam & incorruptionem. Christus ergo mortem gustauit, quia verus homo est, idemq; mortem deglutiuit, quia verus Deus est. Ipse quippe, sicut dicit Apostolus, mortuus est ex infirmitate. sed viuit ex virtute Dei: vnus atque idem, qui secundum prophetiam beati Dauid, & homo fa- Psalm. 86.
ctus est in Sion, & ipse fundauit eam Altissimus. Itaque nec diuinitas Christi aliena est à natura patris, secundum id quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Nec humanitas eius aliena est à natura matris, secundum id quod verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Illa enim natura quæ semper genita manet ex patre, nostram naturam sine peccato susceptit, vt nasceretur ex virgine. Neque enim natura æterna atq; diuina temporaliter concipi & temporaliter nasci ex natura humana vllatenus posset, nisi secundum susceptionem veritatis humanæ, veram temporaliter conceptionem atque natiuitatem ineffabilis in se diuinitas accepisset. Sic est Deus æternus ac

nus ac verus, veraciter secundum tempus & conceptus & natus ex virgine. Dum enim venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum Dei reciperemus: illo scilicet Deo naturaliter facto filio hominis, qui vnus est naturaliter filius Dei patris vnigenitus. Hoc vtique Ioannes Euangelista confirmans, postquam dixit, Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis: subsequenter ait, Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Sic ille omnium spirituum, omniumq; corporum, id est, omnium naturarum creator & Dominus, creauit virginem, creandus ex virgine, & cuius ipse factor est, matrem sibi fecit, quando de eius carne concipiendus, atque pariendus, veram materiam carnis Deus immensus ac sempiternus accepit: vt & secundum veritatem formæ seruilis, Deus homo misericorditer fieret, & secundum formam Dei naturali veritate idem Deus homo permanens non careret. Sic igitur Christum Dei filium, id est, vnam ex trinitate personam, Deum verum crede, vt diuinitatem eius de natura patris natam esse non dubites. Et sic eum verum hominem crede, vt eius carnem non cælestis, non aëreæ, non alterius cuiusquam putes esse naturæ, sed eius cuius est omnium hominum caro, id est, quam ipse Deus homini primo de terra plasmauit, & cæteris hominibus plasmat, quos per propagationem ex hominibus creat. Sed licet caro Christi & omnium hominum vnius eiusdémque naturæ sit: hæc tamen, quam Deus verbum ex Maria virgine sibi vnire dignatus est, sine peccato concepta, sine peccato nata est: vtpote secundum quam Deus æternus & iustus misericorditer, & conceptus, & natus est, & Dominus gloriæ crucifixus est.

est. Quibus autem verbis explicabitur carnis illius excellentia singularis, cuius diuina est ex ipsa sui conceptione persona, cuius origo natiuitatis insolita: qua sic verbum caro factum est, vt vna persona esset cum carne sua vnigenitus ac sempiternus Deus, ipsa suæ carnis conceptione conceptus? Istam verò cæterorum hominum carnem, per humanum certum est nasci concubitum, viro seminante, fœmina verò concipiente atque pariente. Et quia dum sibi inuicem vir mulierque miscentur, vt filios generent, sine libidine non est parentum concubitus, ob hoc filiorum ex eorum carne nascentium non potest sine peccato esse conceptus, vbi peccatum in paruulos non transmittit propagatio, sed libido. Nec fœcunditas humanæ naturæ facit homines cum peccato nasci, sed fœditas libidinis, quam homines habent ex illius primi iustissima condemnatione peccati. Ideo beatus Dauid quamuis de legitimo nasceretur iustóque coniugio, in quo scilicet nec infidelitatis culpa, nec fornicationis macula poterat inueniri, propter originale tamen peccatum quo naturaliter obstricti sunt filij iræ, non solùm impiorum filij, sed omnes etiam qui de iustorum sanctificata carne nascuntur, exclamat, & dicit: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis concepit me mater mea. Sanctus etiam Iob dicit, mundum à sorde non esse hominem: nec si vnius diei sit vita eius super terram. Dei ergo filius vnigenitus qui est in sinu patris, vt carnem hominis animámque mundaret, susceptione carnis atque animæ rationalis incarnatus est: & qui est Deus verus, homo verus factus est, non vt alter Deus esset, alter homo, sed idem Deus, idem homo. Qui vt illud peccatum quod in concubitu mortalis carnis generatio humana contraxit, auferret, conceptus est nouo more,

Libido cõcubitus.

Psal. 50.

Iob. 25.

Deus

Deus incarnatus in matre virgine, sine coitu viri, sine libidine concipientis virginis: vt per Deum hominem quem absque libidine conceptum inuiolatus edidit virginis vterus, ablueretur peccatum, quod nascentes trahunt omnes homines: quibus in corpore mortis huius talis est nascendi conditio, vt matres eorum fœcunditatis opus implere non possint, nisi prius virginitatem carnis amiserint. Solus igitur abstulit peccatum conceptionis atque natiuitatis humanæ Deus vnigenitus, qui dum conciperetur, veritatem carnis accepit ex virgine: & cum nasceretur, integritatem virginitatis seruauit in matre. Ista causa est, qua Deus factus est filius virginis Mariæ, & Maria virgo facta est mater vnigeniti Dei: vt quem pater genuit ex æternitate, ipsum virgo conceptum proferret in tempore. Illa vtique est virgo, quam Deus qui de ea fuerat nasciturus, ita singulari gratia præuenit atque repleuit, vt ipsum haberet ventris sui fructum, quẽ ex initio habuit vniuersitas dominum: & ipsum sibi videret nascendi solennitate subditum, quem in vnitate paternæ substantiæ, nõ solum humana, sed etiam angelica creatura cognoscit & adorat altissimum. Sic ergo peccatum & pœna peccati, quæ per scelus corruptæ mulieris intrauit in mundum, per inuiolatæ virginis partum auferetur à mundo. Et quia in conditione generis humani per mulierem quæ de solo viro facta est, cõtigit vt mortis vinculo teneremur obstricti: hoc in redemptione humani generis diuina bonitas egit, vt per virum qui de sola muliere natus est, vita hominibus redderetur. Illic humanam naturam nequissima deceptione sibi diabolus in peccati similitudine sociauit: hic Deus humanam naturam in vnitate personæ suscepit. Ibi fœmina decepta est, vt fieret filia diaboli: hic virgo gratia repleta est, vt fieret mater summi atque incommutabilis vnigeniti

geniti Dei. Ibi angelus deiectus per superbiam, seductæ mulieris animum obtinuit: hic Deus humilians se per misericordiam, incorruptæ virginis vterum ex ea nasciturus impleuit. Dei enim filius Iesus Christus, qui in forma Dei erat, quia nisi ex natura patris natus esset, esse non posset, ipse secundum apostolicam doctrinam semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Formam igitur serui, id est, naturam serui in suam accepit ille Deus personam: atque ita hominum factor in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, ipse humiliauit semetipsum, factus obediens patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Philip. 2. Intentè igitur hanc Apostoli sententiam cogita, & in ea cognosces quomodo dominũ Iesum Christũ eundem Deum atque hominem credas. Nec tamen in eo veritatem vtriusq; naturæ in vna persona, aut confundas aut dividas. Cũm ergo primo audis de domino Iesu Christo, quia in forma Dei erat, oportet te agnoscere, firmissimeq; tenere in illo formæ nomine naturalem plenitudinem debere intelligi. In forma igitur Dei dominus Iesus Christus erat, quia in natura Dei patris semper erat de quo natus est. Vnius ergo naturæ cum patre est, æqualitérque cum eo sempiternus atque immensus, æqualiter immortalis & incommutabilis, æqualiter inuisibilis & inenarrabilis, æqualiter bonus & iustus, æqualiter miserator & misericors, patiens & multum misericors & verax, æqualiter fortis & suauis, æqualiter sapiens atque omnipotens. Proinde hæc omnia quæ diximus de filio Dei, firmissima fide retine, qui hæc vtique omnia in vnitate naturæ habens cum patre, sine dubio æqualis est patri. Propter quod & Apostolus continuò adiungens ait: Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Non enim rapina fuit illa filij cum patre diuinitatis æqualitas, sed natura.

tura. Etiam illa quæ consequenter subiungit Apostolus dicens, quia semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: & quia humiliauit semetipsum, factus obediens patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Omnia hæc de illo Deo vnigenito Dei filio, de illo verbo Deo, de quo dicit Euangelista: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: de illa Dei virtute,

Psal. 103. *Deique sapientia, de qua de eo dicitur: Omnia in sapientia fecisti: de illo principio, cum quo vnum est pater ipse principium, & in quo sibi coæterno fecit cælum & terram, id est, omnem spiritalem corporalémque naturam: de Deo vnigenito, qui est in sinu patris, vt dixi, omnia hæc personaliter accipe, salua tamen æternitate, immensitate, immortalitate, incommutabilitate, inuisibilitate deitatis eius. Quæ ita naturaliter atque æqualiter communia cum Deo patre habet Dei filius, vt licet pro nobis fuerit homo veraciter factus, permanserit tamen æqualis vero Deo patri, de*

Ioan. 1. *quo natus est verus, & veritas Deus. Semetipsum igitur exinaniuit, sed de plenitudine eius nos omnes accepimus: quam plenitudinem si exinanitus amitteret, quod de ea nobis daret, vtique non haberet. Eodem autem non habente, nos proculdubio nihil possemus accipere: de plenitudine autem eius nos omnes accepimus. Ex eo autem quod nobis de plenitudine sua dedit, ostendit etiam cum se exinaniuit, plenitudinem non amisisse quam habuit: quia si plenitudinem suam amitteret, dare de illa nullatenus posset. Formam ergo serui accepit: neque enim aliud fuit illa summi Dei exinanitio, nisi formæ seruilis, id est, humanæ naturæ susceptio. Vtraque igitur est in Christo forma, quia vtraque & vera & plena est in Christo*

Christo substantia: ideo sanctus Euangelista plenum eum gratiæ & veritatis prædicat: quia in diuina natura in qua Deus veritas est plenus est, & in humana natura in qua homo verus gratia factus est, plenus est. In illa plenitudine Deus est, in forma Dei æqualis Deo. In ista plenitudine seruus, in forma serui, quia in similitudinem hominum factus, habitu est inuentus vt homo. Exinaniens ergo semetipsum, formam serui accepit vt fieret seruus: sed formæ Dei plenitudinem non amisit, in qua semper est æternus atque incommutabilis Dominus: factus secundum formam serui homo verus, eiusdem naturæ, cuius est ancilla mater, & manens in forma Dei Deus verus, eiusdem naturæ, cuius est etiam Dominus pater. In forma Dei cum patre & Spiritu sancto vnus est, solus formator omnium Deus: secundum formam serui, solus ipse sua & patris & Spiritus sancti operatione formatus: quia creator est commune habens naturaliter cum patre & Spiritu sancto: quia autem creatus est, formam serui secundum quam creatus est, solus habens personaliter in seipso. Cuius & natiuitatem futuram secundum carnem & mortem & resurrectionem, atque in cælo ascensionem lex & prophetæ prænunciare nunquam destiterunt, prout ipse præcipiebat, & verbis, & factis. Nam & in sacrificijs carnalium victimarum, quæ ipsa sibi sancta trinitas, quæ vnus est Deus noui & veteris testamenti, à patribus nostris præcipiebat offerri, illius sacrificij significabatur gratissimum munus, quod pro nobis seipsum solus Dei filius secundum carnem esset misericorditer oblaturus. Ipse enim secundum apostolicam doctrinam obtulit se- Ephes. 5. *metipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis. Ipse verus Deus & pontifex, qui pro* Hebr. 9. *nobis non in sanguine taurorum & hircorum, sed in*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sanguine suo semel introiuit in sancta. Quod tunc pontifex ille significabat, qui cum sanguine in sancta sanctorum per annos singulos introibat. Iste igitur est qui in se vno totum exhibuit, quod esse necessarium ad redemptionis nostræ sciebat effectum, idem scilicet & sacerdos & sacrificium, idem Deus & tẽplum. Sacerdos, per quem sumus reconciliati, sacrificium quo reconciliati. Templum, in quo reconciliati: Deus, cui reconciliati. Solus tamen sacerdos, sacrificium, & templum, & hæc omnia Deus secundum formam serui. Non autem solus Deus, quia hoc est cum patre & Spiritu sancto secundum formam Dei. Reconciliati igitur sumus per solum filium secundum carnem, sed non soli filio secundum diuinitatem. Trinitas enim nos sibi reconciliauit, per hoc quod solum verbum carnem ipsa trinitas fecit. In quo sic veritas incommutabilis manet humanæ diuinæq; naturæ: vt sicut vera semper est eius diuinitas, quam de patre incommutabilem habet: ita vera semper atque incommutabilis sit eius humanitas, quam sibi vnitam summa diuinitas gerit. Hæc pauca de fide sanctæ trinitatis, quæ solus & verus est naturaliter Deus, quantum breuitas temporis & sermonis permisit, inserui. Nunc de creatura, quid absque dubitatione credere debeas, intimabo.

CAPVT III.

Creaturæ. PRincipaliter itaque tene, omnem naturam quæ non est trinitas Deus, ab ipsa sancta trinitate, quæ solus Deus æternus & verus est, creatam ex nihilo. Ac sic vniuersa in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue thronos, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, opus atque creaturam esse sanctæ trinitatis: quæ est vnus Deus rerum omnium creator & Dominus, æternus, omnipotens, iustus, & bonus, habens naturaliter vt semper

semper sit, & mutari aliquando non possit. Et hic Deus qui sine initio semper est, quia summè est, dedit rebus à se creatis vt sint: non tamen sine initio, quia nulla creatura eiusdem naturæ est, cuius est trinitas vnus verus & bonus Deus, à quo creata sunt omnia. Et quia summè bonus est, dedit omnibus naturis quas fecit, vt bonæ sint: non tamen tantum bonæ, quantum creator omnium bonorum. Qui non solum summè bonus, sed etiam summum atque incommutabile bonum est, quia æternum bonum est: nullum habens defectum, quia non est ex nihilo factum: nullum habens profectum, quia nullum habens initium. Ideo quippe naturæ à Deo factæ proficere possunt, quia esse cœperunt: ideo deficere, quia ex nihilo factæ sunt. Naturæ profectus & defectus. Ad defectum eas conditio ducit originis, ad profectum verò prouehit operatio creatoris. In eo igitur primùm trinitatis, quæ Deus verus est, æternitas sine initio naturalis agnoscitur, quia quædam ita fecit, vt cum esse quidem cœperint, tamen non esse aliquando non possint. In eo verò eius omnipotentia intelligitur, quia omnem creaturam visibilem atque inuisibilem, id est, corporalem atque spiritalem de nihilo fecit, in quibus ipsa rerum diuersitas multo magis commendat bonitatem atque omnipotentiam creatoris. Nisi enim omnipotens esset, non vna eademque facilitate summa atque ima fecisset. Et nisi summè bonus esset, non se gubernandis rebus quoque infimis præstitisset. Igitur tam in magnis, quàm in paruis quibusque rebus conditis magna est bonitas atque omnipotentia conditoris. Omnia enim sapienter fecit summa veráque sapientia: cui naturaliter hoc est esse, quod sapientem esse: hoc facere, quod sapienter facere. Simplicitas itaque multiplicis sapientiæ Dei, magnitudinem celsitudinis suæ, non solum in magnitudine sublimium creaturarum, verùm etiam in infimarum

paruitate commendat: dum bona omnia quæ creauit, non ſolum multo inferius diſſimiliúsque ſuo creatore ſunt, vtpote non prolata de ſeipſo, ſed facta prorſus ex nihilo: verum etiam inter ſe non æqualiter ſunt, ſed vnaquæque res ita permanet, ſicut à Deo cum non eſſet accepit: alia quidem ſic, alia autem ſic. Neque enim ſic datum eſt corporibus vt ſint, ſicut ſpiritus acceperunt: cum ipſa quoque corpora non æqualiter ſint, & in ipſis cæleſtibus atque terreſtribus inueniatur nonnulla diuerſitas: cum tam cæleſtia quàm terreſtria, non ſolum impari diſtent quantitate molis, verum etiam diſſimili ſplendeant claritate. Alia namque eſt, ſicut dicit Apoſtolus, claritas cæleſtium corporum, alia terreſtrium. In ipſis quoque cæleſtibus alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum. Stella enim differt à ſtella in claritate. Corporalium igitur naturarum diuerſitas oſtendit vnamquamque earum non hoc eſſe quod ex ſe ſemper habere potuerit, ſed quod ex diſpoſitione atque opere omnipotentiſſimi, atque incommutabilis & ſapientiſſimi creatoris accepit. Quod ſi vnius eiuſdémque naturæ eſſet quælibet creatura corporalis cuius eſt ſancta trinitas, quæ vnus eſt Deus, nec localiter in loco eſſet, nec temporis mutationem aliquando ſentiret, nec de loco ad locum tranſiret, nec circumſcriberetur quantitate molis ſuæ. Quæ omnia oſtendunt huiuſmodi naturarum illum eſſe opificem, cui nullus latus aut anguſtus locus, quia non minus in anguſtis, quàm in latis totus eſt. Nec mutatur tempore, qui ſolus poteſt volumina temporum, non temporali volubilitate, ſed æterna ſtabilitate mirabiliter ordinare: neque enim in tempore cogitat, quemadmodum temporum ſerie rerum deceſſione aut ſucceſſione tranſcurrat. Nec aliqua molis quantitate terminatur, quia nullo fine concluditur.

Corpora cæleſtia & terreſtria.

Neque

Neque per mundi partes partibus ſuis eſt ipſe diffuſus vt maiores mundi partes ſuis maioribus impleat, & minores minoribus implendo, nuſquam tamen totus ſe infundat. Ipſe enim eſt Deus, qui ait: Cælum & terram ego impleo. Omnia igitur quæ fecit, id eſt, ſpiritus & corpora, ſumma & ima, cæleſtia atque terreſtria, viuentia & quibus viuendi facultatem non dedit, ineffabiliter vbique totus Dominus & implet, & continet. Nec in ijs quæ diuiduntur, ipſe diuiditur: nec in ijs quæ mutantur, vlla mutatione variatur. Niſi enim naturaliter incommutabilis ipſe eſſet, nunquam in rebus mutabilibus ordo quidam concilij ac diſpoſitionis eius incommutabilis permaneret. Deus igitur rerum corporearum atque incorporearum creator immenſus, eo primum ſe nullum eſſe corpus oſtendit, quia quibuſdam corporibus vitam non dedit, cum corpora omnia ipſe creauerit. Ipſe autem naturaliter vita eſt, quia ſi vita non eſſet, non viuentia corpora ipſe non feciſſet. Neque enim facit rem non viuentem, niſi res viuens. Non igitur vnius naturæ ſunt cum Deo corpora, quæ viuere omnino non poſſunt. Ac ſic neque illa corpora vnius naturæ cum Deo ſunt, quibus ſingulis ſingulos brutos atque irrationabiles ſpiritus, quibus eadem corpora viuificarentur, ac ſenſificarentur, inſeruit. Sed nec ipſi bruti ſpiritus vnius naturæ cum Deo ſunt, quos licet viuificandis, ſenſificandiſque cognoſcatur inſeruiſſe corporibus, ipſis tamen ſpiritibus nullum intelligendi largitus eſt lumen, quo ſuum poſſent aut cognoſcere aut diligere creatorem. Ipſos quoque ſpiritus quos rationales atque intellectuales eſſe non dubium eſt, quis audet blaſphemo ſpiritu & cæco corde eiuſdem naturæ, cuius eſt Deus, vel putare, vel dicere, cum Deus vtique naturaliter incommutabilis omnino ſit, & immenſus?

Deus vbiq;

Hier. 23.

Deus omnium vita.

Qui cum in se diuersitatem vllam habere non possit, in eisdem tamen spiritibus, quos rationales atque intellectuales fecit, diuersitatem suæ operationis ostendit. In quibusdam enim, id est, qui terrenis ac mortalibus sunt inserti corporibus, & si nullus est eis localis motus, quia per locorum corporalium partes, cum ipsi in corporibus sint, non particulatim sunt, sed sicut in totis corporibus toti, sic in eorundem corporum partibus toti sunt: tamen cogitationum varietas diuersitatem in eis cuiusdam temporalis motionis ac mutationis ostendit: dum modò aliquid nesciunt, modò sciunt: modò volunt, modo nolunt: modò sapiunt, modò desipiunt: modò iniqui ex iustis, modò iusti sunt ex iniquis: modò pietatis illustrantur lumine, modò depranantur tenebroso impietatis errore. Illos quoque quos terrenorum corporum grauat nulla lutulenta materies, id est, Angelicos spiritus, quis non videat non vnius naturæ esse cum Deo, sed factos ex nihilo? Quorum naturalis mutabilitas in eo cognoscitur, quia eiusdem naturæ pars est in deterius permutata. Deinde quod ij qui depranati non sunt, licet illius dono, à quo cum non essent, facti sunt, indefessa, & in quantum creaturæ Angelicæ gratis datum est, perfecta dilectione, contemplatione atque exultatione multitudinem dulcedinis Domini incessabiliter sentiant, nec ab eo naturali cõditione deficiant: etsi inhærentibus Deo nihil inest de varietate temporis, quia collato sibi æternæ incorruptionis atque incommutabilitatis munere nihil in se sentiant immutationis: inest tamen singulis naturalis terminus, quo à se inuicem discernuntur, quia nullus eorum in alio est. Et cum vni eorum opus quodlibet iniungitur, alios quoque alteri operi implendo diuinæ potestatis deputatur arbitrio. Hæc omnia ostendunt etiam sanctos Angelos creatu-

Angeli.

creaturam esse sanctæ trinitatis: cuius per singulas res, quas vtique sicut voluit fecit, apparet mirabilis & sapientia in dispositione & virtus in opere. Quosdam igitur spiritus sic Deus creauit, vt semper essent: quosdam verò, vt esse spiritus quandoque desinerent. Illos itaque desituros quosdam ex aqua, quosdam verò, quia sic voluit omnipotens, produxit ex terra. Superiores verò spiritus nullum cum corporeis elementis habere fecit naturale consortium, quos & æternos creauit, & eis facultatem atque intelligentiam cogitandæ, cognoscendæ, diligendæq; diuinitatis inseruit. Quos tamen ita creauit, vt etiam præ seipsis illum diligerent, cuius se tales creatos opere cognouissent, cum eorum vt tales fierent, nulla merita præcessissent. Vt autem hæc dilectio haberet iustam & congruam laudem, voluntatis quoque eis tribuit libertatem: vt esset eis possibile, siue ad eum qui supra eos est, intentionem sanctæ dilectionis erigere, siue ad ea quæ infra eos sunt, prauæ cupiditatis semetipsos pondere declinare. Non est igitur natura quæ in æternum possit, siue miserè, siue bene viuendo subsistere, nisi quæ potest de Deo ipsius Dei munere cogitare. Hæc autem natura intellectualis in animabus est hominum & spiritibus Angelorum. Deus quippe diligendi ac cognoscendi se, non nisi Angelis & hominibus indidit facultatem. Quibus propter arbitrij libertatem, quæ maximè debuit intellectuali creaturæ creatoris benignitate conferri, ita cognoscendi ac diligendi se facultatem voluntatemq; donauit, vt eam vnusquisq; & habere posset & perdere. Si quis tamen sponte eam perderet, suo eam deinceps arbitrio resumere non valeret: vt illius esset sanctæ cogitationis initia gratuitæ dono bonitatis denuò reuocandis quibus vellet infundere, cuius fuit in ipso creationis exordio nullis præcedentibus meritis, spiritus & corpora locis atque affe-

ctionibus, prout ipse sapiens voluit, congruè & mirabiliter ordinare. Angeli ergo atque homines pro eo quia rationales sunt facti, æternitatis ac beatitudinis donum in ipsa naturæ spiritalis creatione diuinitus acceperunt, ita scilicet, vt si dilectioni creatoris sui iugiter inhæsissent, simul æterni beatiq; manssissent. Si verò propriæ voluntatis arbitrio contra summum creatoris imperium suam niterentur facere voluntatem, protinus à contumacibus beatitudo discederet, & ad supplicium eis relinqueretur æternitas misera erroribus deinceps doloribusq; crucianda. Et de Angelis quidem hoc disposuit & impleuit, vt si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, nunquam eam diuino munere repararet. Pars itaque Angelorum, quæ à suo creatore Deo, quo solo bono beata fuit, voluntaria prorsus auersione discessit, æquitatis supernæ iudicio, initium suæ damnationis in ipsa auersione voluntatis inuenit: vt non aliud ei esset incipere iam puniri, quàm illius beatifici bom dilectione destitui: quam Deus in æterno sic totam præcepit remanere supplicio, vt etiam ignem ei æternum præpararet: in quo omnes illi præuaricatores Angeli nec mala possint vnquam voluntate carere nec pœna, sed permanente in eis iustæ auersionis malo, permaneret etiam iustæ retributionis æterna damnatio. Horum malorum princeps diabolus primos homines quos ad peccati præcipitium inuidus duxit, non eis tantum, sed & vniuersæ propagini eorum cum vitio peccati meritum mortis inseruit. Deus autem misericors & iustus, sicut diabolo & angelis eius propria voluntate cadentibus, cæteros angelos in suæ dilectionis æternitate firmauit: sic etiam humani generis massam non totam in sempiternum perire permisit: sed quos voluit eius gratuita bonitas, repulsis tenebris, in quibus omnis humana

humana natiuitas peccati originalis condemnatione versatur, reducendos prædestinauit ad lucem: in eo præcipuè demonstrans, quòd istos originalis peccati vinculis indebita gratia liberatoris absolueret: cum alios & quàm maximè paruulos, quibus nulla possunt vel bona vel mala inesse * propria merita voluntatis, insolubili nexu æterna damnatio retineret. Bona quoque voluntatis & cogitationis initium, non homini ex seipso nasci, sed diuinitus & præparari & tribui, in eo Deus euidenter ostendit: quia neque diabolus, neque aliquis Angelorum eius, ex quo ruinæ illius merito in hanc inferiorem sunt detrusi caliginem, bonam potuit aut poterit resumere voluntatem. Quod si possibile esset, vt humana natura, postquam à Deo auersa bonitatem perdidit voluntatis, ex seipsa rursus eam habere potuisset, multo possibilius hoc natura haberet angelica, quæ quanto minus grauatur terreni corporis pondere, tanto magis hac esset prædita facultate. Sed ostendit Deus vnde bona voluntas hominibus detur, quam sic amiserunt Angeli cum haberent, vt amissam deinceps habere non possint. Quoniam igitur digna est eadem voluntas bona per Dei gratiam æternæ beatitudinis præmio, & iniquitas angelica atque humana non debet esse impunita: propterea secundum catholicæ fidei regulam venturum esse filium Dei ad puniendos omnes peccatores angelos, & ad iudicandos homines viuos & mortuos fideliter expectamus. Testatur enim beatus Petrus, quia Deus angelis peccantibus non pepercit, 1. Pet. 2.
sed carceribus caliginis inferni detrudens, tradidit in iudicio puniendos reseruari. De hominibus quoque viuis ac mortuis iudicandis, hoc ait beatus Paulus: Te- 2. Tim. 4.
stificor coram Deo & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & aduentum ipsius & regnum eius.

In eu-

* propria.

In cuius aduentu ab illo primi hominis corpore, quod Deus de terra plasmauit, vsque ad omnium hominum corpora, quæ animata quandoq; viuere cœperũt, ab illo resuscitabuntur, à quo operãte creata sunt. Singula verò corpora illis singulis suis animabus in resurrectione reddentur, quas in maternis vt viuere inciperent ventribus habere cœperunt: vt scilicet animæ in illo examine iusti iudicis in eisdem singulis corporibus suis accipiant retributionem, siue regni, siue supplicij, in quibus siue bonam, siue malam qualitatem vitæ præsentis habuerunt. Qualitas autem malæ vitæ ab infidelitate incipit, quæ ab originalis peccati reatu initium sumit. In quo quisquis viuere ita incipit, vt ante finiat vitã, quàm ab eius obligatione soluatur, si vnius diei vel vnius horæ spatio anima illa vixit in corpore, necesse est eam cum eodem corpore interminabilia gehennæ sustinere supplicia: vbi diabolus cũ angelis suis in æternum arsurus est, qui & primus peccauit, & peccatum primis hominibus persuasit. Vbi cum eo etiam fornicarij, idolis seruientes, adulteri, molles, masculorum concubitores, fures, auari, ebriosi, maledici, rapaces, & omnes qui opera carnis agunt, de quibus dicit Apostolus, quia regnum Dei non consequentur, si ante huius vitæ terminum à vijs suis malis conuersi non fuerint, æternis ignibus exurentur. Omnis enim homo qui in hoc seculo vsque ad finem in iniquitatum delectatione, & cordis obduratione permanserit, sicut hic eum noxia criminum delectatio tenuit, sic eum sine fine sempiterna cruciatio retinebit. Erit enim etiam iniquorum resurrectio, sed sine immutatione, quam solis fidelibus & ex fide iustè viuentibus daturus est Deus. Hoc est enim quod ait Apostolus Paulus: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Ostendens autem iustos diuino munere commutandos, ait: Et nos immuta-

Origo vitæ malæ.

Galat. 5.

1. Cotin. 15

Corpora impiorũ.

mutabimur. Habebunt ergo iniqui cum iustis resurrectionem carnis communem, immutationis tamẽ gratiam non habebunt, quæ dabitur iustis: quoniam à corporibus impiorum non auferetur corruptio, & ignobilitas, & infirmitas in quibus seminantur: quæ ob hoc morte non extinguentur, vt illud iuge tormentum corpori atque animæ sit mortis æternæ supplicium. Iustæ verò animæ, quas hic redemptor Deus gratis ex fide iustificauit, & iustificatis bene viuendi vsque in finem perseuerantiam tribuit, in ipsis corporibus, in quibus hic iustificationis gratiam diuinitus acceperunt, & in quibus iustificatæ per fidem, in charitate Dei proximiq; vixerunt, regni cælestis æterna beatitudine potientur: glorificatis etiam corporibus suis, quæ sine dubio carnis natura, quem Deus creauit, veraciter permanente, non sicut hic animalia, sed spiritalia tunc habebunt. Sanctorum enim seminatur corpus animale, surget spiritale. In his per illam immutationem, quæ solis dabitur iustis, implebitur, quod oportere dicit Apostolus, vt corruptibile hoc induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem. In quibus sexus masculinus & fœmininus, sicut eadem corpora creata sunt, permanebit: quorum gloria erit pro factorum bonorum diuersitate diuersa. Omnia tamen corpora, siue masculorum, siue fœminarum, quæcunque in regno illo erunt, glorioſa erunt. Ille autem iudex nouit quantam vnicuique sit daturus gloriam, qui in hac vita per misericordiam gratis iustificando præuenit, quos illic per iustitiam glorificare disposuit. Tempus verò acquirendi vitam æternam in ista tantum vita Deus hominibus dedit, vbi voluit esse etiam pœnitentiam fructuosam. Ideo autem hic pœnitentia fructuosa est, quia potest hic homo deposita malitia bene viuere: & mutata voluntate iniusta, merita

merita simul operaq; mutare, & in timore Dei ea gerere quæ placeant Deo. Quod qui in hac vita non fecerit, habebit quidem pœnitentiam in futuro sæculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Dei non inueniet: quia etsi erit ibi stimulus pœnitudinis, nulla tamen ibi erit correctio voluntatis. A talibus enim iniquitas sua ita culpabitur, vt nullatenus possit ab eis vel diligi, vel desiderari iustitia. Voluntas enim eorum talis erit, vt habeãt in se semper malignitatis suæ supplicium, nunquam tamen percipere possint bonitatis affectum: quia sicut illi qui cum Christo regnabunt, nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt: ita illi qui erunt in supplicio ignis æterni cum diabolo & eius angelis deputati, sicut nullam vlterius habebunt requiem, sic nullatenus bonam habere poterunt voluntatem. Et sicut cohæredibus Christi dabitur perfectio gratiæ ad æternam gloriam, sic consortibus diaboli cumulabit ipsa malignitas pœnam, quando exterioribus deputati tenebris, nullo illustrabuntur interiore lumine veritatis. Proinde omni homini in hac vita potest esse vtilis pœnitentia, quam quocunque tempore homo egerit, quamlibet iniquus, quamlibet annosus, si toto corde renuntiauerit peccatis præteritis, & pro eis in conspectu Dei, non solum corporis, sed etiam cordis lachrymas fuderit, & malorum operum maculas bonis operibus diluere curauerit, omnium peccatorum indulgentiam mox habebit. Hoc enim nobis Dominus prophetico promittit eloquio, dicens: Si conuersus fueris, & ingemueris, saluus eris. Et alio loco dicitur: Fili peccasti, ne adijcias iterum, sed & de præteritis deprecare, vt tibi dimittantur. Nunquam peccanti esset indicta pro peccatis deprecatio, si deprecanti non esset remissio concedenda. Sed etiam pœnitentia peccatori tunc prodest, si eam in Ecclesia catholica gerat. Cui

Esa. 30.
Eccles. 21.

Deus

Deus in persona Petri ligandi soluendique tribuit potestatem, dicens: Quæ alligaueris super terram, erunt ligata & in cælis: & quæ solueris super terram, erũt soluta & in cælis. In quacunq; igitur homo ætate veram peccatorum suorum pœnitentiam egerit, & vitam suam Deo illuminante correxerit, non priuabitur indulgentiæ munere, quia Deus, sicut per prophetam dicit, non vult mortem peccatoris siue morientis, sed magis vt reuertatur à via sua mala, & viuat anima eius. Veruntamen nullus hominum debet sub spe misericordiæ Dei in suis diutius remanere peccatis, cum etiam in ipso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutius ægrotare. Tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, & sibi de Deo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præueniuntur repentino Dei furore, vt nec conuersionis tempus, nec beneficium remissionis inueniant. Ideo vnumquemque nostrum sacra Scriptura benignè præmonet, dicens: Ne tardaueris conuerti ad Deum, & ne differas de die in diem: subitò veniet ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te. Dicit etiam beatus Dauid: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Cui beatus quoque Paulus concordat his verbis: Videte fratres, ne fortè sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo: sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Obduratus igitur viuit, siue qui non conuertitur, desperans de indulgentia peccatorum suorum: siue qui sic misericordiam Dei sperat, vt vsque in finem vitæ præsentis in suorum criminum peruersitate permaneat. Proinde diligentes misericordiam Dei, metuentesq; iustitiam, nec de remissione peccatorum

Claues petri. Matth. 16.
Ezech. 33.
Eccles. 5.
Psal. 94.
Heb. 3.

desperc-

desperemus, nec remaneamus in peccatis: scientes quia illa omnium hominum debita sit exactura æquitas iustissimi iudicis, quæ nõ dimiserit misericordia clementissimi redemptoris. Sicut enim misericordia suscipit absoluitq; conuersos, ita iustitia repellet, punietq; obduratos. Ii sunt qui peccantes in Spiritum sanctum, neque in hoc seculo, neque in futuro remissionem accipient peccatorum. Ideo autem omnis anima intellectualis spiritus est, vt quærat, agnoscat, atque discernat: & tempus operum suorum, pro quibus receptura est in iudicio quæ ordinauit diuina iustitia: & eiusdem retributionis tempus, quo nunquam licebit aut opera mutare, aut remissionem peccatorum suorum de diuina misericordia vtiliter postulare. Cæteri verò spiritus omnium animalium, quibus non est intellectus, quia quidam eorum de terra, quidã de aquis originem ducunt: de aquis enim sunt reptilia & volatilia, de terra verò quædam quæ reptãt, quædam verò quæ gradiuntur, exorta sunt: tamdiu spiritus sunt, quamdiu in corporibus viuunt. Anima quippe, quæ rationis capax diuinitus facta non est, cum carne sua & incipit & desinit viuere: quia quando corpori vitam non tribuit, & ipsa non viuit: atque ita miro modo cum omni carni anima sit causa viuendi, spiritus tamen irrationalis tam diu viuit, quam diu in carne manere potuerit: & dum à carne sua separatur, extinguitur. Ita fit, vt cum ipse vita carnis suæ sit, viuere ipse nequeat, quando vitam carni subministrare destiterit. Et si non sit caro cui vitam dare valeat, ipse quoque eam protinus non habebit. Ideo nec æternitas irrationalibus spiritibus data est, nec aliquod eis iudicium præparatur, in quo eis vel beatitudo pro bonis, vel damnatio pro malis reddatur operibus. Ideo autem in eis nulla operum discretio requiritur, quia nullam intelligendi facultatem diuinitus acceperunt. Propterea ergo eorum corpora resurrectura non sunt, quia nec ipsis animabus eorum, aut æquitas, aut iniquitas fuit, pro qua eis æterna vel beatitudo sit tribuenda, vel pœna. Illa igitur animalia præsentis seculi cursum, atq; ornatum secundum creatoris incomprehensibilem peragunt voluntatem, quæ de suis factis nullam rationem reddituræ sunt, quia rationalia non sunt. Nunquid enim de bobus cura est Deo? Homines verò quia rationales facti sunt, & de se & de omnibus rebus, quas in vsum vitæ præsentis acceperunt, rationem reddituri sunt Deo, & pro suorum actuum qualitate recipient aut pœnam, aut gloriam. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum: tunc scilicet, cum secundum ipsius nostri creatoris aut redemptoris eloquium, omnes qui in monumentis sunt audient vocem eius, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij: vt scilicet qui mala egerunt, eant in combustionem æternam cum diabolo principe omnium malorum semper arsuri: qui verò bona fecerunt, eant in vitam æternam regnaturi sine fine cum Christo rege omnium seculorum. Illi autem cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua prædestinauit ad regnum: quia enim tales prædestinando præparauit, vt regno digni essent, præparauit vtique secundum propositum vocandos, vt obediant: præparauit iustificandos, vt accepta gratia rectè credant, & bene viuant: præparauit etiam glorificãdos, vt Christi cohæredes effecti, regnum cælorum sine fine possideant. Ad quod regnum diuersis temporibus per sacramenta, quæ ad fidem incarnationis suæ Christus instituit, illi peruenerunt, quos Deus gratis nullo bonæ voluntatis, vel boni operis merito

Peccatũ in Spiritũ sanctum.

1.Cor.5.

2.Co.5.

Ioan. 3.

præcedente saluauit. Quemadmodum ex illo tempore, quo Saluator noster dixit: Si quis renatus nō fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei: absque sacramento baptismatis, præter eos qui in ecclesia catholica sine baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum cælorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam: quia siue in catholica fide, siue in hæresi quacunque vel schismate quisquā in nomine patris & filij & Spiritus sancti baptismi sacramentum acceperit, integrum sacramentum accipit: sed salutem, quæ virtus est sacramenti, non habebit. si extra catholicam ecclesiam ipsum sacramentum habuerit. Ergo ideo debet ad ecclesiam redire, non vt sacramentum baptismatis iterum accipiat, quod nemo debet in quolibet homine baptizato repetere: sed vt in catholica societate vitam æternam accipiat, ad quam obtinendam nunquam potest esse idoneus, qui cum sacramento baptismatis ab ecclesia catholica remanserit alienus. Qui si eleemosynas largas faciat, & pro nomine Christi etiam sanguinem fundat, pro eo quod in hac vitā non tenuit ecclesiæ catholicæ vnitatem, non habebit æternam salutem. Vbi enim cuiq; prodesse potest baptismus, ibi prodesse & eleemosyna potest. Baptismus autem extra ecclesiam quidem esse potest, sed nisi in ecclesia prodesse nequit. In ecclesia igitur tātummodo catholica potest vnicuique prodesse & perceptio baptismatis, & opera misericordiæ, & nominis Christi gloriosa confessio, si tamen in ecclesia catholica bene viuat. Sicut enim sine ecclesiæ catholicæ societate nec baptismus alicui potest prodesse, nec alicui misericordiæ, nisi fortè vt mitius torqueatur, non tamen vt inter filios Dei reputetur: sic intra ecclesiam catholicam per solum baptismum vita æterna non acquiritur, si post baptismum malè viuatur: nam & illi qui bene viuunt,

Non repetendus baptismus.

Ecclesia catholica.

viuunt, debent operibus misericordiæ indesinenter insistere: scientes se licet leuia, nōnulla tamē quotidie contrahere peccata, pro quibus etiam sancti & iusti in hac vita semper Deo dicere debent: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quæ peccata quanto in rebus licitis, & à Deo concessis frequenter hominibus surrepunt: & quanto magis fortioribus cibis corpus impletur, & carnalibus cor hominis actibus affectibusq; implicatur, tanto frequentior culpa in hac mortalitate contrahitur. Propterea humiles serui Christi, qui cupiunt domino suo sine impedimento, & absque animi noxia occupatione seruire, coniugia omnino non appetunt, & à carnibus & à vino abstinent, inquantum corporis valetudo permittit: non quia peccatum est aut coniugem habere, aut vinum carnésve percipere: nam & beatus Apostolus dicit: Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reyciendum quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Coniugium quoque in primis hominibus Deus instituit & benedixit. Propter quod Apostolus ait: Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Ideoq; serui Dei in eo quòd à carnibus & à vino abstinēt, non tanquam res immundas refugiunt, sed mundioris vitæ instituta sectantur. Et in eo quod coniugia non habent, non nuptiarum bonū, crimen esse existimant, sed continentiam iugem bonis nuptijs meliorē esse non dubitant, isto quammaximè tēpore, quando dicitur de continentia: Qui potest capere, capiat. De nuptijs verò dicitur: Qui se non cōtinet, nubat. In vna enim ratione virtus exoritur, in altera infirmitas remedio subleuatur. Vnde quia agritudini semper est consulendum, propterea si cui primo contigerit priuari cōiugio: si voluerit secundas vel tertias inire nuptias, nullum de illis peccatum

Abstinētia.

1. Tim. 4.

Heb. 13.

Matth. 19. 1. Cor. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

habebit, si eas castè seruauerit: id est, si vnus & vna legitimè duntaxat coniuncti, fidem seruent, vt nec ille mulieri præter vxorem, nec illa viro præter maritum vllatenus misceatur. In talibus etsi fuerit aliquis cõiugalis excessus, qui tamen legitimum non violet thorum, habebit nonnullum, sed veniale peccatum. Sed hæc illorum sunt, qui nullam vouerunt continentiam Deo. Caterum quisquis seipsum castrauerit propter regnum cælorum, & in corde suo continentiam Deo vouerit, non solum si mortifero fornicationis crimine maculetur, verùm etiã si aut vir vxorem accipere, aut mulier nubere voluerit, secundum Apostoli sententiam damnationem habebit: quia primam fidem irritam fecit. Sicut ergo secundum Apostoli sententiam, dignum est vt vxori vir debitum reddat, similiter & vxor viro, quia si quis acceperit vxorẽ, nõ peccat: & si nupserit virgo, non peccat: ita secundũ eiusdem Apostoli dictũ, qui statuit in corde suo firmus non habẽs necessitatẽ, potestatem autem habens suæ voluntatis, & vouerit continẽtiam Deo, debet eam vsque in finem tota mẽtis sõlicitudine custodire, ne damnationem habeat, si primam fidem irritam fecerit. Similiter & coniugati viri, & coniugatæ mulieres, si ex consensu perennem Deo vouerint continentiã, nouerint se sui voti obnoxios detineri: nec iam sibi debere commixtionem carnis, quã primitus licitã habuerũt, sed Deo se debere continentiã quã vouerunt. Tunc enim vnusquisq; regnum cælorum, quod sanctis promittitur, possidebit, si obliuiscens quæ retro sunt, & in anteriora extendens seipsum, secundum quod in psalmis dicitur: Vouete, & reddite domino Deo vestro: quod scit esse licitum, & ad profectũ melioris vitæ pertinere cognoscit, & libenter voueat, & celeriter reddat, & in hoc quod votum reddit, meliore semper conatu proficiat. Omni enim vouenti Deo, & reddenti quod vouit, ipse quoque

Continentiã vouere.

Psal. 75. Vota.

que Deus reddet cælestis regni præmia quæ promisit.

CAPVT IIII.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, patrem & filium & Spiritum sanctum vnum esse naturaliter Deũ, in cuius nomine baptizati sumus. Cũ enim aliud nomen sit pater, aliud filius, aliud Spiritus sanctus: hoc est vtique vnum naturæ nomen horum trium, quod dicitur Deus. Qui dicit in Deuteronomio: Videte quoniã ego sum Deus, & non est alius præter me. Et de quo dicitur: Audi Israel, dominus Deus tuus Deus vnus est. &: Dominũ Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

Natura diuina.

Deut. 32.

Deut. 6.

CAPVT V.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, patrem & filium & Spiritum sanctum, id est, sanctam trinitatem esse solum naturaliter verum Deum: quia cũ tres deos nobis colere non liceat, nisi vnũ solũ verum Deum, tamẽ sicut pater verus Deus dicitur, testãte Apostolo, qui ait: Conuersi estis ad Deum à simulachris, seruire Deo viuo & vero, & expectare filiũ eius de cælis, quem suscitauit à mortuis Iesum: ita quoq; filium verũ Deũ Ioannes commendat apostolus, dicens: Scimus quia filius Dei venit, & dedit nobis intellectum vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus, & vita æterna: qui vtique quoniam verus Deus est, etiam veritas est, sicut ipse nos edocet, dicens: Ego sum via & veritas & vita. De spiritu quoque sancto Ioannes apostolus ait: Quia spiritus est veritas. Et vtiq; non potest naturaliter Deus verus non esse, qui veritas est. Quem etiam Deum Paulus apostolus confitetur, dicens: Membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri: empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.

Vnus Deus.

1. Thess. 1.

1 Ioan. 5.

Ioan. 14.

1. Cor. 6.

CAPVT VI.

Deus æternus.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, patrẽ & filium & spiritũ sanctum, id est, sanctam trinitatẽ, vnum verum Deum sine initio sempiternum esse. Propter quod scriptum est: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Hæc denuò sempiternitas intimatur, vbi dicitur in Psalmo: Deus autem rex noster ante secula. Et alio loco: Sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.

CAPVT VII.

Deus incõmutabilis.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, sanctam trinitatem solum verum Deum, sicut æternum, ita solum naturaliter incommutabilem esse. Hoc enim significat, cum dicit seruo suo Moysi: Ego sum qui sum. Exod. 3.

Hinc & Psalmus dicit: In principio domine tu terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribũt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut operatorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autẽ idem ipse es, & anni tui non deficient. Psal. 101.

CAPVT VIII.

Deus omniũ creator

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, sanctam trinitatem solum esse verum Deum, rerum omnium visibilium atque inuisibilium creatorem. De quo in Psalmo dicitur: Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in domino ipsius qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Psal. 145. De quo etiam Apostolus dicit: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula. Rom. 11.

CAPVT IX.

Trinitas in vnitate.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, patris & filij & Spiritus sancti vnam quidem esse naturam, tres

tres verò esse personas, patrémque solum esse qui dixit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: & filium solum esse super quem vox illa solius patris insonuit, quando in Iordane secundum carnem baptizatus est vnigenitus Deus, qui carnem solus accepit: atque Spiritum sanctum patris & filij solum esse, qui in specie columbæ super Christum baptizatum & ascendentem ab aqua descendit, & quinquagesimo die post resurrectionem Christi fideles in vno loco positos, in linguarum ignearum visione adueniens repleuit. Illam vocem, qua solus locutus est Deus pater: & illam carnem, qua solus homo factus est vnigenitus Deus: & illam columbam, in cuius specie Spiritus sanctus super Christum descendit: illasq; linguas, in quarum visione fideles Apostolos in vno loco constitutos repleuit, opera esse totius sanctæ Trinitatis, id est, vnius Dei, qui fecit omnia in cælo & in terra, visibilia & inuisibilia. Matth. 3.

CAPVT X.

Distinctio personarũ.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, solum Deum filium, id est, vnam ex trinitate personam solius patris esse filium: spiritum verò sanctum ipsum quoque vnam ex trinitate personam, non solius patris, sed simul patris & filij esse spiritum. Ostendens enim Dei filius se solum esse de patre genitum, ait: Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Ioan. 3. Et paulo post: Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Spiritum autem sanctum & patris & filij esse spiritum, Apostolus docet, qui ait: Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Et sequitur: Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Roman. 8.

CAPVT XI.

Spiritus sanctus.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, eundem Spiritum sanctum, qui patris & filij vnus est spiritus, de patre & filio procedere. Dicit enim filius: Cum venerit spiritus veritatis, qui à patre procedit. Vbi suũ spiritum esse docuit, quia ipse est veritas. De filio quoque procedere Spiritum sanctum, prophetica atque apostolica doctrina nobis commendat. Esaias enim dicit de filio, Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. De quo &

2. Thes. 2. *Apostolus ait: Quem interficiet dominus Iesus spiritu oris sui. Quem etiam ipse vnicus Dei filius spiritum oris sui esse significans, post resurrectionem insufflans*

Ioan. 20. *in discipulos, ait: Accipite Spiritum sanctum. De*

Apoc. 1. *ore verò ipsius domini Iesu, ait Ioannes in Apocalypsi, quia gladius vtraque parte acutus procedebat. Ipse ergo spiritus oris eius, ipse est gladius qui de ore eius procedit.*

CAPVT XII.

Trinitas nullis termi nis circum scripta.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, Trinitatem Deum immensum esse virtute non mole: & omnem creaturam spiritalem atque corporalem virtute eius & præsentia contineri. Dicit enim Deus pater, Cælum

Hier. 23. *& terram ego impleo. Dicitur etiam de sapientia Dei,*

Sap. 8. *quæ filius est eius, Quia attingit à fine vsque ad fi-*

Sap. 1. *nem fortiter, & disponit omnia suauiter. De spiritu quoque sancto legimus, Quia spiritus domini repleuit*

Psal. 138. *orbem terrarum. Et Dauid Propheta dicit: Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades.*

CAPVT XIII.

Persona filij.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, vnam ex Trinitate personam, id est, Deum filium, qui de natura Dei patris solus natus est, & vnius eiusdemq; natura

naturæ cum patre est, ipsum in plenitudine temporis secundum susceptionẽ formæ seruilis voluntariè in virgine conceptum, & de virgine natum, verbum carnem factum: ipsum quoque esse qui essentialiter natus est de patre, & essentialiter conceptus est, natusq; de virgine: ipsumq; vnum esse, & vnius naturæ cum virgine, qui ait de Deo patre, Ante secula fundauit me, & ante omnes colles generauit me. De quo etiam dixit Apostolus: Quia cum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.

Prouer. 8.

Gal. 4.

CAPVT XIIII.

Humanitas Christi.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, Christum filium Dei sicut de Deo patre plenum perfectumq; Deum, ita de virgine matre plenum perfectumque hominem genitum, id est, verbum Deum, habentem scilicet sine peccato veram nostri generis carnẽ & animam rationalem. Quod ipse Dei filius euidenter ostendit, dicens de carne sua: Palpate & videte, quia spiritus

Luc. 24. *carnem & ossa nõ habet, sicut me videtis habere. Ani-*

Ioan. 10. *mam quoque se habere his verbis ostendit, dicens: Propterea me pater diligit, quia ego pono animam meam, & iterum sumo eam. Intellectum quoque animæ se habere ostendit in eo, quod ait: Discite à me, quia mitis*

Matth. 11. *sum & humilis corde. Et de seipsõ Deus per prophetã*

Esaiæ 25. *dicit: Ecce intelliget puer meus, & exaltabitur, & sublimis erit valde. Nam & beatus Petrus secundum*

Act. 2. *sancti Dauid prophetiam in Christo carnem & animam confitetur. De ipso enim beato Dauid loquẽs, ait: Propheta igitur cum esset, & sciret quia iureiurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prouidens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelicta est anima eius in inferno, neq; caro eius vidit corruptionem.*

CAPVT XV.

Diuinitas Christi.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, vnum filium atque ipsum esse Deum verum, qui cum patre Deo, & Spiritu sancto Deo fecit omnia tempora, & in monte Sinai legem Moysi dedit ordinatam per angelos, & ipsum Deum verbum carnem factum: qui veniente plenitudine temporis, missus à patre & Spiritu sancto, factus est ex muliere quam fecit, solus factus est sub lege quam dedit.

Exod. 20. & 21.

CAPVT XVI.

De duabus in Christo naturis.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, Dei verbum quod caro factum est, in duas naturas inconfusibiliter permanere. Vnam veram diuinam, quam habet cum patre communem, secundum quam dicit: Ego & pater vnum sumus, & qui me videt, videt & patrem, & ego in patre, & pater in me est: secundum quam etiam dicit Apostolus, splendorem gloriæ & figuram substantiæ Dei. Alteram veram humanam, secundum quam ipse Deus incarnatus dicit: Pater maior me est.

Ioan. 10.

Hebr. 1.

CAPVT XVII.

Vnitas personæ in Christo.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, Deum verbum carnem factum, vnam habere diuinitatis suæ carnisq; personam. Deus enim verbum plenam naturam humanam ita sibi veraciter vnire dignatus est, & permanente diuinitate sua ita verbum caro factum est: vt quamuis naturaliter non hoc sit verbum quod caro, quia duarum naturarum veritas manet in Christo, secundum vnam tamen personam idem verbum caro ab ipso fieret maternæ conceptionis initio. Deus enim verbum non accepit personam hominis, sed naturam: & in æternam personam diuinitatis accepit temporalem substantiã carnis. Vnus est ergo Christus verbũ caro factum, qui etiam ex patribus secundum carnem, & super omnia Deus benedictus in secula. Vnus Iesus, cui & pater dicit: Ex vtero ante luciferum genui te. Vbi significatur ante omne tempus sine initio æterna natiuitas. Vnus Iesus, de quo & Euangelista dicit: Quia vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in vtero conciperetur.

Psal. 109.

Luc. 2.

CAPVT XVIII.

Verbi & carnis vnio.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, non carnem Christi sine diuinitate conceptam in vtero virginis priusquam susciperetur à verbo, sed ipsum verbum Deum suæ carnis acceptione conceptum, ipsamq; carnem verbi incarnatione conceptam.

CAPVT XIX.

Sacrificia.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, ipsum vnigenitum Deum verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium & hostiam Deo in odorem suauitatis: cui cum patre & Spiritu sancto à Patriarchis, Prophetis, & sacerdotibus tempore veteris Testamenti animalia sacrificabantur: & cui nunc, id est, tempore noui Testamenti, cum patre & Spiritu sancto, cum quibus illi est vna diuinitas, sacrificium panis & vini in fide & charitate, sancta ecclesia catholica per vniuersum orbem terræ offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, & sanguinis quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio atq; commemoratio est carnis Christi quàm pro nobis obtulit, & sanguinis quem pro nobis idem Deus effudit. De quo B. Paulus dicit in Actibus Apostolorum: Attendite vobis & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei,

Sacrificia panis.

Act. 20.

Dei, quã acquisiuit sanguine suo. In illis ergo sacrificijs quid nobis esset donandũ, figuratè significabatur. In hoc autem sacrificio quid nobis iam donatum sit, euidenter ostenditur. In illis sacrificijs prænunciabatur filius Dei pro impijs occidendus: in hoc autem pro impijs annuntiatur occisus, testante Apostolo: quia Christus cum Roman. 5. *adhuc infirmi essemus secundum tempus, pro impijs mortuus est: & quia cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.*

CAPVT XX.

Humanitas Christi.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, verbum carnem factum, eãdem humanam carnem semper veram habere, qua de virgine verbum Deus natus est, qua crucifixus & mortuus est, qua resurrexit & in cælum ascendit, & in dextra Dei sedet, qua etiã venturus est iudicare viuos & mortuos: propter quod Apo- Act. 1. *stoli ab Angelis audierunt. Sic veniet quemadmodum eum vidistis euntem in cælum. Et beatus Ioannes ait,* Apocal. 1. *Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus & qui eum crucifixerunt, & videbunt eum omnes tribus terræ tales.*

CAPVT XXI.

Natura nihil non bonum.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, trinitatem Deum, id est, patrem & filium & Spiritum sanctum esse naturaliter summum atque incommutabile bonum: & ab ipso creatas esse omnes naturas bonas quidem, quia à summo bono factæ sunt, sed mutabiles, quæ de nihilo factæ sunt: nullámque esse malam naturam, quia omnis natura, inquantum natura est, bona est. Sed quia in ea bonum & augeri & minui potest, intantum mala dicitur, inquantum bonum eius minuitur. Malum. *Malum enim nihil aliud est, nisi boni priuatio. Vnde geminum constat esse creaturæ rationalis malum,*

lum: vnum, quo voluntariè ipsa deficit à summo bono creatore suo: alterum, quo inuita punietur ignis æterni supplicio: illud passura iustè, quia hoc admisit iniustè: & quia ordinem in se non seruauit diuinæ institutionis, ordinem diuinæ non effugiet vltionis.

CAPVT XXII.

Nulla creatura est eadé cũ Deo.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, neque angelos, neque aliam quamlibet creaturam eiusdem naturæ esse, cuius est secundum naturalem diuinitatem summa trinitas, quæ est vnus naturaliter Deus pater & filius & spiritus sanctus: neque enim vnius naturæ esse potuerunt ille qui fecit, & ea quæ fecit.

CAPVT XXIII.

Angeli facti stabiles.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, omnẽ creaturam naturaliter mutabilem à Deo incommutabili factam, nec tamen posse quemlibet sanctorum angelorum in deterius mutari: quia sic acceperunt æternam beatitudinem, qua Deo stabiliter perfruũtur, vt ea carere non possint. Sed hoc ipsum, quod ab illo statu beatitudinis, in quo sunt, mutari in deterius nullatenus possunt, non est eis naturaliter insitum, sed postquam creati sunt, gratiæ diuinæ largitate collatum. Si enim angeli naturaliter incommutabiles fierent, nunquam de eorum consortio diabolus & eius angeli cecidissent.

CAPVT XXIIII.

Creaturæ rationales.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, in omni creatura, quam spiritalem atque corpoream summa trinitas fecit, solos spiritus angelicos & humanos intelligẽdi facultatem diuinitus accepisse. Cæteros verò spiritus brutorum animalium rationalẽ intelligentiã non accepisse, & etiam hoc omnino habere nõ posse.

Propter

Psal. 31. *non posse. Propter quod dicitur hominibus: Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Et ideo animas hominum, & animas pecorum vnius naturæ non esse: nec animas pecorum in animas hominum, nec animas hominum in animas pecorum posse aliquando transire.*

CAPVT XXV.

Libera voluntas Adã. *FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, primos homines, id est, Adam & mulierem eius, bonos & rectos, & sine peccato creatos esse cum libero arbitrio, quo possent, si vellent, humili & bona voluntate seruire atque obedire: quo arbitrio etiam possent, si vellent, propria voluntate peccare: eosq; non necessitate, sed propria voluntate peccasse: illóque peccato sic in deterius mutatam humanam naturam, vt non solum in ipsis primis hominibus per peccatum mors obtineret regnum, sed etiam in omnes homines transiret peccati, mortisque dominium.*

CAPVT XXVI.

Peccatum originale. De consec. dist. 4. cap. Firmissimè. Ephes. 2. *FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortiq; subiectum, & ob hoc natura iræ filium nasci. De qua dicit Apostolus, Eramus enim & nos natura filij iræ, sicut & cæteri, A qua ira nullus liberatur, nisi per fidem mediatoris Dei & hominum, hominis Iesu Christi, qui sine peccato conceptus, sine peccato natus, sine peccato mortuus, peccatum pro nobis factus est, id est, sacrificium factus est pro peccatis nostris. In veteri quippe testamento peccata dicebantur sacrificia, quæ pro peccatis offerebantur, in quibus omnibus fuit significatio Christi: quia ipse est agnus Dei qui tollit peccata mundi.*

CAP.

CAPVT XXVII.

Non baptizati. *FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, non solum homines iam ratione vtentes, verumetiam paruulos, qui siue in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur, siue cum de matribus nati sine sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine patris & filij & Spiritus sancti, de hoc seculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos: quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & natiuitate traxerunt.*

CAPVT XXVIII.

Iudicium. *FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, ideo Christum filium Dei ad iudicandos viuos & mortuos venturum, vt homines, quos hic dono suæ gratiæ datis per fidem iustificat, eisdémque iustificatis in fide & charitate sanctæ matris Ecclesiæ vsque in finem perseuerantiam donat, in suo aduentu resuscitet & glorificet, & secundum promissionem suam æquales sanctis angelis faciat, & ad eum statum perducat, in quo perfectè, quantum vnicuique donat Deus, boni sint, & ab ipsa perfectione deinceps mutari non possint, vbi diuersa erit sanctorum gloria, sed vna erit omnium vita æterna. Diabolum verò & angelos eius in ignem æternum à Christo esse mittendos, vbi nunquam carebunt pœna, quam eis præparauit diuina iustitia. Cum ipso etiam diabolo impios & iniquos homines, de quibus Scriptura dicit: Imitantur autẽ eum qui sunt ex parte illius, pro eo quia eum in malis operibus imitati sunt, & ante finem præsentis vitæ congruam pœnitentiam non egerunt, resumptis corporibus supplicio æternæ combustionis arsuros.*

CAP.

CAPVT XXIX.

Resurrectio

FIrmissimè tene,& nullatenus dubites,omnibus hominibus & bonis & malis resurrectionem carnis in aduentu Domini futuram esse communem: retributionem verò iustitiæ Dei esse bonis malisq; dissimilem,secũdum quod Apostolus ait: Quia omnes resurgemus,sed non omnes immutabimur. Immutabuntur autem iusti qui ibunt in vitam æternam. Quod Apostolus ostendit,dicens: Et mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Et ostendens quæ erit ipsa immutatio,adiecit: Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatẽ. In iustorum corporibus fiet quod ipse Apostolus ait: Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate,surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Quod propterea spiritale dixit, non quia ipsum corpus spiritus erit,sed quia viuificante spiritu immortale atque incorruptibile permanebit. Si autem tunc dicitur spiritale corpus cum non spiritus sit, sed permaneat corpus: sicut nunc animale dicitur,cum tamen inueniatur non anima esse, sed corpus.

1.Cor.15.

CAPVT XXX.

Fides & baptismus.

FIrmissimè tene,& nullatenus dubites, exceptis illis qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non hic à malis suis fuerit per pœnitentiam fidemq; conuersus,& per sacramentum fidei & pœnitentiæ, id est, per baptismum liberatus,& maioribus quidem necessarium esse, & pœnitentiam de malis suis agere, & fidem catholicam secundum regulam veritatis tenere, & sacramentum baptismatis accipere: paruulis verò qui nec propria voluntate credere,nec pœnitentiam pro peccato

peccato quod originaliter trahunt agere possunt,sacramentum fidei quod est sanctum baptisma, quamdiu rationis ætas eorum capax esse non potest, sufficere ad salutem.

CAPVT XXXI.

Gratia.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, neminem hic posse hominum pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminauerit, & gratuita sua miseratione conuertit. Apostolus enim dicit: Ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem,& resipiscant à diaboli laqueis.

2.Tim.2.

CAPVT XXXII.

Nihil agi sine gratia.

FIrmissimè tene,& nullatenus dubites. posse quidem hominem, quem nec ignorantia literarum, nec aliqua prohibet imbecillitas vel aduersitas, verba sanctæ legis & Euangelij siue legere, siue ex ore cuiusquam prædicatoris audire: sed diuinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua præuenerit: vt quod audit corpore,corde etiam percipiat,& accepta diuinitus bona voluntate atque virtute,mandata Dei facere & velit & possit. Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, qui etiam operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.

CAPVT XXXIII.

Dñs nihil latere.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, Deo incommutabili nõ solum præterita & præsentia, sed etiam futura omnia incommutabiliter esse notissima, cui dicitur, Deus qui occultorum es cognitor,qui scis omnia antequam fiant.

CAPVT XXXIIII.

Prædestinatio.

FIrmissimè tene,& nullatenus dubites,Trinitatem Deum incommutabilem rerum omnium atque operum, tam suorum quàm humanorum certissimũ cogni-

torem, ante omnia secula scire quibus esset per fidem gratiã largiturus: sine qua nemo potest ex initio mundi vsque in finem à reatu peccati, tam originalis quàm actualis absolui. Quos enim Deus præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.

CAPVT XXXV.

Beati prædestinatione. *FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, omnes quos vasa misericordiæ gratuitu bonitate Deus fecit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo: neque perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinauit ad regnum cælorum: nec quenquam eorum quos non prædestinauit ad vitam vlla possetione saluari. Prædestinatio enim illa gratuitæ donationis est præparatio, qua nos Apostolus ait prædestinatos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum in ipsum.*

Ephes. 1.

CAPVT XXXVI.

Baptismus. *FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, sacramentum baptismatis, non solum intra Ecclesiam catholicam, sed etiam apud hæreticos, qui in nomine patris & filij & spiritus sancti baptizant, esse posse, sed extra Ecclesiam catholicam prodesse non posse. Imò sicut intra Ecclesiam rectè credentibus per sacramentum baptismi conferri salutem: sic extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, eodem baptismo accumulari perniciem. Tantum enim valet Ecclesiastica societatis vnitas ad salutem, vt baptismo non saluetur, cui non ibi datur, vbi oportet vt detur. Inesse tamen homini baptismum etiam extra Ecclesiam baptizato, sed ad iudicium inesse ab Ecclesia separato. Et quia manifestum est, vbicunque datum fuerit, hoc baptisma semel esse dãdum, ideo etsi ab hæreticis in nomine patris & filij & spiritus sancti fuerit datum, venerabiliter agnoscendum, & ob hoc nullatenus iterandum. Saluator enim dicit: Qui semel lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet.*

CAPVT XXXVII.

Ecclesia. *FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem extra Ecclesiam catholicam baptizatum, participem fieri non posse vitæ æternæ, si ante finem vitæ huius catholicæ non fuerit redditus atque incorporatus Ecclesiæ. Quia si habeam, inquit Apostolus, omnem fidem, & nouerim omnia sacramenta, charitatem autem non habeam, nihil sum. Nam & in diebus diluuij neminem legimus extra arcam potuisse saluari.*

1. Cor. 13.

CAPVT XXXVIII.

Damnati. *FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, non solum omnes Paganos, sed etiam omnes Iudæos hæreticos atque schismaticos, qui extra Ecclesiam catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo & angelis eius.*

CAPVT XXXIX.

Hæretici. *FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet hæreticum siue schismaticum in nomine patris & filij & spiritus sancti baptizatum, si Ecclesiæ catholicæ non fuerit aggregatus, quantascunque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse saluari. Omni enim homini, qui Ecclesiæ catholicæ non tenet vnitatem, neque baptismus, neq; eleemosyna quamlibet copiosa, neq; mors pro nomine Christi susceptæ proficere poterit ad salutem, quamdiu in eo hæretica vel schismatica prauitas perseuerat, quæ ducit ad mortem.*

CAPVT XL.

Christiani malè viuẽtes. *FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, non omnes qui intra Ecclesiam catholicam baptizantur,*

accepturos esse vitam æternam, sed eos qui percepto baptismate rectè viuunt, id est, qui abstinuerunt se à vitijs & concupiscentijs carnis. Regnum enim cælorum sicut infideles hæretici atque schismatici non habebunt, sic catholici criminosi possidere non poterunt.

CAPVT XLI.

Sine peccatis neminé viuere.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, etiam iustos atq; sanctos homines, exceptis ijs qui baptizati paruuli sunt, sine peccato hic neminem viuere posse, semperq; omni homini esse necessarium, & peccata sua vsq; in finem vitæ præsentis eleemosynis diluere, & remissionem à Deo humiliter ac veraciter postulare.

CAPVT XLII.

Cibus, potus, matrimonium.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, omnẽ creaturam Dei bonam esse, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: & Dei seruos, qui à carnibus, aut vino abstinent, non tãquam immunda quæ à Deo facta sunt respuere, sed à fortiori cibo & potu pro sola castigatione corporis abstinere. Nuptias quoque diuinitus institutas & benedictas: & melius quidem si quisquam sine coniugio sit, vt liberius atque plenius cogitet quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo: tamen illis qui continentiam non vouerunt, nullum esse peccatum, si vel mulier nubat, vel vir vxorem ducat. Nec solas primas nuptias à Deo institutas, sed etiam secũdas, & tertias, pro eorum qui se continere non possunt infirmitate concessas. Eis verò qui siue coniugati, siue à coniugio liberi continentiam Deo vouerunt, admodum esse damnabile, si vel illi coniugale opus voluerint appetere, quò se non accessuros, vel illi repetere, à quo se recessuros, illi libera, illi communi professi sunt voluntate.

CAP.

CAPVT XLIII.

Malos mi. sceri bonis.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, aream Dei esse Ecclesiam catholicam, & intra eam vsque in finem seculi frumento mixtas paleas contineri, hoc est, bonis malos sacramentorum communione misceri: & in omni professione, siue clericorum, siue monachorum, siue laicorum, bonos esse simul & malos: nec pro malis bonos deserendos, sed pro bonis malos, inquantum exigit fidei & charitatis ratio tolerandos, id est, si vel in Ecclesia nullius perfidiæ semina spargunt, vel fratres ad aliquod malum opus mortifera imitatione non ducunt: nec posse aliquem intra Ecclesiam catholicam rectè credentem, benéque viuentem, alieno vnquam maculari peccato, si cuiquam peccanti nec consensionem præbeat, nec fauorem, vtiliterq; malos à bonis intra Ecclesiam tolerari, si hoc cum eis bene viuendo & bene monendò agatur, vt & videntes & audientes quæ bona sunt, mala sua respuant, & iudicandos se à Deo pro suis malis operibus contremiscant, atque ita præueniente dono gratiæ de suis iniquitatibus confundãtur, & ad bonam vitam per Dei misericordiam conuertantur. Bonos verò à malis intra Ecclesiam duntaxat catholicam constitutis non debere nisi operum dissimilitudine separari, vt cum quibus diuina communicant sacramenta, non habeant mala opera, quibus illi sunt criminosi, communia. In fine verò seculi bonos à malis etiam corpore separandos: quando veniet Christus habens ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili: quando per iudicium iustum segregabit iustos ab iniustis, bonos à malis, rectos à peruersis: bonos constituet à dextris, malos à sinistris, & ex eius ore iusti æternique iudicij sempiterna atq; incommutabili prolata sententia, iniqui omnes ibunt in combustionem æternam, iusti autem

Matth. 3.

Matth 25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem in vitam æternam: iniqui semper arsuri cum diabolo, iusti autem regnaturi sine fine cum Christo.

CAPVT XLIIII.

Perſiſtendũ in fide.

HÆc interim quadraginta capitula ad regulam veræ fidei firmiſſimè pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterq; defende. Et ſi quem contraria his dogmatizare cognoueris, tanquam peſtem fuge, & tanquam hæreticum abijce. Ita enim iſta quæ poſuimus fidei catholicæ congruunt, vt ſi quis non ſolum omnibus, ſed etiam ſingulis voluerit cõtraire, in eo quod ſingulis horum contumaciter repugnat, & his contraria docere non dubitat, hæreticus & Chriſtianæ fidei inimicus, atque ex hoc omnibus catholicis anathematizandus appareat. Quamuis igitur & anguſtia temporis & feſtinatio portitoris compulerit nos aliqua, quæ pro diuerſis hæreſibus agnoſcendis atque vitandis fuerant inſerenda, præterire ſilentio: tamen ſi omnia quæ in hoc opuſculo continentur recenſere & notiſſima prorſus habere non negligas, ex his poteris cauta diſcretione etiam de cæteris ſpiritaliter iudicare. Apoſtolus enim dicit, quia ſpiritalis iudicat omnia: quò donec vnuſquiſque noſtrũm perueniat, in eo quò peruenit, ambulet, id eſt, in eo quod certum accepit fideliter perſeueret. Quod ſi quid aliter ſapit, hoc quoque illi Deus reuelabit.

1. Cor. 2.

CAPVT XLV.

Repetit ſuperiora.

VErè firmum fidei eſt fundamentum, principaliter credere patrem & filium & Spiritum ſanctum, vnum eſſe naturaliter Deum: ita vt de natura patris verè natum vnigenitum filium, & ſimul de patre & filio verè atque naturaliter procedentem credamus Spiritum ſanctum: ipſamq; ſanctam Trinitatem eſſe vnum ſolum

ſolum verum æternum atque incommutabilem Deum. Credere etiam congruit ad ſalutem, vnam ex Trinitate perſonam, id eſt, vnigenitum Deum pro noſtra ſalute ſolum hominem factum: eundémque vnum eſſe Deum verum, & hominem verum, ſecundum diuinitatem vnam naturam habentem cum patre & Spiritu ſancto: ſecundum humanitatem verò animam Chriſti rationalem eiuſdem naturæ eſſe cuius ſunt animæ omnium hominum, & carnem Chriſti illius eſſe naturæ cuius eſt vniuerſorum qui de primo homine originem ducunt. Ergo nec animam Chriſti, nec carnem vnius cum diuinitate eiuſdemq; eſſe naturæ: quia ſecundum humanitatem verè ipſe creatus eſt. Sed ſicut diuinitati eius cum patre & Spiritu ſancto eſt diuina natura communis: ſic animæ eius & corpori naturalis eſt communio cum animabus & corporibus noſtris. Qui diuinitate ſua carnem atque animam credentium in ſe, & à peccati dominio, & ab æternæ mortis ſupplicio gratis eripuit auferendo peccatum. Hac enim credulitate munitus, nõ obliuiſceris diuinam miſericordiã die noctuq; ſupplicare: obſecrans beatam ſpem omnium credentium in ſe qui eſt Chriſtus Dominus, vt huius fidei veritatem firmiter teneas, inuiolatámque cuſtodias; quia Spiritus ſanctus fidelibus ſe deprecantibus copioſum ſubminiſtrat adiutorium, ſicut Propheta dicit: Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Volũtatem timentium ſe faciet, & preces eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos. Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet. Et iterum ipſi Deo dicit: Ecce omnes qui ſe elongant à te, peribunt: perdidiſti omnes qui fornicantur abs te. De ſe autẽ ait: Mihi autem adhærere Deo bonũ eſt, ponere in Domino ſpem meam. Adhære igitur Deo fili chariſſime, & in ipſo ſpem tuam toto corde fide & charitate conſtitue.

Pſalm. 144.

Pſalm. 72.

In militia seculi exhibe regi terreno fidele seruitium, quia hoc diligit Deus, hoc mandat Apostolus. In causa verò fidei, qua Christus nos redemit in sanguine suo, omnis de corde nostro timor abscedat. Illi animas nostras debemus, cuius sanguine redempti sumus. Illum debemus præ omnibus diligere, quem nouimus nostrarum animarum clementissimum redemptorem. Illius debemus timere præ omnibus æternam & veram potestatem, quem venturum speramus æquissimum iudicem. Illius debemus promissa toto affectu cordis appetere, qui potest animæ & corpori donare vitam æternam. Illius debemus timere iracundiam, qui potest animam & corpus mittere in gehennam: in cuius iudicio sine acceptione personarum, sine ambitu potestatum, æqualiter iudicabuntur domini & serui, reges & milites, diuites & pauperes, humiles & sublimes. Vbi seruus quisquis hic fidem Dei in veritate tenuerit, regno potietur æterno: dominus autem infidelis sempiterno exuretur incendio. Vbi seruorum dominorumque fidelium nec vita terminabitur, nec lætitia finietur: infidelium verò siue seruorum, siue dominorum secũdum sermonis prophetici veritatem, ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur. Ibunt enim iniqui in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Attendamus autem quos illuc Saluator ituros esse prædixerit, nempe illos, quibus dicturus est: Esuriui, & non dedistis mihi manducare: Sitiui, & non dedistis mihi bibere: Nudus fui, & non vestistis me: Hospes, & non suscepistis me: Infirmus, & in carcere, & non venistis ad me. Quòd si in ignem æternum dignè mittetur, qui Christo in suis minimis esurienti panem non dederit: quid passurus est qui ipsum panem, qui de cælo descendit, sibi per infidelitatis vitium adimit? Et si in flammis perennibus exuretur, qui Christo in suis minimis

Esaiæ.66.

Matth.25.

minimis sitienti calicem aquæ frigidæ non tribuit: quid ille patietur, qui renatus ex aqua et spiritu sancto, sanctum baptisma in se iterare permittit, quod ad salutem semel, & ad sacramentum sanctæ regenerationis accepit? Et si illum credimus perennibus subdendũ esse tormentis, qui Christum in suis minimis peregrinum hospitio negligit charitate suscipere: quid passurum se putauerit, qui dominum Christum de domo sui cordis excludens, & diabolum in se caca prorsus infidelitate recipiens, de sancta Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis, hæretica circunuentus falsitate discesserit? Et si ille qui infirmos atque in carcere positos famulos Christi non visitat, igni deputatur sempiterno: quid illis retribuendum dicimus, qui Dei famulos in quibus solam persequuntur fidei veritatẽ, aut squalore carcerum, aut exiliorum deportatione violenter affligunt? Sed in his omnibus licet infideles sæuiant, Deus tamen suis auxilium subministrat. Et dum inimici fidei aut callida quemque seductione, aut violenta compulsione cupiunt deprauare, Christus qui est virtus & sapientia Dei, vt mortiferæ suasionis promissa despiciant, & virtutem tribuit, vt terroribus humanis roborẽ diuini timoris obsistant: tantum est vt voluntas non auertatur à Deo, & fidei præmio potiatur. Ipsa est enim, cui aut pro infidelitate infligitur æterna pœna, aut seruatæ fidei merces erit sempiterna lætitia.

D. FVLGENTII EPISCOPI RVSPENSIS AD Euthymium, De remissione peccatorum, Liber primus.

CAP. I.

EXPLICARE nequeo verbis Euthymi charissime, quantum studio tuo congaudeam: quod nõ solum in domo tua positus cælestibus animum scripturis indulges, sed etiam sanctã vigili corde frequentas ecclesiam: vt cum diuinis eloquijs corporis exterior pulsatur auditus, interior animæ tuæ pascatur affectus. Gratia quippe diuinæ opus agnoscitur, quod in domo Dei illorum colloquio spiritualiter frueris, quos in amore diuinæ legis feruere cognoscis. Nec cum quibusdã delectaris inutilem miscere sermonẽ, qui ad vitale cælestis verbi conuiuiũ sine sua vtilitate conueniunt, & secundũ veracẽ coarguentis B. 2.Timot.4. Pauli sermonẽ à veritate quidem auditũ auertunt, ad fabulas autẽ conuertuntur. Quos nõ immeritò dixerim similes illis quorũ stomachus mortifero superatus fastidio, inedia magis inuenitur delectari, quam cibo: & ob hoc frustra sibi medicinales diuitias appositas cernunt. Quas dũ recusant percipere, nec virtutis aliquid inde nec sanitatis adquirunt: atq; in domo medici spernentes oblatũ medelæ spiritualis sibi antidotũ, ad hoc cum infirmitatibus suis intrant, vt deterius infirmi recedant. *sui Quibus tamen potẽs est dominus verbi *tui delectationem cognitionemq; largiri, vt bonorũ inflammẽtur exemplis. Quibus admoniti negligentiã suæ cunctationis abijciant, & effectũ salutis in ipsius medici salubribus præceptis quærant, vt cũ his qui perscrutantes testimonia domini, exquirunt eũ, ipsi quoque pro salute sua nõ desistant quærere quod possit à quærentibus inueniri.

CAP.

CAPVT II.

EPistola itaq; quam mihi misisti, licet de corde tuo non aliquid nobis intimarit incognitum, cordi tamen nostro magnum incrementum lætitiæ in domino subrogauit. Cognitum quippe nobis est diuinam in te gratiam misericorditer operari, te sæpe ac multum de remissione peccatorum cogitare. Veruntamen ideo nostram dixi creuisse lætitiam, quia sic adipisci remissionem peccatorum desideras, vt eiusdem remissionis effectum frequenter ac vigilãter inquiras. Dicis igitur inter vos natam esse quæstionem, quam licet ipse recolas, malui tamẽ verba quæ in tua continẽtur epistola, ipsõ quo à te sunt tenore posita, huic opusculo inserere: vt nõ solũ tu ex propria dictatione recognoscas, sed etiã quisquis alius legerit, dum cognitionis percunctatione imbuitur, ad intelligentiam respõsionis cõmodius instruatur. Quæris itaq;, vtrum rerũ conditor dominus in hoc seculo tantũmodo quibus voluerit peccata dimittit, & si hinc quisquam solutus exeat, an per omnipotentiam suam quibus in seculo præsenti non dimisit, exeuntibus de corpore ante diẽ iudicij peccata dimittat, vel in eodem die futuri seculi. Hæc nempe verba quæ posui, recordaris profecto tuis, vt iam dixi, contineri.

CAPVT III.

IN huius absolutione quæstionis flagitare vos video paruitatis nostræ sententiam. Proinde spero in abundantia bonitatis Dei, qua sic est ille semper dives, vt exinde nostra quoq; possit ditari pauperies, & ex qua cæteris quantũ vult sic donat vt in ea plenius ipse permaneat, quia talia nostro cordi spiritualiter dignabitur infundere, quæ & nobis dicere prosit, & vobis audire. Sermo enim quẽ vobis in Dei gratia ministramus, tũc etiã nobis prodest, si quod vobis pro salute verbo stiloq; foris dicimus, nos intus mites et humiles audiamus.

Non

Non enim frustrà Dauid sanctissimus dicit, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Qui auditus propriè ad humiles pertinet. Propter quod alio loco idem propheta dicit: Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. Alio loco maiestas ipsa sic loquitur: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem verba mea? Nec verò iste spiritus Dei sic super humilem & quietum requiescit, vt non ipse quietum humilemq; faciat, sed tanquam humilem quietumq; requieturus inueniat. In eo quippe super humilem & quietum dignatur requiescere: quia super quē requiescit, quietum & humilem facit. Hoc ergo spiritus sanctus operatur, vt vitium superbiæ atque inquietudinis ab homine, in quo requiescit, expellat: ac sic præueniēte sancti spiritus operatione, hominis voluntatem misericorditer immutante, omne præteritæ humanæ iniquitatis vinculum gratis data sōluat remissio peccatorum.*

Psalm. 84.
Psalm. 50.
Esaiæ 66.

CAPVT IIII.

NOn itaq; de re parua disserimus, nec vile aliquid quærimus, cùm de remissione peccatorum, quantum diuina largitas adiuuat, disputamus. Per hanc enim de potestate tenebrarum eripiuntur, quos Deus transferet in regnum filij dilectionis suæ. Per hanc liberantur ab æterna pœna, vt potiantur æterna lætitia. Per illam deponitur onus, seu quod natiuitas vitiosa * traxit, siue quod iniquitas vitiosæ iuuētutis adiecit. Per eam Christus eos qui laborant & onerati sunt venientes ad se reficit, quibus leue iugum leuemq; sarcinam suæ charitatis imponit. Per ipsam gratis iustificabitur impius, vt reputetur fides eius ad iustitiam. Per illam caret mala vita, qua fuerat implicatus: & accipit gratis bonam, qua fuit indignus. Per ipsam fit, vt in bona vita deinceps dono misericordiæ præuenientis illuminatus ambulet: & in ea deductus misericordiæ subsequentis munere perseueret: vt, indebita gratia, bene viuendi donum inchoet in homine, peccatorum remissione donata, quod perficiat perseuerandi virtute concessa. Per remissionem peccatorum gratis homines discernuntur ab illis qui cruciabuntur in æternū cum diabolo, & adiunguntur his qui sine fine regnabūt cum Christo. Postremò talis est remissio peccatorum: vt pro ipsa fieret homo vnigenitus Dei, pro ipsa etiam sanguis eius fuisset effusus. Vnum horum vox angelicæ visionis aperuit, alterū vero ipse Dominus indicauit. Nam cùm desponsata esset Maria mater eius Ioseph, & sicut Euangelista testatur, priusquam conuenirent, inuenta esset in vtero habens de spiritu sancto, conceptionis illius causa nescienti Ioseph istis est verbis ab Angelo nuntiata: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Quid vero aliud est à peccatis saluare, nisi peccata dimittere? Nam & ipse Saluator noster qui venit saluū facere quod perierat, ob hoc se venisse testatur, vt vocaret peccatores in pœnitentiam.

Coloss. 1.
* adtraxit
Matth. 11.
Matth. 1.
Matth. 9.

CAPVT V.

VOcationis autem huius ad pœnitētiam principale est beneficium, gratuita remissio peccatorum: Pro qua idem redemptor noster peracto Paschali cœnæ conuiuio sanguinē suum enuntiat effundendum. Bibite, inquit, ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hanc igitur, sicut arbitror, aut omnes, aut penè omnis qui quolibet modo appellatur Christiano nomine

Matth. 26.

nomine, inuenire desiderat: sed interest vbi quisque, vel quando, vel qualiter quærat. Neque enim ad remissionem peccatorũ poterit peruenire, si quis aut veram non teneat fidem, aut negligat bonæ operationis officium, aut rectæ credulitatis bonæ operationi concessum diuinitus tempus mortifera præoccupatus vanitate contemnat. Hæc namque tria, id est fides, opus, & tempus, ita sunt simul hominibus in hac vita necessaria: vt si cui vnum ex his tribus in præsenti seculo defuerit, æternæ vitæ particeps esse non possit. Ac per hoc nec remissionem peccatorum consequetur, per quam ad æternæ vitæ præmium peruenitur. Quod necesse est domino adiuuante diuinorum testimoniorum attestatione monstremus. Præ omnibus itaq; nobis est firma credulitate retinendum, misericordem & iustum esse dominum Deum nostrum. Hinc enim facile potest inquirentibus apparere, qualibus peccata Deus dimittat, vbi dimittat, quando dimittat. Quibus cognitis, nec prauam quisquam retineat de Deo sententiam, nec conuersionem suam negligat, nec à catholica Ecclesia discedat. Aut si quis discessit, celeriter reuertatur, nec de tempore sibi velit insulsa cogitatione blandiri: si ad Deum in hac vita quisquam conuerti nolens, & vsque ad mortem iniquitatibus seruiens, post hanc vitam se credat adepturum remissionem peccatorum, quãdo iam præiudicatus tempore tribulationis diuinæ non peccatum possit vitari conuersus, sed supplicij maneat æternitate damnandus.

Tria ad remissionem peccatorũ necessaria: Fides, opus & tempus.

CAPVT VI.

MVltis enim multiplicibusq; fraudibus viam cælestis itineris diabolus claudere nititur & celare: cuius hoc est incessabile studium, vt ad cruciatus sui societatem miserorum turbam quantumcunq; potuerit

tuerit vel trahat illectam, vel cogat inuitam. Nonnullos quippe facit abiecta consideratione diuinæ iustitiæ, solam Dei misericordiam cogitare: vt conuersionem suam negligant, existimantes se etiam si vsque in finem criminosam duxerint vitam, remissionis beneficio potituros esse. Alios autem cogit aut illicit Ecclesiæ Catholicæ gremio derelicto, ad hæreses vel schismata deprauati cordis cæcitate transire. Quorum animos deceptione falsæ promissionis illaqueat, vt vel putent se recto fulciri dogmate, vel sperent sibi pro sola cordis credulitate futurum remissionis beneficium, etiam si ficto animo pro temporis vel commoditate vel metu mortifero hæreticorum consortio vsque ad mortem teneantur innexi, minus considerantes illam Saluatoris nostri sententiam dicentis: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis est: & qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cælis est. Lucæ 12.
Et alio loco: Qui me erubuerit & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & patris, & sanctorum Angelorum. Lucæ 9.
Plerisque vero humani generis inimicus ad hoc peccatorum suorum recordationem molitur ingerere, vt vel obduratis desperationem remissionis injiciat, & eos remedio conuersionis excludat. Hæc autem omnia non ob aliud fraudulenta semper agit obtectus fallacia, nisi vt oportunitatem temporis adimat, qua conuersis potest donari remissio. Ac sic quantum ad eius attinet malignitatem, si fieri possit, nemo perueniat ad salutem. Deum namque misericordem iustumq; esse cognoscit, nec ignorat quod peccatorum remissionem sola de Deo possit elicere cordis vera conuersio. Scit etiam quod non alibi quàm in solo gremio Catholicæ Matris dimitti possint peccata conuersis: nec eum

Sola cordis vera cõuersio elicit de Deo remissionem peccatorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec eum latet in præsenti tantum seculo remissionem omnium peccatorum conuersis posse concedi: vbi humanum genus per constitutum diuinitus ordinem decessione morientium successioneq; nascentium carnalis natiuitatis nexu non iniustè constringitur, atq; spirituali natiuitate gratis enodatur: Vbi etiam omnem reatum aut soluit conuersio, aut insolubilem facit, seu vanæ spei neglectio nutrita, sine desperatione roborata, & vsque in finem retenta cordis obdurati nequitia.

CAPVT VII.

SEd iam suscepti operis compellit instantia, vt omnia quæ superius intimaui, debita disputatione atque scripturarum sanctarum attestatione perdoceam. Enimverò vtriusque veridica series testamenti, cuncta quæ ad prouentum pertinent humanæ salutis non tacet: vt nihil sit quod in posterum contemptor damnandus excusset. Principaliter igitur omnis scriptura diuinitus inspirata, vnum verum ac solum Deum, illam scilicet Trinitatem, id est, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, tam misericordem prædicat esse quam iustum. Ipsi enim ex persona Ecclesiæ dicitur: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. De illo etiam canitur: Misericors Dominus & iustus, & Deus noster miserebitur. Alio quoque loco: Quoniam iustus dominus & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Denuò dicitur: Vniuersæ viæ domini misericordia & veritas. Et rursus: Quoniam misericordiam & veritatem diligit Dominus. In primo quoque Decalogi præcepto iustum se idem Dominus misericordemq; sic intimat: Ego sum Dominus Deus tuus, Deus zelans, qui reddo peccata patrum in filios, in tertiam & quartam progeniem, in his qui oderunt me: & faciens misericordiã in milia milium, his qui amant & cu-

Deus tam misericors quàm iustus.

Psal.100.

Psal.114.

Psal.10.

Psal.24.

Psal.83.

Exod.20.

& custodiunt præcepta mea. Propterea Moyses dicit, dominus Deus indulgẽs & misericors, patiens & multæ misericordiæ & verax: Iustitiam custodiens & misericordiam in milia, auferens iniquitates & iniustitias & peccata. Et non purificabit reum, adducens peccata patrum in filios filiorum in tertiam & quartam progeniem. Per Isaiam quoque suam dominus misericordiam iustitiamq; commemorat, dicens: Ego Deus, & non alius præter me, iustus & saluans: Non est alius præter me. Conuertimini ad me, & salui eritis.

Exod.24.

Deut.5.

Esaiæ.45.

CAPVT VIII.

HIs igitur atque innumeris huiusmodi testimonijs quibus dominus Deus noster misericors prædicatur & iustus, ostenditur quantum diligenda sit eius misericordia, quantúmque iustitia metuenda monstratur. Misericors enim & miserator Dominus, patiens & multum misericors & verax, sicut nouit à conuersõ submouere supplicium: sic in eo qui conuerti noluerit, nullatenus sinit inultum remanere peccatum. Idcirco si quos in præsenti seculo pia Dei bonitas à dominatione peccati non liberat, ipsos in futuro seueritas iusta condemnat. Hinc est quod diuinis indesinenter eloquijs mali salubriter admonẽtur, ne remaneant in seruitute peccati: sed misericordiam iusti Dei dum sunt in hac vita requirant. Bonis quoque præcipitur, vt seruientes domino in timore, & exultantes ei cum tremore, apprehendant disciplinam: ne quando irascatur dominus, & pereant de via iusta. Ipse itaque Deus qui est misericors & iustus, sicut admonet, vt propter iustitiam & misericordiam timeatur & diligatur à malis, vt conuersi careant pœna quam iustitia minatur, & accipiant indulgentiam quam misericordia pollicetur: sic admonet vt propter iustitiam

Psal.2.

& misericordiam diligatur & timeatur à bonis, quo possint qui eius præuenti misericordia boni sunt, & dilectione misericordiæ in bonis operibus permanere, & timore iustitiæ à peccatis semetipsos sollicite custodire: & consideratione propriæ infirmitatis instructi nunquam de suis viribus confidant, sed diuinæ virtutis auxilium iugiter & humiliter poscant. Debet ergo & à bonis & à malis tam misericordia diligi quàm iustitia formidari: ne vel boni diligentes misericordiam Dei, iustitiam non timeant, & laqueos diaboli seducentis incurrant: vel mali solam iustitiæ seueritatem considerantes, non quærant (cùm inuenire possunt per conuersionem) misericordiæ beneficium, ac sic obdurati nõ solum remissionem peccatorum denegent, quin etiam peccata multiplicare non cessent.

CAPVT IX.

HOc enim bicipiti laqueo frequenter diabolus captiuat incautos: vt aut spe vanæ fiuturæ remissionis obtusi, nolint iustitiæ timore conuerti: aut remissionem omnimodis desperantes, conuersionem negligant, & habenas iniquitatibus relaxantes, dum desperant indulgentiam, currant præcipites in Gehennam. Ac sic ille callidus humani generis inimicus, alios desperationis temeritate præcipitat, alios autem fallacis spei deceptione supplantat. Propter quod Beatus Paulus, in quo locutus est Christus, 2.Cor.13.a *bene viuentibus scribens, sic eorum commendat obedientiam, vt cum metu & tremore salubris operationis iubeat talibus inesse cautelam. Dicit enim Philippensibus:* Philip.2. *Itaque charissimi mei sicut semper obedistis, non vt in præsentia mea tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur*

ratur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate. His verbis beatus Paulus iustum vtique Deum insinuat, cum metum tremorémque seruandum fidelibus præcepit in operibus bonis. Misericordem quoque prædicat, quem in eis operari dicit, & velle & perficere pro bona voluntate. Neque enim à bene operantibus iustè timeretur, si iustus non esset: Nec omne bonum voluntatis & operis ipse in eis operaretur, si misericors non fuisset. Hunc iustitiæ diuinæ timorem, terribili denuo prædicatione iustis vehementer Apostolus Paulus inculcat, dicens: Qui 1.Cor.10. *se existimat stare, videat ne cadat. Et rursus: Fra-* Galat.6. *tres si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tenteris. Ipsis quoque Apostolis cum magisterio cælesti denuntiatur infirmitas propria, cùm congrui timoris demonstratur in humilitate cordis cautela retinenda, dicente Domino: Vigilate & orate, ne veniatis in tenta-* Matth.26. *tionem: spiritus quidem promptus, caro autem infirma est.*

CAPVT X.

VEruntamen quia cuncta quæ diuinis continentur eloquijs ad custodiam vel reparationem dicuntur humanæ salutis, prouidit sermo diuinus, ne dum iustis diuinæ metus indicitur æquitatis, econtrario mortifera peccatoribus desperatio nasceretur, si spes indulgentiæ minimè monstraretur. Ipsa enim errantes ad viam veritatis reuocat, dum propitiatione diuina conuersõ relaxandum promittit, quicquid mali priusquam conuerteretur admisit. Ideo Apostolus Paulus in Epistola quam ad Romanos scripsit, sicut fideles & bonos ad insinuationem

seueritatis diuinæ terrificat, sic infidcles & malos ad conuersionem spe certissima supernæ bonitatis inuitat: vt scilicet tam boni discerent non altum sapere sed timere, quàm mali possint remedium salutis æternæ sine quolibet impedimento dubitationis adquirere. Dicit igitur beatissimus Paulus, Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei. In eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate. Alioquin & tu excideris, & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim Deus iterum inserere illos. Itaque cùm dicat Apostolus illum excidendum qui in bonitate non permanserit, & illum qui in incredulitate non permanserit inserendum: Quis homo iustus non tremefactus iustitiam metuat? Vel quis iniquus non ad Dei misericordiam confirmatus accurrat? Qui non compellatur bono cuilibet impij, si toto corde conuersus fuerit audeat desperare, cum cælestis medicina præceptis salubribus æqualiter sanis consulat & infirmis: Illis timorem iustitiæ indicens, tanquam salutis acceptæ custodem: istis misericordiæ beneficium pollicens, vt spei remedio subleuati, recipiant quam perdiderant sospitatem. Timor enim iustitiæ præcipitur sanato, cui dicitur: Ecce sanus factus es, iam noli peccare: ne deterius tibi aliquid contingat. Spes quoque misericordiæ demonstratur infirmis, cum dicitur: Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus: Non veni vocare iustos, sed peccatores in pœnitentiam. Sermo quoque propheticus misericordiam Dei iustitiamq; commendare non desinit, sic Deo per Ezechielem prophetam dicente: Iniquus si se conuertat ab omnibus iniquitatibus suis quas fecit, & custodierit omnia mandata mea, & fecerit iustitiam & misericordiam, vita viuet, & non morietur. Omnia delicta eius quæcunque fecit, non erunt in memoria, in sua iustitia

Locus obscurus.

Ioan. 5.

Matth. 9.

Eze. 18.

iustitia quam fecit, viuet. Nunquid voluntate volo mortem peccatoris dicit Dominus? quàm vt auertatur de via sua mala, & viuere eum? Ostenso itaque ad impios conuertendos diuinæ longanimitatis ac benignitatis beneficio, ad iustos quoque deterrendos ita propheticus sermo dirigitur: Cùm se autem auerterit iustus à sua iustitia, & fecerit iniquitatem, secundum omnes iniquitates quas fecit ille iniquus, omnes iustitiæ eius quas fecit nõ erunt in memoria. In delicto suo quo deliquit, & in peccatis suis quibus peccauit, in ipsis morietur. Ibidem.

CAPVT XI.

INnumerabilia sunt diuinarum testimonia scripturarum, quibus Deus misericors prædicatur & iustus, nec est aliud quod omnis textus cælestis eloquij agat, nisi vt malos admoneat timore iustitiæ Dei celeriter malis operibus finem ponere, & bonos in bonis operibus sollicitè atque humiliter permanere: Vt scilicet & omnis iniquus æquitatem Dei metuens, ad misericordiam currat iustæ bonitatis, & omnis iustus de Dei misericordia gaudens iudicium benignissimæ non negligat æquitatis. Quia vbi est misericordia iustitiaq; perfecta, nec fauorem potest iustus peccatis impendere, nec indulgentiam conuersis misericors abnegare. Ex hoc igitur quod iustus & misericors prædicatur, facillime cognoscitur, non nisi conuersis remissionem tribui peccatorum, nec nisi permanentibus in peccato supplicium sempiternæ damnationis inferri. Propter quod Psalmista sic canit: Nisi conuertamini, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis. Per Isaiam quoque non dissimilis aduersus contumaces & diuinæ clementiæ contemptores lata reperitur ore diuino sententia, in qua cognoscitur, nec inaniter quemque di-

Psal. 7.

uinis imperijs obedire, nec impunè in iniquitatibus permanere. Sic ergo dicit: Lauamini, mundi estote, auferte nequitias vestras ab animis vestris è conspectu oculorum meorum: Desinite à malitijs vestris, discite bonum facere: Inquirite iudicium, eripite iniuriam accipientem, iudicate pupillo, & iustificate viduam, & venite disputemus, dicit Dominus. Et si fuerint delicta vestra vt fœnicium, vt niuem dealbabo. Si autem vt coccum, vt lanam candidam efficiam. Et si volueritis & obaudieritis me, quæ bona sunt terræ edetis. Si autem nolueritis, neque obaudieritis me, gladius vos comedet. Os enim Domini locutum est hoc. Quis rogò est tam durus, aut omnino stolidus, qui in hoc sermone monitionis supernæ, si ad conuersionem non inuitatur delectatione promissi, non saltem compellatur terrore supplicij? Contemptorem quippe diuini sermonis non excipiet salus, sed comesturus est gladius. Hinc est quod alio loco in eiusdem prophetæ volumine demonstratur: quia nisi per conuersionem nemo perueniet ad salutem. Sic enim dicitur: Si conuersus fueris, & ingemueris, saluus eris. In hoc testimonio conditionali, Deus & præcepto vtitur & promisso. Dicens quippe, Si conuersus fueris, & ingemueris, saluus eris: ostendit ex conuersionis conditione promissionem salutis omnino pendere. Hæc est igitur inter Deum, hominémque conditio, id est, inter præcipientem dominum, seruúmque poscentem, inter iudicem qui sine iustitia misericordiam prærogat, & peccatorem qui misericordiam iustè iudicantis expectat. Dicit igitur iste Dominus, misericors & iustus, seuerus & pius. Si hoc feceris, hoc habebis. Si quod dico custodieris, dabo quod poscis. Ego tibi præcipio conuersionem, tu poscis à me salutem. Si parueris præcepto,

Esaiæ 1.

Esaiæ 30.d

cepto, potieris beneficio. Si iussa fieri videam, postulata concedam. Si conuersus fueris, & ingemueris, saluus eris. Cum dicitur ergo peccatori beneficium salutis accipere cupienti, quia si conuersus fuerit & ingemuerit, saluus erit: consequenter intelligitur, quia etiam si ingemuerit, tamen conuersus non fuerit, saluus non erit. Non enim frustra vtrumque diuinus sermo complexus est, nisi vt hæc duo, id est, conuersionem & gemitum, necessaria cognosceremus ad consequendum salutis effectum.

CAPVT XII.

NOnnulli enim scelerum suorum consideratione perterriti, pro iniquitatibus quidem suis in oratione gemunt, nec tamen ab iniqua operatione discedunt. Fateutur se male fecisse, nec vllum finem volunt malis factis suis imponere. Accusant humiliter in conspectu Dei peccata, quibus tenentur oppressi, & eadem peccata quæ humilitate sermonis accusant, corde peruerso contumaciter cumulant. Indulgentiam quam lachrymosis gemitibus poscunt, ipsi sibi prauis operibus adimunt. Medelam postulant à medico, & in perniciem suam subrogant adiutorium morbo. Ac sic inaniter verbis quærunt placare iustum iudicem, quem factis iniquis magis irritant ad furorem. Tales enim nunquam diluunt gemendo peccatum, quia non desinunt peccare post gemitum. Pro criminibus namque gemunt: & post gemitum, ad crimina redeunt. De talibus in libro Ecclesiastico scriptura diuina sic loquitur: Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lauatio eius? Sic homo qui ieiunat pro peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando

Eccles. 34.d

miliando se? Orationem eius quis exaudiet? Rectissi-
Esaiæ.30. me igitur dicit Deus homini: Si conuersus fueris, & ingemueris, saluus eris. Apud Deum quippe seuerum & bonum tunc oratio gementis auditur, tunc poscentis fletus attenditur, tunc flenti conceditur salus: si fuerit ad Deum contriti cordis humilitate conuersus. Necesse est enim vt Deus peccatori misertus ignoscat, si tamen peccator iniquitatem suam conuersus agnoscat. Deniq; diuinam misericordiam propterea Dauid sanctus efficaciter inuenit, quia conuersus per humilitatem contriti cordis quod male fecerat agnoscendo damnauit, nec distulit punire pœnitendo mali operis cupiditatem in qua fuerat lapsus: quia si non puniret vnde reus tenebatur, proculdubio ipse puniretur. Suum ergo facinus agnouit conuersus in pœnitentiam, metuit ne damnatus agnouisset pœnam. Ipse in se pœnitens
Psalm. 50. vindicabat agnoscendo, quod ignosci sibi volebat à domino. Denique cum dixisset, Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam, Magis magisque laua me ab iniustitia mea, & à delicto meo munda me: statim secutus adiunxit, Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictum meum coram me est semper. Agnoscebat iniquitatem suam, non vt peccando magis augeret, sed vt pœnitendo dilueret, atque ita dominationem peccati, quam delectatio culpabilis inuexit, conuersio vera submouit. Et quia ingemuit Dauid ex toto corde conuersus, continuo saluus est factus, atque ita in eo completum est quod per prophetam præcipitur, Si conuersus fueris, & ingemueris, saluus eris.

CAPVT XIII.

POrro conuersio & ab impietate, & ab iniquitate præcipitur. Vtraque enim aduersum se iram Dei prouo-

prouocant: quia vtrumque Deus execratur & damnat, dicente Paulo, Reuelatur enim ira Dei de cælo super Rom.1.e omnem impietatem & iniustitiam hominum. Et Salomon ait, quod etiam beatus Petrus suis dictis inseruit: Prou.11.d 1.Pet.4.d Si iustus vix saluabitur, peccator & impius vbi parebunt? Vnde non immerito vas electionis, quod diuinæ plenum erat charitatis, sicut pro his qui in fide peccabant, tristitia magna concutiebatur & dolore cordis: sic illos qui intra Ecclesiam constituti & impudicè luxu- 2.Cor.12.g rioseq; viuentes pœnitentiam non agebant, lugere se testatus est. De Iudæis enim quos increduli cordis impietas possidebat, ita dicit: Veritatem dico in Christo, non Rom.9.a mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea, in spiritu sancto, quoniam tristitia mihi est magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ. De illis vero qui intra Ecclesiam positi malis operibus insistebant, sic ad Corinthios loquitur medicinali sermone: Ne iterum cum venero humiliet me Deus apud 2.Cor.12.g vos, & lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, super immunditia & fornicatione & impudicitia quam gesserunt. Nec istos vtique tristis doleret, nec illos humiliatus doleret Apostolus, si impijs aut iniquis exacerbantibus diuinam iustitiam sine conuersione cordis remissionem peccatorum crederet cõferendam: cum ipsa remissio peccatorum non nisi in conuersione cordis sortiatur effectum: in illis duntaxat qui propriæ voluntatis vtentes arbitrio, diuini muneris opitulatione cõuersi mutata in melius vita, non desistunt ad poscendam remissionem peccatorum currere: Ad quorum perpetrationem siue nescientes ignorantia impulit, seu quod est deterius, scientes contumacia voluntatis illexit. Propter quod propheta orat Deum:

Delicta iuuentutis & ignorantiæ meæ ne memineris.
Luc. 12.f *Et Saluator noster ait, Seruus nescíens voluntatem domini sui, & faciens indigna, vapulabit paucis: & seruus sciens voluntatem domini sui & faciens indigna, vapulabit multis. Vnde & Apostolus in ignorantia se*
1.Tim.1.c *peccasse confitetur his verbis: Gratias ago ei qui me confortauit in Christo Iesu domino nostro: quia fidelem me existimauit, ponẽs in ministerio, qui prius fui blasphemus & persecutor & contumeliosus: sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Ne quis ergo sibi de ignorantia blandiatur, attendendus est Apostoli sermo, qui se ignorantia quidem*
Ibidem.d *fecisse pronunciat, sed tamen se peccasse non negat. Imò primum se dicit omnium peccatorum. Primum scilicet, non temporis cursu, sed iniquitatis excessu. Misericordiam itaq; in hoc consecutus est, vt peccata quæ in ignorantia fecerat, illuminatus agnosceret, & conuersus protinus abdicaret. Hoc autem fit, vt, sicut nos docet Apostolus Iacobus, Omne datum optimum, &*
Iacob.1.c *omne donum perfectum, desursum descendere à patre luminum cognoscamus. Qui cum in peccatore hoc inueniat pro quo debeat iustè damnari, conuersionẽ gratis ipse tribuit peccatori: per quam iustæ damnationis possint tormenta submoueri.*

CAPVT XIIII.

IN omni ergo peccatore qui arbitrio iam propriæ voluntatis vtitur, per conuersionem cordis beneficium diuini muneris inchoatur. Cæterum paruulos nouimus non propria voluntate, sed fidelium pro eis cõfitentium recta credulitate saluari. Conuenit enim iudicio veritatis paruulos ministerio alienæ confessionis absolui, quos vinculo constat alienæ iniquitatis obstringi: vt alijs spiritualiter confitẽtibus accipiant iustificationis beneficiũ, qui alijs carnaliter generantibus portant originale peccatum. Et sicut ad prmam natiuitatem obfuit nondum natis nec aliquid agentibus parentũ carnalis concubitus: sic eis nescientibus prosit ad secundam natiuitatem fidelium pro eis confitentiũ spiritualis affectus. Quantum ergo ad illos attinet, qui propriorum iã possunt actuum reddere rationẽ, nullus efficietur beatus, nisi qui malis actibus renuncians ad Deum fuerit tota
Psalm.31. *cordis humilitate conuersus. Beati enim quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata. Quisquis igitur propriæ voluntatis & operationis iniquitatem portat, non potest aliquam accipere beatitudinem, nisi fuerit ad ipsum conuersus beatitudinis largitorem.*

CAPVT XV.

PEccatis enim excæcatur cor, remissione verò illuminatur: quia sicut nihil est aliud excæcari quàm lumine priuari, ita curatus oculus in quantum potiri valet visione luminis, in tantum caret vitio cæcitatis. Qui tamen oculus videre lumen nullatenus valebit, nisi se illi lumen infuderit. Oculus igitur per luminis infusionem potest percipere luminis visionem. Sic & remissio peccatorum cùm hominibus datur, proculdubio cæcitas cordis expellitur, vt lumen iustitiæ oculo interiore cernatur. Cæterum quomodo fieri potest, vt obscuritas tenebrarum remoueatur, si luminis infusio non donetur? Deus ergo quibus propria peccata dimittit, lumen veræ confessionis infundit. Quocirca sicut cæcus quilibet, quamdiu cæcus est, non potest lumen videre: sic iniquus quilibet aut impius remissionem non accipit peccatorum, nisi præuentus gratuitæ iustificationis munere toto corde conuertatur ad Deum. Ipsius enim remissionis effectus in cordis conuersione consistit. Cæterum cui conuersionis gratia non conceditur, peccatorum remissio non donatur. Quid est enim aliud remissionem peccatorum consequi, nisi à peccati dominatione

Ioan.8.d natione liberari? Omnis enim, sicut veritas dicit, qui facit peccatum, seruus est peccati. Quomodo autem potiri creditur splendifico liberationis munere, qui peccati non caret teterrima seruitute? Propter quod eorum qui dicunt, faciamus mala vt veniant bona, iustam esse damnationem magistro Gentium docente cognouimus. Quo prædicante similiter audimus, quia neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Galathas quoque sic idem doctor eximius monet: Manifesta autem sunt (inquiens) opera carnis, Quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequuntur. Quia igitur iustus est Deus, quamdiu isti talia agunt, regnum Dei non consequuntur. Quoniam verò idem Deus misericors est, propterea mali si talia agere desinant, in quibus Deum contumaciter exacerbant, & humiliati atque correcti ad Deum conuertantur, regnum Dei sine dubio consequentur. Sicut enim opus iustitiæ non vincitur: sic nec opus misericordiæ submouetur. Et ideo sic Deus possessionem regni sui disposuit, vt eam quia iustus est, impio & iniquo non donet: Quia vero misericors est, omni veraciter conuerso non deneget.

Rom.3.b

1.Cor.6.b

Galat.5.c

CAPVT XVI.

Conuersio vera quæ.

COnuersio autem tunc vera probatur in homine, si impietas & iniquitas pellatur ex corde. Veruntamen inter impietatem & iniquitatem hæc solet pronũtiari differentia: quod impietas aut prauam in Deum fidem

Differentia inter impietatem & iniquitatẽ. Impietas.

fidem gerit, aut nullam. Iniquitas autem malis moribus polluit vitam. Blasphemat impietas Deum: lædit iniquitas proximum. Impietas autem ex humilitate carnis mentitur altissimum, nitens sacramentum pietatis inuictæ ad diuinæ naturæ cõtumeliam prædicare, aut in humana carne Deum Dei filium conceptum, natumq; denegat, & Deo vero non carnis veritatem, sed ostentationem solam falsæ visionis assignat. Aut ita carnem Christi fatetur de carne virginis, vt eam neget in carnis susceptione conceptã. Aut eundem patrem quem filium spiritumq; sanctum dicit confusione impia, aut patris & filij & spiritus sancti diuersas naturas inducit separatione peruersa, aut non credit carnem filij Dei de carne Mariæ virginis sumptam, sed de cælo non dubitat asseuerare depositam, aut aliquid humanæ naturæ vult Christo subtrahere, vt accepta humana carne animam rationalem, id est, animam plenam hominis vnigenitũ Deum deneget accepisse. Impietatis est crimen, si quis dicat, non omnem spiritualem corporalemq; à Deo bonã conditam naturam, sed ex aduerso propriã mali velit adsignare substantiam: cùm omne malum non ex ortu neque statu naturalis proprietatis existat, sed ex defectu voluntariæ cogitationis eueniat: non quia bona natura malam naturam recipit, cum mala natura nulla sit: sed quia dilectionis ordine derelicto creatura rationalis quæ ad dilectionem creatoris facta est, dum contempto creatore, aut rebus inhæret creatis, aut cogitationibus falsis deterior facta, temporalia sempiternis, ima summis, mutabilia immutabilibus anteponit. Similiter illi qui iustos & iniquos non ex operum diuersitate, sed ex sacramentorum dicunt communione censendos, nihil volentes vnicuiq; prodesse, si inter iniustos iustè viuat in Ecclesia catholica, tanquam vnumquemq; nõ pro qualitate

litate facti, sed pro societate sacramẽti æterna retributio siue supplicij sit exceptura seu regni. Hæc ergo quæ sunt à nobis superius intimata, & alia multa quæ aduersum Catholicam & Apostolicam fidem ab hæreticis atque schismaticis proferuntur, impietatis vitio deputantur. Ipsa enim separatio impios ostendit: quæ tales ecclesiastico corpori non socios, sed aduersarios facit. Neque enim à conuentu ecclesiasticæ vnitatis corpore separarẽtur ac loco, nisi prius ab ecclesiastica fide descẽderent corde corrupto: neq; à legittimo verbi Dei coniugio aperta impietate seiungerentur: nisi perfidas ac peruersas cogitationes adulterina diabolicæ constuprationis seminatione conciperent: quas nequiter interno fouentes assensu, ad hoc postmodum nefaria locutione parerent, vt viperea similitudine proprijs disrupti fœtibus interirent. Viperis quippe, hoc est parere, quod perire. Quarum filij, sicut fertur, disruptis quibus sunt concepti visceribus, sic egrediuntur in lucem, vt parentibus inferat mortem. Cùm igitur impia qualibet prauitas vel assensu concipitur, vel etiam professione generatur, æterna morte animam interimit. Quæ corruptioni consentiens, ob hoc internè conceptu infidelitatis inflatur, vt suo postmodum rupta partu moriatur. Tales apostolica his verbis designat auctoritas: Sicut autem Iamnes & Mambres restiterunt Moysi: ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Si quis igitur contraria disputans, & à bonitate semetipsum segregans ecclesiasticæ fidei peruersus obsistit, iste procul dubio impius dicitur. Si quis autẽ in corpore vnitatis Catholicæ perseuerans sacramentorum societate cõiunctus, flagitijs & criminibus deditus, is solet iniquus vocari, non impius. Vnde nobis nunc non est disputandum. Hoc tamen dicimus, quia nõ omnis iniquus est impius, licet omnis impius sit iniquus.

Impij hæretici & schismatici viperis similes.

2. Tim. 3. b

Iniquus quis. Non omnis iniquus impius: sed omnis impius est iniquus.

CAP.

CAPVT XVII.

COnuersio ergo illa in cõspectu Dei grata est & accepta, in qua simul et fidei rectitudo seruatur, et vitæ bonæ regula custoditur: id est, vt principaliter recta teneatur de deo sentẽtia, deinde proximo exhibeatur charitas diuinitꝰ imperata. Tũc enim se homo recte diligit: cùm dilectionẽ Dei sibi deuotus & humilis anteponit. Tũc etiã diligit proximũ: si proximo quantũ potest cõsulat, vt ad Deũ recta fide & bona cõuersatione perueniat. Proximi aũt charitas duplici est ratione seruãda, vt scilicet nec alij inferat quicquã quod sibi nollet inferri: nec indigẽti opẽ boni operis in quantũ potest deneget, quia nec sibi vellet negari, si similiter indigeret. Vnde Saluatoris nostri sic nos agnoscimus informari sermone dicentis: Quæ vultis vt faciant vobis homines, eadẽ & vos facite eis. Hæc est enim lex & prophetæ. Nõ dixit Christus, quæ vobis fecerint homines, eadẽ & vos facite eis, ne malum crederemus pro malo reddendũ ei qui nobis mali aliquid fecit, aut cuiquã negãdum putaremus beneficium, à quo nobis nihil beneficij sciremus impensum: cùm debeat Christianus omni homini beneuolẽtiæ adiutoriũ vel prærogare, vel reddere: vt & bono bonum reddat, et malũ bonitate præueniat. Dicitur enim nobis à domino: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderũt, & orate pro persequẽtibus & calũniantibus vos: vt sitis filij patris vestri qui in cælis est, qui solẽ suũ facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Boni autẽ fideles non solũ ab illis persecutionẽ patiuntur qui foris positi latratibus perfidis ac peruersis Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus obnitũtur: sed etiam ab illis qui videntur quidẽ intra Ecclesiã esse, sed male viuentes, inueniũtur ecclesiasticæ traditioni non ore, sed opere repugnare. Quos cum boni cõspiciunt, grauiter gemũt, et sancto affectu permotus cruciatur bonus animus quando

Charitas proximi duplici ratione seruãda.

Matth. 7. b

Matth. 5. g.

quando alienæ peruersitatis non fugit sensum, quamuis tenere non possit assensum.

CAPVT XVIII.

INtra Catholicam quippe Ecclesiam in præsenti seculo iusti & iniqui tenentur admixti, sacramentorum scilicet communione, non morum, id est, societate credulitatis, non similitudine conuersationis. Non ergo corde, non corpore: quia professione, non opere. Nunc igitur quamdiu secundum beati Pauli prædicationem in
2.Tim.2.c *magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem sunt in honore, quædam vero in contumelia: intra ecclesiam quidem sunt iniquus & iustus, extra Ecclesiam vero nullus est iustus. Et intra dominicam aream donec ventilatoris metuendus expectatur aduentus, & discretio ventilationis nouissimè differtur, palea frumento locali communione miscetur. Quisquis autem extra dominicam aream locus est, quamuis ibi vocabulum nominetur agricolæ: sola ibi potest quæ vento raptatur palea residere. Verum quia tanta est agricolæ nostri omnipotentia, vt nullus valeat eius vincere volũtatem, quisquis in præsenti vita conuersus recurrerit ad areæ dominicæ locum legittimum, si perseueranter teneat in fide recta bonæ vitæ propositum, non erit palea, sed frumentum, nec ignibus tradetur arsurus, sed in horreo congregabitur placitis Deo fructibus opimatus.*

CAPVT XIX.

In sola Catholica Ecclesia datur recipiturq; remissio peccatorũ.

IN sola ergo Ecclesia Catholica datur & accipitur remissio peccatorum, quam ipse sponsus vnam dicit esse columbam suam, vnam electam suam, quam super petram fundauit, cui claues regni cælorum dedit, cui etiam potestatem ligandi soluendiq; concessit. Sicut B. Petro

Petro veritas ipsa veraciter repromittit, dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam Matth.16.e
meam: & portæ inferorum non prævalebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunq; alligaueris super terram, erit ligatum & in cælo: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælo. Ab hac ecclesia quæ claues regni cælorum accepit, quisquis foris est, non cæli viam graditur sed inferni, nec tendit ad æternæ vitæ domum, sed currit ad mortis æternæ supplicium. Non solum si remaneat sine baptismo Paganus, sed etiam si in nomine patris & filij & spiritus sancti baptizatus perseueret hæreticus. Neque enim per baptismi meritum adipiscitur veram vitam, si quis in nomine patris & filij & spiritus sancti, siue intra Ecclesiam siue extra ecclesiã baptizatus, non tamen intra Ecclesiam Catholicam terminarit hanc vitam. Nec viuet per ecclesiastici baptismatis sacramentum, qui non tenuerit ecclesiasticæ fidei charitatisq; consortium. Ille enim saluatur sacramento baptismatis, quem intra Ecclesiam catholicam vsque ad obitum præsentis vitæ tenuerit vnitas charitatis.

CAPVT XX.

CÆterum si quis aut de Ecclesia baptizatus egreditur, aut extra Ecclesiam in patris & filij & spiritus sancti nomine baptizatus, si ante finem præsentis vitæ non fuerit Catholicæ restitutus Ecclesiæ, non carebit morte sed requie: quia & tempore diluuij si quis in arcam Noe non est ingressus, non est saluatus di- Genes.7.
luuio, sed necatus, nec salutẽ inuenit in aqua, sed mortem. Aqua quippe illa in qua præfigurabatur baptismatis sacramentum, quoscunq; in arca reperit, à terra suspensos ad cælestia sublimauit, residuos autẽ oppressos occidit, quos foris inuenit. Et pereunte Hiericho, si quos Iosue 6.

domus Raab meretricis incluſit, incolumes Ieſu ſeruare præcepit: reliquos verò quos illa non continebat domus, vnius mortis conſumpſit interitus. In illa igitur arca & in illa domo, eadem præfigurabatur Eccleſia, ſed in his qui extra arcam diluuio perierunt, & in eis qui extra illam domum gladio mortui ſunt, geminæ ſignificationis poteſt conſiderari myſterium. Exiſtimo enim quantum mihi nunc interim videtur, non incongruè credi in diluuij ſignificatione præceſſiſſe baptiſma Chriſtianæ confeſſionis: vt agnoſcamus hæreticos, ſi extra Eccleſiam permanſerint, baptiſmo pœnam mereri non vitam, & eos qui Chriſtum negantes de Eccleſia Catholica diſcedunt, æterno ſupplicio perituros. Arcæ quippe ſacramentum beatus Petrus his verbis exponit: In diebus quando expectabat Dei patientia, in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id eſt, octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam, quod & vos nunc ſimilis formæ baptiſma ſaluos facit, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum. Vbi eſt autem conſcientia bona, niſi vbi eſt & fides non ficta? Docet enim Apoſtolus Paulus, quia finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Quid ergo, aqua diluuij non ſaluauit extra arcam poſitos, ſed occidit? Sine dubio præfigurabat omnem hæreticum, licet habentem baptiſmatis ſacramentum, non alijs, ſed ipſis aquis ad inferna mergendum, quibus arca ſubleuatur ad cælum. Neque enim ob aliud eis interitus per aquam naſcitur, niſi quia eos arcæ non continet ſinus. In quo ſolo poteſt viuere, quiſquis non vult aquis vitalibus interire.

1. Pet. 3. d

1. Tim. 1.

CAP.

CAPVT XXI.

HVius arcæ myſterium Cyprianus beatiſſimus Martyr, ſcribens in libro de ſimplicitate Prælatorum, vel potius, ſecundum vetuſta exemplaria, de Vnitate Catholicæ Eccleſiæ exponit: Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt & pudica: Vnam domum nouit, vnius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit. Hæc nos Deo ſeruat, hæc filios regno quos generauit, adſignat. Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus, adulteræ iungitur, a promiſſis Eccleſiæ ſeparatur: nec perueniet ad Chriſti præmia qui reliquit Eccleſiam Chriſti: Alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt. Habere non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem. Sicut non potuit euadere, quiſquis extra arcam Noe fuit, ſic & qui extra Eccleſiam foris fuerit, non euadet. Certum eſt igitur tam prædicatione beati Apoſtoli Petri, quàm expoſitione ſancti Martyris Cypriani, in arca Noe figuram Eccleſiæ, & in aquis diluuij figuram baptiſmatis extitiſſe. In illa quoque domo Raab meretricis, quæ pereunte Hiericho ſola eſt iubente Ieſu cum omnibus quos intra ſe habuit, incolumis reſeruata, in ſacramento Chriſtianæ confeſſionis, quantum mihi videtur, Catholica ex Gentibus ſignificabatur Eccleſia. Quæ ſcilicet reiecta priſtinæ fornicationis illuuie, duos exploratores Ieſu latenter excepit: hoc eſt, ſine vtriuſque Teſtamenti caſtam cognitionem, ſine Dei & proximi charitatem. Quia & in illis duobus teſtamentis Dei & proximi charitas intimatur, & in his duobus præceptis tota Lex cum Prophetis pendere cognoſcitur. Hæc quæ prius idolis proſtituta fuit meretrix impia, ſuſcipiens exploratores Ieſu, facta eſt fidelis & caſta: quos cuſtodiens à perſequentibus

Non habet Deum patrem, qui non habet Eccleſiam matrem.

Ioſue 6.

Matth. 7.

inimicis, non in inferioribus depositos obruit, sed in solario domus suæ leuatos latenter abscondit. Solarium vero propterea dicitur: eo quod solis lumine perfundatur. Quis est autem sol humani cordis, nisi ille de quo dictum est per prophetam: Timentibus autem nomen meum orietur sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius? De ipso sole oriente Zacharias in euangelio sic prophetat: Quia visitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent. Nam & Abacuc propheta Christi ascensionem & ordinis ecclesiastici firmitatem sub nomine solis lunæq; sic prædicat: Eleuatus est sol, & luna stetit in ordine suo. Cor ergo vniuscuiusque fidelis non incongrue spirituale solarium dicitur: quod solis illius superni radijs saluberiter illustratur. Raab itaque meretrix quos exploratores Iesu in solario suæ domus abscondit, vtique in superioribus hoc est spiritualis scientia illuminati cordis intima dilectione continuit, vt propheticum illud eloquium operis veritate cantaret, In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Vera itaque fides, quæ diuinis eloquijs intimatur, tunc persequentibus non traditur, tunc in corde fideliũ inuiolata & incolumis custoditur: si non terrenis & caducis atque carnalibus, sed cælestibus & spiritualibus promissis animus perseueret affixus: nec contempletur quæ videntur, sed quæ nõ videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, sicut ait Apostolus: quæ autem nõ videntur æterna sunt. Cæterum quisquis propterea fidem Christianam tenet, vt res terrenas & transitorias adquirat: iste exploratores Iesu non in superioribus domus suæ, sed in inferioribus collocat: vbi cum fuerint positi, facilius & inueniri possunt ab inimicis & perimi. Omnis enim persecutor & inimicus ecclesiæ illos spiritualiter interimit, & ipsis ingerit æternæ mortis interitum: quorum cor inuenerit terrenis &

Sol humani cordis, Christus. Malach. 4. a

Lucæ 1.

Abac. 3. d

Psalm. 118.

2. Cor. 4. d

nis & caducis rebus innexum. Hi enim dum terrenas diuitias aut perdere metuunt, aut adquirere concupiscunt: præcepta Christi, hoc est, exploratores Iesu non abscondunt in solario cordis: sed tradunt persequentibus inimicis, aut metu scilicet territi, aut igne praua cupiditatis accensi. Nec funiculum coccineum, in cuius signo domus illa saluata est, habent per fenestram domus suæ suspensum, qui fidei suæ non confitentur, sed denegant sacramenta. Funiculus enim coccineus, sanguinis Christi mysterium præferebat: quem ille per fenestram domus suæ suspensum habet, qui fide contra Paganos, seu contra quoslibet hæreticos Deo protegente firmatus, ac fidem suam sollicitè custodiens, Christi se redemptum sanguine confitetur. Propter quod ipse Saluator ait: Qui me confessus fuerit coram hominibus: confitebor & ego eum coram patre meo qui est in cælis: Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui est in cælis. Quamuis igitur inimicus persecutor exploratores Iesu in inferioribus conetur occidere, id est, robur Christianæ fidei terrenis moliatur promissionibus siue terroribus eneruare: si quis tamen trinitatis fidem, qua patrem & filium & spiritum sanctum vnum Deum substantialiter credit, in superioribus habuerit collocatam, omnes prosequentis atros errores, omnesq; seductoris insidias non timebit.

Lucæ 12. b

CAPVT XXII.

PRoinde non solum quos iterati baptismi tenet reatus innexos, debent celeriter ad Ecclesiam recurrere, ad Deum lachrymis ac eleemosynis pro tãto scelere deprecari: verum etiam si qui forsitan sine iteratione baptismatis delectatione munerum, seu timore pœnarum negantes Catholicæ fidei sacramentum, ad hæreticorum

ticorum sunt mortiferum dilapsi consortium: resumant fidem, quam neganerunt, & ad Ecclesiam celeriter reuertantur, vt Jesu veniente intra illam domum possint inueniri, extra quam nullus potest ab interitu liberari: Quia sicut in Hiericho quisquis extra illam domum fuit, nullum potuit adipisci vitæ subsidium: sic extra Ecclesiam Catholicam nullus accipiet indulgentiam peccatorum. Rom.10. *Et sicut intra Ecclesiam Catholicam corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: sic extra eandem Ecclesiam mala credulitas non reparatur ad iustitiam, sed ad pœnam. Et praua confessio non adquirit salutem confitenti, sed ingerit mortem. Extra hanc Ecclesiam nec Christianum nomen aliquem iuuat, nec baptismus saluat, nec mundum Deo sacrificium offertur, nec peccatorum remissio accipitur, nec æternæ vitæ fœlicitas inuenitur. Vna est enim Christi Ecclesia, vna columba, vna dilecta, vna sponsa: in qua Trinitas vnius Deus, vnius naturæ atque substantiæ creditur: In qua nec filio, nec spiritui sancto contumelia minorationis ingeritur: In qua vnus atque idem cultus & honor vnus vni trinitati quæ Deus verus est exhibetur. Hæc est vna vera Ecclesia, quæ sic credit & prædicat vnam trinitatis essentiam: vt in tribus vnam quamlibet non audeat præferre alteri personam. Sic enim nihil se diuersum colere in substantia diuinitatis ostendit: vt patrem & filium & spiritum sanctum, hoc est, ipsam trinitatem vnum verum & solum confitens Deum, nec in vnitatis nomine Sabellianæ confusionis incurrat errorem, & in trinitatis vocabulo meminerit Arrianæ diuersitatis mortiferam vitare perniciem. Apostolicæ quippe prædicationis retinens normam, quemadmodum trinitatem cognoscit in personis patris & filij & spiritus sancti*

sancti: sic vnius Dei rectam prædicat fidem, quia in patre & filio & spiritu sancto naturalem prædicat vnitatem.

CAPVT XXIII.

AB hac Ecclesia si qui foris sunt in diuersis erroribus constituti, tunc accipient indulgentiam peccatorum, si ad eandem Ecclesiam dum sunt in hoc seculo constituti, recta credulitate fuerint & contriti cordis humilitate conuersi. Ergo currant dum tempus est ad legittimam matrem, quæ sicut ex vtero suo natos filios continet diligenter & nutrit: sic ex ancilla natos non solum redeuntes non respuit, quinetiam misericordia visceribus errantes inquirit, & pro affectu incessanter inuitat, quos in societatem paternæ hæreditatis inducat. Neque enim in eis attendit ancillaris vteri conditionem: sed paterni recognoscit seminis veritatem. Quæ est enim veritas paterni seminis, nisi baptisma perceptum in nomine Trinitatis? hoc illa in quocunque repererit, tanquam legitima mater sui iuris esse cognoscit. Nouit enim sicut Rachel non solum proprio vtero filios parere, verum etiam ex ancilla progenitos suo nomine tanquam genitrix legitima vendicare. Hoc opus est, vt illi non negligant fraternam societatem repetere: si volunt paternæ hæreditatis munere non carere. Igitur hæresim relinquentes ad catholicam Ecclesiam celeriter reuertantur: nec de hæreditatis possessione dubitent, nec de peccatorum remissione desperent. Genes.35.

CAPVT XXIIII.

QVi enim non credit intra Ecclesiam Catholicam cuncta relaxari posse peccata, ipse sibi remissionem peccatorum denegat: si de hoc seculo in eadem cordis impœnitentis duritia perseuerans, alienatus ab ecclesiasti-

Matth.12.c Marc.3.d Luc.12.b 1.Petr.4.b

siastica societate discedat. Talis igitur aduersus spiritum sanctum dicit verbum, quod neque in hoc, neque in futuro sit seculo remittendum. Charitas enim Dei quæ cooperit multitudinem peccatorum, diffusa est, sicut Apostolus dicit, in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Hæc charitas quia incorruptum tenet vnitatis fraternæ consortium: propterea multitudinem peccatorum cooperit, & vnitate spe certissima perseuerantes perire non sinit. Si quis igitur tenens fidem quæ per charitatem operatur, sic agit pœnitentiam pristini cuiuslibet erroris, vt eum nec erroris vlterius societas teneat, nec catena mortiferæ desperationis obstringat: liber erit ab illo verbo quod aduersus spiritum sanctum dicitur, quod dicenti, non dimittitur, neque in hoc seculo, neque in futuro. Hoc enim verbo Dominus & Saluator noster non aliqua peccata insinuauit in futuro seculo dimittenda, quæ in hoc seculo dimissa non fuerint: Sed bene intelligentibus ostendit non alia, sed illa tantum in futuro seculo dimittenda, quæ in hoc seculo in vna & vera Ecclesia Catholica fuerint vnicuique dimissa. Soli enim illi Dominus ligandi soluendiq; tribuit potestatem, dicens: Tibi dabo claues regni cælorum: Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Quod ergo sancta Ecclesia in hoc seculo non soluerit, ita insolubile permanet, vt etiam in futuro seculo solui nullatenus possit. Ligatus est autem omnis homo, quem ista non soluerit, nec consequetur aliquod solutionis beneficiū, qui nō conuersus ad pœnitentiā in ecclesia sibi dandam sperauerit indulgentiam peccatorum. Ille igitur dicit irremissibile verbum aduersus spiritum sanctum, qui diuitias bonitatis Dei & patientiæ & longanimitatis contemnens secundum duritiam suam, & impœnitens cor

Galat.5.a

Rom.5.a

Matth.16.

Peccatum in spiritum sanctum irremissibile.

Rom.2.a

cor, thesaurizat sibi irā in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua.

CAPVT XXV.

ET enim siue charitas & ea de corde puro, siue vnitatis fraternæ communio, siue hæreditatis cælestis paterna possessio: in sancti spiritus donatione consistunt. De charitate quippe doctor Gentium dicit: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Vnitatem quoque spiritus, cum eadem charitate commendat, dicens: Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino: vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis, cū omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem cum charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Ipsam quoque communionem spiritus sancti esse confirmat, dicens: Gratia quoque Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio spiritus sancti sit cum omnibus vobis. De hæreditate quoque nostra sic loquitur, Signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ. Spem quoque ipsam, quæ vitium desperationis expellit, sancto spiritui beatus adsignat Apostolus, dicens: Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo: vt abundetis in spe & virtute spiritus sancti. Ille itaque cælestis hæreditatis adipiscitur perenne consortium, qui intra Ecclesiam Catholicam fraternæ charitatis custodiens vnitatem, priusquam præsentem finiat vitam, deponit mortiferam cordis impœnitentis duritiam, nec desperat in Ecclesia vna & vere Catholica remissionem omnium peccatorum conuersis dari per spiritum sanctum. Quod etiam ipse Saluator noster ostendit. Postquam enim resurrexit insufflans in discipulos, & eis donum sancti spiritus tribuens, remittendorum

Rom.5.a

Ephes.4.a

2.Cor.vlt.

Ephes.1.

1.Cor.9.

Ioan 20. *dorum eis potestatem tribuit peccatorum, dicens: Accipite spiritum sanctum: si cuius peccata dimiseritis, dimittentur ei: cuius retinueritis, retinebuntur.*

CAPVT XXVI.

NOn itaq; aduersus se mortifera desperatione claudant ostium indulgẽtiæ, qui ab Ecclesia Catholica segregati cuiuslibet hæresis siue schismatis tenentur errore obstricti. Deponant duritiam cordis, si nolunt malis interminabilibus cruciari. Scriptum namq; est, quia cor durum male habebit in nouissimo. Et qui amat periculum, in illo periet. Quid autem periculosius, quàm diuinis obedientiam non exhibere sermonibus, & vocantis Dei spernere voluntatem? Propter quod in libro sancti Iob, sicuti his qui conuertuntur æternitas promittitur gloriosa, sic impijs pro eo quod non obediunt, salutis munera denegantur. Sic enim scriptum est: Qui conuertuntur ab iniquitate, si audierint & seruauerint: complebunt dies suos in bonis, & annos suos in gloria. Impios vero non facit saluos, eo quod noluerunt scire Deũ: & cum monerentur, inobediẽtes erant. Non ergo spernãt obedientiæ tempus indultum, sed ad Ecclesiam Catholicam reuertantur: in qua sola per sancti spiritus donum charitas cooperit multitudinem peccatorum. Si qui etiam in Ecclesia Catholica sunt, & male viuunt, priusquã istam vitam finiant, festinent vt à mala vita discedant, nec sibi putent ad salutẽ sufficere Catholicum nomen, si Dei non faciãt voluntatẽ. Dicit enim Saluator noster: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorũ: sed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnũ cælorũ. Nam & in libro Psalmorũ scriptum est: Quia prope est Dominus omnibus inuocãtibus eum in veritate: Voluntatem timentium se faciet, & preces eorum exaudiet,

Ecclef. 3. Iob. 36. b 1. Petr. 4. Matth. 7. Psalm. 144

diet, & saluos faciet eos. Propter quod & in Prouerbijs vnusquisque nostrum & timere Dominum iubetur & à malo discedere. Ibi quippe dicitur: Time Dominum & declina ab omni malo: & erit pax corpori tuo, & diligentia ossibus tuis. Nam & in libro Ecclesiastico, ne mala faciat vnusquisque fidelium sic admonetur: Noli facere mala, & non apprehendent te. Discede ab iniquo: & discedent mala abs te. Ne semines mala in sulcis iniuriæ, & non metes illa in septuplum. In eodem libro rursus ne quisque peccata peccatis adijciens de misericordia Dei velit sibi vana cogitatione blandiri, huiuscemodi verbis doctrina salutaris occurrit. Ne adijcias peccatum super peccatum, & dicas, Miseratio Dei magna est. Misericordia enim & ira ab illo, & in peccatores respiciet ira illius. Et rursus sanctus Iob dicit: Nónne perditio erit iniquo, & alienatio facientibus iniquitatem? In Prouerbijs scriptum est: Iniquitates suæ capient impium: funiculis autem peccatorum suorum vnusquisque constringitur. Hic moritur cum indisciplinatis, de multitudine autem vitæ suæ proiectus est, & perit pro insipientia.

Prouerb. 3. Ecclef. 7. Ecclef. 5. Iob 31. Prouerb. 5.

CAPVT XXVII.

ET ne quis putet aliqua peccata hominũ latere Deũ posse, sancti Iob sermonibus instruamur dicentis: Cogitationes meas dinumerasti, & nihil te latuit peccatorum meorum. Signasti quasi in sacculo iniquitates meas, annotasti si quid inuitus erraui. Ne vero aliquis impunitũ se futurum putet, si cõuerti noluerit, eiusdem sancti viri verbis intentus auscultet dicentis: Imò verò nullus confidat cum sit nequam, se impunitum futurum, quicquid in iracundia prouocant Deum, tãquam inquisitio in eo non sit futura. Propter hoc in Ecclesiastico salubris deprompta monitio, vt nec conuersio nobis de-

Iob 14.

bis desit, qua vitentur peccata, nec deprecatio, qua possint dimitti praterita. Sic enim dicitur: Fili peccasti, ne adijcias iterum: sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur. Quasi à facie colubri fuge peccata. Si accesseris ad illa, suscipient te, & quasi dentes leonis in vorando interficient te. Sed nec illud siletur, quod impij & peccatores qui pœnitentiam impietatis siue iniquitatis agere noluerint, æternis sint in fine deputandi supplicijs: misericordiam verò his qui pœnitentiam gesserint dominus noster largiatur. Quippe in libro Ecclesiastico sic positũ est, Quoniam & altissimus misertus est pœnitentibus: & impijs & peccatoribus reddet vindictam. Rursus in eodem volumine sic dicitur, Memento quoniam ira nõ tardabit. Humilia valde spiritum tuum: quoniam vindicta carnis impij, ignis & vermis. Isaias quoque dicit, Quia ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur. Rursum in Ecclesiastico positũ est: Stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio eorum flamma ignis. Via peccantium plena offensis, & in fine illorum inferi & tenebræ & pœnæ.

Ecclesiastici. 21.

Eccles. 12.

Eccles. 7.

Esaiæ 66.

Eccles. 22.

CAPVT XXVIII.

HÆc est mors quæ secundum carnẽ viuentes excipiet, sicut beati Pauli prædicatio sancta testatur, ita dicentis: Ergo fratres debitores sumus nõ carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Facta autem carnis sequitur, si quis aut obsequitur desideriys secularium, aut in impietate vult remanere captiuus: cùm nos non aliud doctrina spiritualis erudiat, nisi vt abnegata impietate, desideria quoq; secularia deponamus. Quod Gentium doctor his verbis insinuat, Apparuit autem gratia domini omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impie-

Rom. 8.

Titum 1.

impietatem & secularia desideria, sobriè & iustè & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spẽ, & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi. Illorum est igitur spes beata, illorum expectatio certa, illorum fœlicitas futura: qui abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè & iustè & piè vixerint in hoc seculo. Sobrietas itaq; & iustitia & pietas debent à Christianis intẽtissime custodiri. Sobrietatem autem custodit, quisquis mores suos vitamq; componit. Et ille iustè viuit, qui proximo nec mali aliquid ingerit, & in quantum potest adiutorium bonæ operationis impendit. Ille etiam piè viuit, qui peruersum aliquid nec credit de Deo, nec dicit. Quisquis ergo vult ad regnum peruenire cælorum, viuat sobrius in semetipso: iustitiam seruet in proximo: pius perseueret in Deo.

CAPVT XXIX.

HÆc autem tunc in futura vita proderunt, si in vita seculi præsentis habeantur. Hoc enim beatus & sciebat & docebat Apostolus: qui præcipiebat vt sobriè & iustè & piè viuamus in hoc seculo: docens scilicet illos adepturos in iudicio misericordiam, qui ante iudicium in hoc seculo iustam gesserint vitam. Propter quod nos in libro Ecclesiastico diuina prænonet scriptura, dicens: Ante iudicium para iustitiam tibi, & in conspectu Dei inuenies propitiationem. Debet itaque hic sibi iustitiam præparare, quisquis in conspectu Dei propitiationem desiderat inuenire. Quod enim in præsenti seculo sibi homo non thesaurizauerit, futuræ retributionis tempore non habebit. Quod vt diuinarum testimonijs scripturarum quantum sat est possit ostendi, primum terminemus librum: vt consequenter parti residuæ, quæstionis congruum dare possimus exordium.

Ibidem.

Eccles. 18.

D. FVL-

D. FVLGENTII EPISCOPI RVSPENSIS, DE remissione peccatorum, Liber secundus.

CAPVT I.

NOn ignoro libri superioris initio sic nos quæstionem de remissione peccatorum tractandã in Dei nomine atque adiutorio susceпisse, vt trina fieret disputationis inchoatæ partitio. Etenim cũm domino nostro, hoc est Deo vero, nec misericordiam deesse nec iustitiam diceremus: quod etiam scripturarũ diuinarũ manifestissima curauimus attestatione monstrare: Hinc diximus facilius veritatẽ posse quærentibus apparere, qualibus Deus peccata dimittat, vbi dimittat, quãdo dimittat. Huius tripartitæ diuisionis cum iam geminã persoluerim partem, tertiæ me non nescio debitorẽ. Qualibus etenim Deus peccatã dimittat, & vbi dimittat, quantũ nobis Deus suæ pietatis condonauit auxiliũ, arbitror superiore libro competenter ostensum. Constat namq; peccatorũ remissionẽ non tribui, nisi cõuersis intra Ecclesiam Catholicã constitutis. Ibi enim potest cõuersio esse vera, vbi fides vera comitatu sanctæ conuersationis ornatur, & bene viuẽdi studiũ nulla praua credulitatis maculatione polluitur. Vita enim bona nõ veraciter dicitur, quæ peruersæ credulitatis vitio deprauatur: neq; sufficit ad salutem fides rectæ credẽtis, si conuersatio moribus atq; operibus turpatur obscœnis. Propter quod sicut mortuã sine operibus fidem B. Iacobus prædicat: sic omnẽ quod nõ est ex fide, peccatum esse Paulus sua prædicatione confirmat.

Iacobi 5.

Rom. 14.

CAPVT II.

Ioannis 1.

NVnc autem in quantum nobis à luce vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, donatur illuminationis auxiliũ, aggredimur ostendere quando pœnitentibus detur remissio peccatorum. Sterilis enim pœnitentia remissionis fructu priuabitur, si diuinitus indulti tẽporis oportunitas omittatur. Propter quod beatus Petrus dicit: Non tardat dominus promissum suum sicut quidam tardantem existimant, sed patienter fert propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti. Obsecro Eutymi charissime, ne te pigeat intẽta consideratione pẽsare, quantũ sit ponderis in hac Apostolici virtute sermonis. Neq; enim debet tanquam leue contemni, quod B. Petrus ob hoc dicit Deum patienter ferre, quia non vult aliquem perire, sed omnes in pœnitentiam cõuerti. Hic enim prodest pœnitentia peccatori: vbi Deus peccantẽ damnare nõ festinat, vt remissionem peccatorum ad pœnitentiam conuerso concedat: Quia si etiam post hanc vitam iniquorum pœnitẽtia possit esse aliquatenus fructuosa, non diceret beatus Petrus, propterea Deum patienter ferre, quia non vult aliquem perire, eorũ scilicet quos præscijt & prædestinauit conformes fieri imaginis filij eius. Istorum nemo perit. Voluntati autem eius quis resistit? Isti ante finẽ præsentis vitæ Dei misericordia gratis præueniuntur, ipsi corde cõtrito & humiliato salubriter compunguntur, & omnes ad pœnitentiam diuino munere conuertuntur, ad quam sunt diuinitus prædestinati per gratuitam gratiam, vt conuersi non pereant, sed habeãt vitam æternam. Hi proculdubio sunt omnes quos secundum beati Pauli præconiũ Deus vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Quia enim ille hoc vult, qui omnia quæcunque voluit fecit: quod vult semper insuperabiliter facit, hoc vtique in eis impletur, quod omnipotentis Dei voluntas incommutabilis & inseparabilis habet. Cuius sicut mutari voluntas nõ potest in dispositione, ita nec prohibetur, nec impeditur pote-

2. Petri. 3.

1. Tim. 2.

potestas in opere: quia nec æquitatem illius valet quisquam iustè reprehendere, nec misericordiam ipsius potest aliquis obuiare. Vnde Saluator noster incredulæ ciuitatis maleuolentiam talibus verbis obiurgat: Hierusalem Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas Matth. 23. missos ad te: quotiens volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti? Hoc autem dixit Christus, vt illius malam voluntatem ostenderet, qua insuperabili voluntati diuinæ frustra resistere nitebatur, cum bona voluntas Dei nec ab eis possit vinci quos deserit, nec aliquid non possit operari quod velit. Illa igitur Hierusalem, quantum ad eius attinet voluntatem, suos filios ad Saluatorem congregari noluit: sed tamen ille omnes quos voluit congregauit. Ac per hoc illa resistere voluit omnipotēti, nec valuit, quia Deus, sicut scriptum est: Omnia quæ- Psalm. 134. cunque voluit fecit, quoscunque voluit ad se gratuita iustificatione conuertit, præueniens scilicet superabundantis gratiæ munere, quos posset vtique si vellet iustè damnare. Ergo cum Petrus Apostolus dicit, quia Deus patienter feret nolens aliquem perire, sed omnes in pœnitentiam conuerti, non sic accipiamus omnes dictos, tanquam nullus sit, qui congruè pœnitentiam non sit acturus. Sed illos hic omnes accipere debemus, quibus sic Deus pœnitentiam hic donat, vt etiam perseuerantiam donet: Hoc est, qui sic diuina præueniente misericordia conuertuntur, vt eadem misericordia subsequente ad crimina quibus renunciant nullatenus reuertantur. Hi sunt quibus, sicut Paulus ait, dat Deus 2. Tim. 2. pœnitentiam ad cognoscendam veritattem, vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Hanc pœnitentiam quisquis curauerit in hoc seculo gerere, ipse apud Deum pœnitentiæ suæ fructum poterit inuenire.

CAP.

CAPVT III.

CÆterum legimus in libro Sapientiæ quosdam in die iudicij habituros quidem pœnitentiam, non tamen indulgentiam diuinitus accepturos. Scriptum denique sic habetur: Tunc stabunt iusti in magna constan- Sapien. 5. tia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes inter se, pœnitentiam habentes, & per angustiā spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum & in similitudinē improperij: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniā, & finē illorum sine honore. Quomodo cōputati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est? Nemo autem cum legit dictum quia mali mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, existimet illis, qui in criminibus præsentē finiūt vitam, quandoq; insperatam salutem diuino munere conferendam. Iustorum namq; insperata salus, quæ licet desperatur ab iniquis danda, tamen permanet sperātibus iustis. Vnde B. Dauid vnam Psalmi loco spem iustorū cecinit & salutem, dicens: Salus autem iustorum à Domino, & Psalm. 36. protector eorū est in tempore tribulationis: & adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos, & eripiet eos à peccatoribus, & saluos faciet eos, quoniam sperauerunt in eum. Hinc est quod iniqui æternis deputandi tormentis dicturi sunt de iustis: Hi sunt quos habuimus aliquādo in derisum, & in similitudinem improperij: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniā, & finem illorum sine honore. Hæc est insperata salus, quoniam vitam iustorum insaniam æstimabant. Et cùm ipsi essent insani, sanos se esse credebant, nec sperabant retributionem diuinæ iustitiæ: & propterea vitam suam corrigere negligebant. Etenim delectabantur hic luxuriosè viuere diebus paucis, nec se credebant postmodum æternis cruciandos

Universidad de Deusto Biblioteca

ciandos esse supplicijs. Propterea cum iustos viderint in illa gloria filiorum Dei, de qua dicit beatus Paulus:
Roman. 5. In qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: tunc iniqui mirabunturin gloria iustorũ, hoc est, filiorum Dei: quia ipsi iusti sunt filij Dei. Propterea iniqui pœnitentiam, quia intemporaliter habentes, & per
Sapien 5. angustiam spiritus gementes. Quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorũ est? Insperata ergo salus, id est, quæ sperata non est ab iniquis, profecto
1. Petri. 2. iustis dabitur, non iniquis. Non enim dabitur illis qui eam desperando male viuunt: sed illis qui eam bene sperando, & à desideriys carnalibus abstinẽdo, B. Petri salubria mãdata custodiunt, dicentis: Charissimi, obsecro tanquam aduenas atq; peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriys quæ militant aduersus animã: conuer-
Rom. 12. a sationem vestrã inter Gentes habẽtes bonam. Per ipsam bonã cõuersationem iusti exhibent corpora sua hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem: quia per bonã conuersationem ipsi sunt etiã templũ Dei: Quod esse fide-
1. Cor. 3. les testatur Apost. dicens: Nescitis quia templũ Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? hoc templum ne malis operibus polluatur, non sõlum diligenter præmonet, sed etiam vehemẽter nostros animos terret, dicens:
Ibidem. Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Nemo se seducat. Quis enim rogo male viuẽs cum audit ab Apostolo, quia si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus: si conuersus in hoc tempore non fuerit, aliquam sibi spem remissionis futuræ promittere audeat? Quis non tremefactus concidat? Quis nõ ante finem vitæ præsentis ad pœnitentiam compunctus & humiliatus accurrat? Clamat Apostolus, quia si quis templum Dei violauerit, disperdet illũ Deus, & vanus homo seducit seſe cogitatione nequissima, dicens: Etiam si tem-

si templum Dei violauero, & vsq; in fine male vixero, saluus ero. Nunquid non talibus dicit Apostolus, quia dicunt, Faciamus mala, vt veniãt bona, quorum dam- Roman. 3.
natio iusta est? * Non hi sunt quos sancta scriptura in- * Nómne
fœlices appellat. Spemq; illorum vacuã omnino pronuntiat, dicẽs: Sapiẽtiam & disciplinã qui abijcit, infœlix Sapien. 3.
est, & vacua est spes illorum, & labores sine fructu?

CAPVT IIII.

SAlus illa igitur non dabitur iniquis, sed iustis: ante finem scilicet huius vitæ correctis atq; conuersis. Salus illa bonis dabitur qui ad amicitiã Dei cucurrerũt per conuersionẽ, non malis qui permanẽtes amici mũdi, Apostolica increpatione inimici Dei merẽtur congruè nũcupari. Tales enim B. Iacobus subiurgat, Adulteri, nescitis quia amicitia huius mũdi inimica est Deo? Si quis ergo voluerit amicus esse huius mũdi, inimicus Dei constituetur. Quisquis igitur declinãs à malo & faciẽs bonũ, pro suis iniquitatibus in præsenti vita pœnitentiã gesserit, & cõuersus ad Deum toto corde malis operibus renuntiauerit: spes ipsius vana nõ erit. Cæterum frustra seipsum seducit, quisquis per latam et spatiosam viam se peruenturum arbitratur ad vitam: cùm dominus per arctam viam nos iubeat ambulare, atq; angustæ portæ nobis demõstret introitum, per quẽ venitur ad regnum. Dicit enim: Intrate per angustam portam. Quam lata porta & spatiosa via quæ ducit ad perditionem: & mul- Matth. 7. b
ti sunt qui intrant per ipsam. Quàm angusta porta & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Via nostra præsens vita est, in qua si quis positus verbo Dei non consenserit, non accipiet remissionem peccatorum: sed in fletu & stridore dentium lugebit sine fine supplicium. Nec immerito nunquam merebitur carere tormento: qui quamdiu hic vixit, noluit renuntiare peccato. Propter hoc vnumquemq; nostrum

Matth. 5. Lucæ 12. Vide ser. D Aug. de verbis Domin. 1. & eiusdē ser. de diuersis quinquum. Psalm. 49.

saluator præmonet, dicens: Esto consentiens aduersario tuo cito dum es in via cum eo: ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouissimum quadrantē. Aduersarium sibi quippe facit homo Dei verbum: quādiu illa facit quæ diuinus sermo prohibet. Cui dicitur in Psalmo: Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te. Huic sermoni diuino si quis in via, hoc est, si quis in hac vita cito consentiens non fuerit, missus in carcere ignis æterni vltræ requiem non habebit. Bonus enim aduersarius iste, qui salubri aduersitatē iugiter instat: vt à nobis aduersitatē mortiferæ iniquitatis expellat. Hinc est quod nos in alio loco scriptura diuina, vt celeriter conuertamur, hortatur: ne tarditas mortifera perditionem differenti pariat, non salutem. Eccles. 5. *Ait igitur: Ne tardaueris conuerti ad Deum, & ne differas de die in diem: ne subito veniat ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te. Ostendit vtique sermo diuinus, quia cùm vindictæ tempus aduenerit, non iam conuersio malum punitione subtrahet: sed ira vindex debita condemnatione disperdet. Illud etenim tempus non erit remissionis, sed retributionis, nec indulgentiæ, sed vindictæ.*

CAPVT V.

QVæ idcirco diuina lōganimitate differtur, vt sanctorum numerus impleatur. Hanc enim vindictam beatus Ioannes in Apocalypsi sanctos memoratur postulasse, quorum hæc verba sunt: Quousque domine Apocal. 6. *sanctus & verus non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de his qui in terra habitant? Et vt doceret pro his qui eorum sunt consortio copulandi, tempus vindictæ superna ordinatione differri: sequitur dicens, Et datæ sunt singulis stolæ albæ, & dictum est eis vt requiescerent breui adhuc tempore, donec impleatur numerus*

merus conseruorum & fratrum eorum. Nouerat etiam beatus Paulus præsentis seculi futurique distantiam, sciebat in præsenti posse tantum beneficium salutis adquiri: in futuro autem non nisi mercedem iustitiæ singulis pro bonorum seu malorum operum qualitate restitui. Vnde cùm propheticum posuisset testimonium quod dicit Deus, Tempore accepto exaudiui te, & in Esaiæ 49. *die salutis adiuui te: continuo ipse subsecutus adiungit: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. De futuro autem dicit: Omnes enim nos manifestari* 2. Cor. 6. *oportet ante tribunal Christi: vt recipiat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.*

CAPVT VI.

NOn ergo in futuro tribuitur vita æterna: nisi fuerit in seculo peccatorum donata remissio. Neque hic accipiet remissionem peccatorum, nisi qui suis peccatis renuntiat, & ad Deum summum ac verum cordis vera cōuersione festinet. Illud etenim tēpus nō erit remissionis, sed retributionis. Non ibi misericordia iustificabit impium: sed iustitia discernet iustum & impium. Scriptum namq; cōtinetur in Psalmo: Dominus interrogat iustum & impium. Et vt ostenderet in iniquitatibus perditionem esse animæ non salutem, sequitur dicens: Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. Psalm. 10. *Ne verò aliquam sibi misericordiam repromittāt, qui vsq; in finem præsentis vitæ in iniquitatē perdurant: subsequenter de Deo sic loquitur, Pluit super peccatores laqueos, ignis sulphur & spiritus procellarum, pars calicis eorum: Quoniam iustus dominus, iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Quisquis igitur hæc audiens in præsenti tempore misericordiā Dei noluerit per conuersionem quærere: in futuro eam nunquam poterit inuenire. Hoc enim iustus iudex per beatum nobis Apostolum Iacobum denūtiari præcepit, eodē dicente:*

Iacobi 2. *Iudicium sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam. Ordo autem misericordiæ continet, vt misericordiam quã homo impẽdere iubetur alteri, prius exhibeat sibi, dicente scriptura: Miserere animæ tuæ placens*
Eccles. 30. *Deo. Proinde si quis placere Deo non vult: animæ suæ misericordiã denegat. Et qui animæ suæ misericordiam in præsenti seculo noluerit donare: nullatenus apud Deũ misericordiam poterit inuenire. Iudicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. Ac per hoc quod subsequẽter dicitur, Superexaltat autẽ misericordia iudicium, in illo fiet, qui nunc miseretur animæ suæ*
Matth. 5. *placẽs Deo. Ipse namq; dominus dicit: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Nam*
1. Corin. 14 *cùm beatus Apostolus moneat, vt omnia honestè secundum ordinẽ fiant, propter quod in Cantico Canticorum*
Cantic. 2. *dicitur: Ordinate in me charitatem: quomodo dicendus est aut charitatis aut misericordiæ ordinem tenere, qui non dico quemlibet hominẽ alium, sed ipse corpus suum reficit cibo, ne deficiat: munit indumẽto, ne algeat: dũ est sanũ, cauet ne infirmetur: dum est infirmum, satagit vt sanetur: carni suæ alimentorũ incessanter, vestimentorũ, medicaminũ ministrat sollicita intẽtione subsidiũ: & animæ suæ male viuendo cõquirit interitum? Carnẽ suã necessarijs cibis nutrit: & animã suã operibus malis interficit? Carni suæ noxios cibos negat: & animæ suæ opera mala tanquam venena mortifera subministrat? Carni suæ vitam prolõgare desiderat quæ finitur diebus paucis: & animæ suæ procurat mortẽ, cuius in supplicio non erit finis? Ac per hoc qui animã suã odisse cõuincitur, etiã animæ suæ crudelis aduersarius inuenitur: quia sicut boni actus faciunt carnẽ cũ anima cælesti beatitudine perfrui: sic opera mala faciũt æterno igni animã cũ carne torqueri. Ipse sibi ergo est pernicioſissimus inimicus: quisquis male viuẽs, vitã nõ mutat antequã finiat.*

CAP.

CAPVT VII.

EX huius enim vitæ fine, illius vitæ pendet initiũ: in qua quicquid retribuitur, non finitur. Cùm autem
1. Ioan. 3. *dignè ab Apostolo Ioanne dicatur: Qui odit fratrem suum, homicida est, & scitis quia omnis homicida non habet vitã æternã in se manentẽ: cumq; sanctus Dauid dicat: Qui autẽ diligit iniquitatẽ, odit animam suam. Si homicida est qui fratrẽ suũ odit, quid est qui diligit iniquitatem & odit animã suã? Et si ille qui odit fratrem, non habet vitã æternam in se manentem: quomodo ille qui in dilectione iniquitatis odio animæ suæ finit istam vitã, peruenire poterit ad indulgentiã peccatorũ, per quam venitur ad vitam, cùm ipse Dominus noster euidenter ostendat, qualiter ad vitã vnusquisq; perueniat, dicens: Si vis venire ad vitã, serua mandata? Ille*
Matth. 19. *igitur veniet ad vitã, qui mandata seruat. Quis autem seruat diuina mandata, nisi qui ad Deũ conuersus ante finẽ vitæ præsentis discesserit ab iniquitatibus pristinis? Propter quod B. Paulus nos admonet, vt discedat ab*
2. Tim. 2. *iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. Hoc autẽ dicebat, sciens quia in hoc tempore pœnitentia fructuosè agitur, in quo pœnitẽtibus indulgẽtia condonatur. Cæterum in futuro erit iniquorũ pœnitentia: sed fructuosa non erit, quia iniquorũ conuersio nulla erit. Mittentur enim in tenebras exteriores, vbi erit fletus et stridor dẽtium. Ibi sine fine cruciabuntur, non solũ gehennali supplicio animæ simul & corpora, sed etiam ipsis tenebris pessimæ voluptatis. Hic erit enim talibus mala ipsa voluptas ad supplicij cumulũ, pro qua manet eorũ sine fine tormentũ. Spernunt enim nunc oportunitatem temporis accepti: & in die salutis nõ quærũt diuinitus adiuuari. Quod tẽpus ita Deus prophetico nobis insinuauit eloquio, dicẽs: Tẽpore accepto exaudiui te, & in die salutis*
2. Cor. 6. *adiuui te. Hoc testimoniũ B. Paulus secutus, adiũxit:*

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Hoc tempus alio loco sic euidenter idem commendat Apostolus, vt quisquis diuino illuminatus munere intentè legerit, & competenter intellexerit, non se decipiat, nec aliud sibi tempus conuersionis aut remissionis inquirat: sciens quia quisquis in hoc tempore indulgentiam noluerit quærere, nullatenus post istam vitam poterit inuenire. Scribens ergo beatus Paulus ad Galatas hæc loquitur: Nolite errare. Deus non irridetur. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem: Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes: maxime autem ad domesticos fidei. His Apostoli verbis quis piger ad operis boni non excitetur affectum? Quis errans à Deo non rectam viam tremefactus inquirat? Quis non seminationi bonæ delectetur insistere, quando se non aliud quàm quod seminat recepturus cognoscit in messe?

Galat. 6.

CAPVT VIII.

OPortet igitur vt hunc apostolicæ prædicationis sermonem paulo diligentius attendamus. Neque enim frustra cum tanto pondere præmonet dicens: Nolite errare. Ac deinceps adiecit, Deus non irridetur. Postmodum vero aperuit, in quo nonnullos errare cognouit inquiens, Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Errat ergo, quisquis se in retributione futura messurum putat, quod in huius temporis operatione non seminat. Verum quia ipsius seminationis ac messis diuersitas fuit euidentius intimanda, idcirco eam subsequentibus verbis peritus discernendi agricola subiungens, hæc ait: Quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Ille est ergo error quem in huius sermonis interdixit exordio, quo se vnusquisque aliud existimat messurum esse quàm seminat. Errat igitur quisquis in carne seminat, de qua corruptio metitur, existimat messurum se vitam æternam, quæ in spiritu seminantibus reseruatur. Sequitur verò Apostolus dicens: Bonũ autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus nõ deficientes. Hæc euidenter ostendit seminis nomine vniuscuiusq; opera designari. Superius enim dixerat: Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Nũc dicit, Bonũ autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Verè veritatis discipulis, & ob hoc magister egregius Gentium, qui sicut iustitiam non defuturam in retributione operum docuit: sic tempus seminationis & messis, id est, operationis, retributionisq; discreuit: ne quis inepta cogitatione tempus seminationis & messis confundens, aut tempore seminationis deposcat futuræ messis effectum, aut tempore messis concedendum sibi speret bonæ seminationis initiũ. Ac sic iners operarius & ignauus pigritiæ vinculis inretiatus, imò quod est deterius, studio mortiferæ seminationis intẽtus, non gaudeat in messe, sed lugeat, dum cœperit suæ seminationis condigna tunc metere, quando iam non poterit qualitatem mali seminis immutare. Est præterea diligentius attendendum, tria quidem nobis in hoc loco Apostolicæ doctrinæ sermonis ostendi: hoc est, vt bonum faciamus, & vt non deficiamus: quia tempore suo metemus non deficientes. Horum trium, duo in præcepto sunt operis: tertium, in promissione mercedis. Duobus labor operarijs indicitur: tertio spe futuræ messis laborantium animus subleuatur. Adsolet enim qui certam sperat pro sui laboris qualitate mercedẽ sumere, magis ex la-

ex labore virtutẽ. Bonæ igitur operationi Apostolus perseuerantiam iũgit: vt non deficiat in semine, quisquis in messe delectatur sine fine gaudere. Proinde secũdum dictum B. Apostoli ille necesse est ad futuræ messis gaudiũ perueniat: qui præsenti tempore in bonæ operationis semine perseuerat. Cæterũ multũ seipsum seducit, siue qui nulla mittẽs vsq; in finem præsentis vitæ semina, operũ bonorum putat bona quandoq; messurũ: seu qui depranatus caret perseuerantia bonæ operationis, & lætitiam sperat in retributione mercedis: cum B. Apostolus hoc vnumquemq; recepturũ testetur in messe, quod perseuerãter præmittit in semine. Talis namq; est ille peritissimus ventilator, qui permũdabit areã suã, vt discretione tritici atq; palearum nulla subreptione fallatur: nec in horreũ mittit paleas ignibus dãdas, nec tradit flammis frumenta, quæ sunt horreo deputanda. Futuræ quippe messis tẽpore boni seminatores illi scilicet, qui nũc perseuerãter seminãtes in lachrymis in gaudio metent, quiq; nunc eũtes flent mittẽtes semina sua: tunc autẽ veniẽtes veniẽt in exultatione portãtes manipulos suos. Sicut ille priuabitur gaudio cõsortioq; messorũ, qui licet aliquãdo bona seminauerit, perseuerãtiam tamẽ bona seminandi non tenuit, sic etiã ille nec indulgẽtiæ, nec lætitiæ poterit participatione gaudere, quẽ seminatori nocturno, id est,
Matth. 13. diabolo intantũ famulari fauereq; delectat, vt vsq; in mortẽ nõ quiescat illa seminare, quæ angelorũ metentiũ discretione collecta & in fasciculos colligata, domini iudicio sine cõmutabili præcepto inextinguibili deputẽtur incẽdio: quia & subsequẽtis vitio iniquitatis, præteritus iusti frustratur omnis labor bonus, et iniquitatis meritũ
1. Cor. 3. permanet, cuius labor est omnis malus. Dicit enim Apostolus: Quia vnusquisq; propriã mercedẽ accipiet, secũdum suũ laborẽ: Illũ scilicet, in quo vnusquisq; inuenitur quãdo de præsenti seculo trãsire præcipitur. Proinde sicut

sicut Apostolus monet, dum tempus habemus operemur bonum ad omnes: maximè autem ad domesticos fidei.

CAPVT IX.

NAm & in epistola quæ ad Hebr. scripta est, nõ solum conuersio in præsenti tẽpore significatur necessaria: verumetiam præcipitur vsq; in finẽ perseuerantia retinẽda. Ait enim, Videte fratres, ne forte sit in aliquo Hebr. 3. vestrum cor malũ incredulitatis discedẽdi a Deo viuo, sed hortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initiũ substantiæ vsq; ad finem firmũ retineamus. Quis autẽ nõ ipsius exẽplo terreatur Apostoli, vt à malis operibus discedẽs, in pœnitentia & cõuersatione currat ad Deũ, et sollicitus caueat ne tenore perseuerãtiæ derelicto reprobus fiat? Considerandũ quippe est cũctis fidelibus, qua sollicitudine ipse B Paulus cucurrerit, qua vigilãtia pugnauerit, qua seueritate corpus suũ castigauerit. Ait ergo, Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic 1. Cos. 9. pugno, nõ quasi aerẽ verberans: sed castigo corpus meũ, & in seruitutẽ redigo: ne fortè cũm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Hæc autẽ dicebat, sciens per Ezechielẽ diuinitus dictũ in eo: Cùm conuerterit se iustus à sua iustitia, et faciat delictũ, et moriatur in suo delicto Ezech. 4. quod fecit in ipso morietur. Frustra igitur sibi peccatorũ remissionẽ vanis cogitationibus somniat, quisquis nõ vsq; in finẽ præsentis vitæ, in mãdatis domini perseuerat, vel quisquis ante finẽ vitæ præsentis nõ discedit ab itineribus pessimis. Oportet enim vt omnis iustus cum timore et tremore suã salutẽ operetur, et omnis iniquus Philip. 2. desinat exhibere mẽbra sua arma iniquitatis peccato: sed exhibeat semetipsum tanquam ex mortuis viuentem, & membra sua arma iustitiæ Deo, ac desinat talia Rom. 6. operari, quorũ stipendiũ mors est, dicẽte Paulo Apost. Stipen-

Rom. 6. *Stipendium enim peccati mors. Hæc mors, etiam futura ira Dei dicitur, quæ iniquis & in malo perseuerãtibus inferetur. Vnde & Iohannes Baptista Pharisæos Sadducæosq́, sic increpat, vt etiam Christianos male viuentes sua increpatione perstringat. Dicit namque:* Luc. 3. *Genimina viperarum, quis vobis demonstrauit fugere ab ira futura? Facite ergo fructus dignos pœnitentia. Et ne velitis dicere, patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim securis ad radices arborum posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ista cùm dominicus præcursor diceret, proculdubio iniquis dicebat & malis, quos etiam propter imitationem serpentium, hoc est, diabolici operis, viperarum genimina nũcupabat. Quibus tamen ostendit, quid in hoc seculo facerent, quid etiam in futuro iudicio formidarent. Præcipiens enim vt facerent fructus dignos pœnitentiæ, ostendit hic mutari posse homines, & a supplicij merito ad meritum regni pœnitentis animi conuersione transire. Adiungens autem, quia omnis arbor quæ nõ facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur: tempus prænuntiauit, futuri iudicij, quo malis vsque in finem criminosam ducentibus vitam, sicut infructuosis arboribus, non remissio peccatorum misericorditer donabitur, sed æterna cõbustio iustè reddetur. Ideo quoq; Saluatorẽ nostrum prædicit ad discretionem tritici palearumq́, vẽturum: qui habẽs ventilabrũ in manu sua, permundabit areã suam: & cõgregabit triticum suum in horreum, paleas autem cõburet igni inextinguibili. Informat omnẽ præterea Christianũ tenore euangelicæ lectionis, vt discretione habita cõsideret quid in primo Saluatoris aduẽtu fuerit vnicuiq; pijssima largitate donatũ, quid etiã singulis expectetur in secũdo iusta retributione reddendũ.*

CAP.

CAPVT X.

IPse enim noster Saluator & iudex, qui nunc venit vt saluet: tunc est autem venturus, vt iudicet: qui nunc venit, vt bonos ex malis pia remissione faciat: tunc autem venturus est, vt malos à bonis iusta examinatione discernat. Primi aduentus sui demonstrat beneficium, dicens: Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Luc. 19. *Secundi verò aduentus metuendam sic intimat æquitatem.* Veniet filius hominis & tunc reddet vnicuiq; secundum opera sua. Matth. 16. *Primi aduẽtus misericordiam rursus ostẽdens, ait: Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitũ daret: vt* omnis qui credit in eum nõ pereat, sed habeat vitã æternam. Ioan. 3. *Non enim misit Deus filium suum in mũdum, vt iudicet mũdum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Secundi vero aduẽtus iudiciũ sic pronuncians dicit: Multa habeo de vobis loqui & iudicare.* Ioan. 8. *Et alio loco: Sermo quem locutus sum vobis, ipse iudicabit vos. Et alio loco:* Sicut audio, iudico, & iudiciũ meum verum est. Ioan. 12. *Rursus* Ioan. 5. *beneficium primi aduẽtus sui, quo nullum inueniens viuum, gratis suscitat mortuos, quos vtiq; facit ex impijs iustos, talibus intimat verbis.* Amen amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audiẽt vocem filij Dei: & qui audierint, viuent. Ibidem. *Secundi vero aduentus examen, quo iudicaturus est viuos & mortuos, subsequenter prænuntiat, dicẽs:* Amen amen dico vobis, quia veniet hora, quando omnes qui in monumẽtis sunt audient vocem eius: Ibidem. *Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionẽ vitæ, qui autem mala egerunt, in resurrectionẽ iudicij. Præsentis itaq; vocis eius auditus donat vitam mortuis, cum fidei gratiã largitur incredulis, & quos malos inuenit bonos facit: Præsentis autẽ vocis eius auditus impios piè iustificat, peccatores misericorditer saluat, cæcos clementer illuminat. Secundæ autem vocis*

eius

eius auditus sicut iustis coronam iustitiæ reddet: sic iniquis pœnã pro iniquitate retribuet. In primæ vocis eius auditu prævenit peccantes misericordia redimentis: in secundæ vocis auditu subsequetur operantibus retributio iudicantis. Hic omnibus dicitur: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam: illic autem dextris tantum dicetur: Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Sinistris vero dicetur, Ite maledicti in ignem æternum. Ubi est meritorum tanta certissima cognitio pastoralis qua segregabuntur oues ab hœdis, vt ita nullus hœdus ponatur ad dexteram, sicut ouis nulla collocabitur ad sinistram. Illa quippe merita cum quibus homines ex hac vita discedunt, ipsa cum eis in illa vita indesinenter atq; incommutabiliter permanebunt, siue bona quæ hic diuina pietas contulit: seu mala quæ hic humana iniquitas comparauit. Ac per hoc nulla ibi erit remotio malorum, quamuis futura sit bonorum promotio meritorum. Illa enim manebunt in pœna, ista perficientur in gloria. Istud est tempus quo Deus, sicut in Psalmo scriptum est: Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem cæli à terra confirmauit Dominus misericordiam suam super timentes eum: Quoniam sicut distat ortus ab occasu, elongauit iniquitates nostras à nobis. In illo autem iudicio coronam iustitiæ reddet iustus iudex, sicut Apostolus ait, his qui diligunt aduentum eius: operantibus autem iniquitatem, sicut Psalmus ostendit, dabit secundum opera eorum, & secundum nequitiam studiorum ipsorum, & secundum opera manuum eorum tribuet illis, reddet retributionem eorum ipsis: ea scilicet causa, quia qualis vnusquisq; de hac vita egreditur, talis futuræ vitæ sine dubitatione reddetur, nec de corruptione in incorruptionem in illo iusto mutabitur iu-

Matth. 11.

Matth. 25.

Psalm. 102.

2. Tim. 4.

Psalm. 27.

tur iudicio, qui ab iniquitate ad iustitiam, & à mala vita ad bonam vitam non prius in hoc seculo fuerit immutatus.

CAPVT XI.

PRopterea Paulus dicit: Omnes quidem resurgemus: sed non omnes immutabimur. Quod cum beatus dixisset Apostolus, ne sensus sermonis eius apud aliquos penderet incertus, sciuit subsequenter fidelibus ostendendum, quosnam futuræ resurrectionis tempore dixerit immutandos. Profecto enim si dixisset, Omnes resurgemus, sed non immutabimur: nullius immutatio futura crederetur. Et iterum si dixisset, omnes resurgemus, & immutabimur: sicut omnes creduntur resurrecturi, omnes etiam crederentur similiter immutandi. At cùm omnium futuram resurrectionem prædixerit, nec tamen omnes asseuerauerit immutandos: admonuit nos sollicitè scrutari quinam sint in resurrectione futuri examinis immutandi. Hoc autem nolens relinquere beatus Paulus ambiguum, ne licentius iniqui delinquerent, si commune sibi cum iustis munus futuræ mutationis audissent: sequenti sermone curauit ostendere illius mutationis donum. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Cùm dicit, nos, ostendit illos secum futuræ mutationis potituros donum, quos in hoc tempore cum Paulo sociisq; eius tenet Ecclesiastica rectéque viuendi communio. Ipsius vero mutationis insinuans qualitatem dicit, Oportet enim corruptibile hoc, induere incorruptionem: & mortale hoc, induere immortalitatem. Vt ergo in talibus tunc sequatur mutatio iustæ retributionis: nunc præcedit mutatio gratuitæ largitatis. Quam mutationem beatus Propheta Dauid ostendens, ait: Dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelsi.

1. Cor. 15.

1. Cor. 15.

Ibidem.

Psalm. 76.

CAP.

CAPVT XII.

His ergo, qui in præsenti vita de malo in bonũ fuerint immutati, futuræ mutationis retributio permittitur. Qua fiet, vt quisquis hic ad meliora conuersus mutauerit vitam, in illa quoque mutatus retributione donum potiatur æqualitatis angelicæ. Quam ipse Saluator, qui fidelis est in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, non iniquis aut impijs, sed solis permittit bene viuentibus ac iustis. Quia nec iusti sunt, qui bene non viuunt: nec iniustè punientur, qui Deum diligentes mandata eius contemnunt, quem illi diligũt qui eius mandata custodiunt, sicut ipse dominus dicit:
Ioan. 14. Qui diligit me, mandata mea custodit. Deum igitur qui nec iniustè diligi, nec iustè potest aliquando cõtemni, illi verè diligunt, qui eius præceptis obediunt. Isti sunt qui secundum sermonem domini mutabuntur, & æquales angelis Dei, incorruptibiles scilicet atque immortales munere illius mutationis effecti, quorum non anima sola mutabitur in melius, vt iam peccare nõ possit, sed etiam caro quam corruptibilem atque mortalem habuerit, sic in resurrectione mutabitur, vt ipsa quidem sit quæ nunc est, sed neq; corruptibilis, neq; mortalis possit esse quod nunc est. Ac per hoc, caro & iniquorum & iustorum quæ nunc moritur, ipsa est resurrectura. Resurget autem iniquorum in æterno dolore: iustorum verò in æterna fœlicitate mansura. Et sicut illa resurget ad cruciatum: sic ista resurget ad gaudiũ. Illa ob hoc animabitur, vt in æterna morte cum anima torqueatur: ad hoc ista viuet, vt cum anima perennis vitæ beatitudine fruatur. Iustorum ergo corpus secundum Apostoli prædicationem, seminatur in corruptione, surgit in incorruptionem: Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: Seminatur in infirmitate, surget in virtute: Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.

Hoc ergo in eis agitur per gratiam, vt primum hic in eis per iustificationem, in qua spiritualiter resurgitur, mutatio diuini muneris inchoetur, & postmodum in corporis resurrectione qua iustificatorum immutatio perficitur in æternum manens, perfecta glorificatio non mutetur. Ad hoc enim illos primum gratia iustificationis, deinde glorificationis mutat, vt in eis ipsa glorificatio incommutabilis æterna permaneat. Mutantur hic enim per primam resurrectionem qua illuminantur vt conuertantur, qua scilicet transeunt de morte ad vitam, de iniquitate ad iustitiam, de infidelitate ad fidem, de malis actibus ad sanctam conuersationem. Ideo in illis secunda mors non habet potestatem. De talibus in Apocalypsi dicitur, Beatus, sanctus, qui habet Apocal. 20. partem in resurrectione prima. In his secunda mors non habet potestatem. In eodem rursus libro dicitur, Qui Ibidem 2. vicerit, à morte secunda non lædetur. Sicut ergo in conuersione cordis prima consistit resurrectio: sic mors secunda in supplicio sempiterno. Festinet itaque hic primæ resurrectionis participes fieri, omnis qui non vult secundæ mortis æterna punitione damnari. Si qui etiam in præsenti vita timore diuino mutati transeunt à vita mala, ad vitam bonam: ipsi transeunt de morte ad vitam, qui etiam postmodum de ignobilitate mutabuntur in gloriam.

CAPVT XIII.

Cæterum miserorum atque infelicium, qui de malo ad bonum negligunt istius vitæ tempore commutari, sicut Dauid sanctissimus contumaciam culpat: sic futuram pœnam diuinæ retributionis prænũtiat, dicens: Non enim illis est commutatio, & non timuerunt Psalm. 54. Deum. Ac ne sibi qui commutari noluerint frustra promittant peccatorum indulgentiam transacto huius vitæ limite conferendam, secutus adiunxit, Extendit Ibidem.

manum suam in retribuendo. Huius retributionis initium est, cum iniquus mercedem quam oportuit erroris sui in semetipso recipiens iusto iudicio in suis iniquitatibus igne torquebitur sempiterno. Neq; etiam ista parua putanda est retributio, qua iniquus iustitiæ luce priuatus in suis tenebris errare permittitur, præiudicatus non carne, sed cæcitate cordis. Vbi etiam illud ad cumulum retributionis pertinet, si cæcus lumen non solũ non queat recipere, verum etiã cum delectatione studeat tenebras suæ cæcitatis augere. Talibus dicit Dominus in Psalmis, Et non audiuit populus meus vocẽ meam, & Israel non intendit mihi: & dimisi illos secundũ desideria cordis eorum, & ibunt in voluptatibus suis. De talibus etiã doctor Gentium dicit: Propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniant. Traduntur ergo tales primũ desiderys suis iniustis, tradẽdi postmodum supplicijs iustis. Traduntur hic conuenientibus factis, tradendi postmodum conuenientibus pœnis. Neque enim quia delectabiliter peccat malus, ideo æstimandus est à tormento retributionis extraneus: quandoquidem grauiter ipsa delectatione peccandi iam punitur: qui tali delectationi consensione subijcitur, ex qua meritum punitionis augetur. Vbi quanto magis perficitur quod iniustè delectat, tanto magis recepturus est iniustus quo amplius doleat. Si quis ergo hic noluerit ad Deum conuerti, & à mala vita ad bona vitæ studia commutari: nec illic immutabitur, vbi fœliciter mutatis iustis immortalitas & incorruptio confertur. Proinde iniqui vel impij, hoc est, vel qui peruersè credunt, siue qui nequiter viuunt, nec ante præsentis vitæ finem à sua infidelitate siue iniquitate discedunt: in futura retributione nec immortales nec incorruptibiles erunt, sed corrumpentur nec consumentur, morientur nec extinguentur. Permanebit enim cruciamen-

Psalm. 80.

Roman. 1.

ciamentorum perennis sensus in mortuis, vbi miseris mori non conceditur in pœnis. Ibi mors miserorum talis erit, quæ non animam de corpore dolentis excludat, sed in dolenti corpore ad hoc iugiter teneat, vt animam simul & corpus æternitate doloris affligat. Ac per hoc semper cum corpore suo morietur anima: cum quo sine fine cogetur æterna communicare tormenta. Ibi mors animæ corporisque non moritur: quia cruciatus corporis & animæ non finitur. Hæc quippe erit æterna mors iniquorum: vt in igne non moriantur æterno, ne quandoque possint carere supplicio. Nec ibi ardenti corpori aliquid demitur, quamuis infelix anima in suo corpore iugiter exuratur: Sed vt totum corpus ardere non desinat, totum cum anima iugiter in incendio perseuerat. In quo enim corpore anima iustè vixerit aut iniquè: in ipso recipiet æternam pœnam, aut sine fine lætitiam.

CAPVT XIIII.

EXpedit igitur vnicuique priusquam præsentem finiat vitam, futuri supplicij timore conuerti: si vere non vult post huius vitæ finem sine fine torqueri. Quapropter inaniter in conspectu Dei malorum hominum permanens iniquitas remittenda creditur: in cuius conspectu inulta esse bonorum operum sterilitas non sinetur. Neque enim dicitur quisquam positus ad sinistram idcirco iturus in ignem æternum, quia panem comedenti abstulit, sed quia esurienti non dedit: nec quia vestitum expoliauit, sed quia vestimenta non tribuit: nec quia de domo propria quenquam pepulit, sed quia vnum ex Christi minimis hospitio non recepit. Si ergo ibit in combustionem æternam qui panem suum esurienti non dedit: quid recipiet qui alienum abstulit panem? Et si mittetur in stagnum ignis & sulphuris, qui nudum vestimento non tegit,

quid passurus est qui vestimento crudelis expoliat? Et rerum suarum auarus possessor requiem non habebit: quomodo alienarum rerum insatiabilis raptor, si in hac vita conuerti noluerit, postmodum sibi de iudice iusto indulgentiam frustra promittit? Consideremus diuitem miserum purpura quõdam byssoq; vestitum, non ob aliud inextinguibilibus flãmis ardentem: nisi quia Lazaro pauperi continua esurie laboranti, nunquam voluit saltem micas conuiuij sui mortifera præditus iniquitate largiri. Qui cum interminabili cruciamento damnatus, etiam digiti pauperis in æterna requie latantis refrigerio remaneret indignus, euidenti responsione Abraham Patriarcha monstrauit post hanc vitam nec bonos posse ad iniquos aliquatenus transmeare, nec malos à pœnis ad beatorum requiem posse quan-
Lucæ 16. doque transire. Sic enim dicit: Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur: tu vero cruciaris. Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hinc qui volunt transire non possint, neque huc inde transmeare.

CAPVT XV.

PRoinde bonum nobis est, vt nunc operemur bonum dum tempus est operis, & vt simus in messe ditissimi, nec segnes debemus remanere nec steriles. Bonum est vnicuique vt nunc vulneribus suis adhibeat conuersionis ac pœnitentiæ remedium, dum conuersus potest remissionem accipere peccatorum: quoniam futuri temporis pœnitentia talis erit, vt indulgentiam mereri non possit. Neque vero tunc illi acturi sunt pœnitentiam, quos Deus prædestinauit ad vitam. Ipsorum enim in præsenti tempore secundum Apostoli dictum, quæ secundum Deum est tristitia stabilem salutem operatur, vt in hoc tempore pœnitentibus atq; conuersis

uersis, in futuro stabilis salus ac sempiterna reddatur. Illorum autem pœnitentia non desinit in futuro, qui pœnitentiam in præsenti vita non egerunt. Talis pœnitentia non erit ex largitate Dei: sed cruciatione supplicij. In tali pœnitentia luctus æternus erit: quia fructus ibi pœnitentiæ nullus erit. Non enim ibi mala voluntas ad bonum conuertetur pœnitendo: quando ad hoc tantummodo pœnitentiam habebit iniquus in pœna, vt nec pœnitentia aliquando possit carere nec pœna. Ac sic illa voluntas quæ hic iniquum vsque in finem tenuit obduratum, ad hoc sine fine pœnitentiam habebit de sceleribus suis, vt nec possit vltra conuerti, nec æternitate valeat carere supplicij. Neque enim omnis pœnitentia, vbi peccator gratia miserantis Dei præuentus sic pœnitendo peccata sua pronuntiat, vt per conuersionem gratiam remissionis inquirat: cæterum sic est quem pœnitet pro malis quæ fecit, nec tamen ad Deum conuersione mutatus accurrit: quomodo si quis in vulnere positus grauiter doleat, & beneficium medici non requirat. Pronuntiat quidem dolorem quem patitur: sed non consequitur remedium quo sanetur. Propterea non omnis qui confitetur peccatum remissionem accipit, quia Deus noster non tantum attendit quod corde gestamus. De ipso enim Psalmus dicit: Scrutans corda & renes Deus. Dicit etiam Saluator, Quid autem di- Psalm. 7.
citis mihi Domine Domine, & nõ facitis quæ dico? Inde est quod in scripturis diuinis quosdam legimus æqualiter peccata consecutos. Rex enim Saul ad prædandum Amalech à Deo directus peccatum incurrit, quia præceptum Domini minime custodiuit. Ad quem increpãdum cum propheta Samuel aduenisset, ille perterritus peccatum suum confessus est, nec tamen est indulgentiam consecutus: quia cor eius non erat rectum coram Deo. Illa enim peccati confessio ex timore fuit supplicij, Lucæ 4.

non ex horrore peccati. Non odiuit quod fecerat, sed timuit quod nolebat. Nec culpam suam * conuersatione culpauit: sed ad præsens diuini furoris percussus terrore contremuit. Dauid quoque rex carnalis concupiscentiæ deuictus illecebra, non solũ militis sui adulterauit vxorem: sed ipsum quoque maritum peremit insontem, nec solum non nullius criminis sui reum, quin etiam cõcultæ vxoris ignarum. Ad quem tamen cùm Nathan propheta destinaretur à domino, ille prophetica increpatione perterritus exclamauit: Peccaui. Cui sic Propheta respondit, Et Deus abstulit peccatum tuum, & non morieris. Ecce Saul dixit, Peccaui, Dauid quoque dixit, Peccaui. Cùm ergo in confessione peccati vtriusq; vna vox fuerit, cur non vna est vtriusq; concessa remissio? nisi quia in similitudine confessionis videbat Deus dissimilitudinem voluntatis: nec sonũ sermonis attẽdit, sed intentionem cordis in vtroq; discreuit. Vnus enim conuersus peccandi protinus abiecit desiderium, & pœnitendo ipse suum puniuit admissum: alter verò confessionem quidem peccati sui protulit, sed affectum peccandi peruersi cordis obstrictus vitio non abiecit.

* conuersione.

2. Reg. 12.

CAPVT XVI.

TVnc ergo prodest peccati confessio, si confessus peccator quod male fecerat vltra non faciat: & bonorum studio operum præteritorum criminum merita superare contendat, vt secundum Apostoli dictũ, vbi abundauit peccatum, superabundet gratia. Nonnulli præterea virtutem pœnitentiæ nescientes, non ad hoc pœnitentiã gerunt, vt sperantes opẽ diuinæ misericordiæ conuertãtur: imò pœnitendo deterius peccant, cùm de peccatorum remissione desperãt. Talis fuit pœnitẽtia Iudæ traditoris, quæ pœnitenti non adquisiuit salutem, sed procurauit desperanti perniciem. Deniq; deteriore semetipsum vinculo

Roman. 5.

culo iniquitatis obstrinxit, cum se occidit nocentem, quàm tum cum Christum tradidit innocentem. Peccatum enim traditionis Christi poterat Iudæ, si viuens conuerteretur, dimitti: occisio vero sua nullatenus relaxatur extincto. Post traditionem igitur Christi habuit traditor tempus, quo per illum sanguinem qui effusus est in remissionem peccatorum, ipsius quoque Iudæ posset remitti peccatum: quoniam Christus qui pro impijs mortuus est, non denegasset suo traditori remissionis beneficium, si non ille sibi desperando adimeret tempus remissioni concessum. Non ergo rectè pœnitentiam gessit, nec iustum vindicem se sui sceleris pertulit, auxit quippe, non abstulit supplicium meriti criminis sui vltor iniustus, qui occisori suo tempus cõuersionis adimit occisus. Ac per hoc quia ipse se occidit, ipse sibi vtique tempus conuersionis se occidendo subtraxit. Miserrimus Iudas, qui cum malè crimen traditionis admiserit, peius illius criminis pœnitudinem gessit: quia penitus indulgẽtiam non quæsiuit. Ac sic illa grauis culpæ pœnitentia deterior est inuẽta, quàm culpa. Illud etenim dominicæ traditionis peccatum habuit posterius tempus quo posset ablui, illũ vero punit sententia, quæ non conuersionẽ habuit, sed desperationẽ. Ideo pœnitentem non adiuuit, sed peremit, quia sibi conuersionis tempus occisione abstulit, & indulgentiam desperatione subtraxit. Tãtum igitur valet oportunitas concessi tẽporis, ad indulgentiã peccatorũ. Et cũ multo grauius sit Christũ tradidisse, quàm quẽlibet hominẽ occidisse: occisores tamẽ Christi, quicũque sunt in præsenti vita toto corde conuersi, remissionẽ peccatorum ipsius Christi sunt sanguine consecuti.

CAPVT XVII.

QVisquis autẽ, nõ dico hæreticus seu Paganꝰ, de quibus nulla est dubitatio, quod igne punietur æterno, quo etiã Christianus catholicus si homicidiũ admittat,

aut adulterium faciat, alienáve diripiat, vel si iuramentum periurio violet, aut falsum testimonium dicere non dubitet: nec ante præsentis vitæ finem conuertatur, cùm multo minus videatur peccasse, quàm ille qui occidit Christum: tamen occisor Christi si conuertatur in præsenti vita, saluabitur. Ille autẽ pro eo quod in præsenti vita non conuertitur, post huius vitæ finem tormentis deputabitur, quæ non habent finem. Hoc autem fit, nõ quia iste plus peccauit quàm ille impius qui Christum occidit: sed ideo ille consequetur vitam æternam, quia omnipotentiam boni medici recognoscens, congruo tempore ad remedium sanitatis aduenit. Ille autem propterea morte condemnatur æterna, quia desperans beneuolentiam, atque ita cùm eius peccatum comparatum occisioni Christi, leuius crimen pronuntietur, ipse tamen in eodem leuiore crimine multo deterius inuenitur: quia licet non occiderit Christum, in eo tamen deterius peccauit, quàm si Christum occidisset, in quo tempus neglexit congruum, quod est remissioni peccatorum diuina longanimitate concessum. Ita cognoscitur nec remissionem peccatorum dari, si pœnitentia in hoc tempore non agatur: nec in hoc tempore pœnitentiam prodesse, si peccatorum remissio desperatur: In futuro vero nullam malis conuersionem futuram: & talium pœnitentiam continuam fore, sed vacuam. Sicut enim eis nunquam remissio dabitur: sic eorum nunquam pœnitentia finietur. Negligunt enim tempus in quo pœnitentia salubriter à peccatoribus agitur, & in quo peccatorum remissionem pietas diuina largitur. Propter quod & ipse Dominus in Apocalypsi Ioannis fideles suos consolans, & iniquis pœnam

Apocal.22. *futuræ punitionis intentans, ita loquitur, Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Iustus autem adhuc iustiora faciat, & sanctus sanctiora*

ctiora. Ecce venio cito, & merces mea mecum est: reddere vnicuique secundum facta sua. Ego sum Alpha & Ω, primus & nouissimus, initium & finis. Beati qui lauerunt stolas suas, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem sanctam. Foris autem remanebunt canes, malefici, fornicarij, & homicidæ, & seruientes idolis, & omnis qui amat & facit mendacium. Quis rogo tam duræ possit ceruicis esse, aut quis ita incircumcisus corde reperiatur & auribus, qui verbis istis non terreatur, non prosternatur, non conuertatur? Quis non fleat? Quis non intimis visceribus intremiscat? Quis non timore illius iusti iudicij ad conuersionem tremefactus accurrat: vt remissionem peccatorum & gratiam perpetuæ salutis in-

Matth.13. *ueniat? Væ illi, qui ante tempus nouissimi ventilabri non festinauerit ex palea triticum fieri. Væ illi, qui antequam veniant messores angeli de medio frumentorum comburenda zizania collecturi, non curauerit ex zizanijs in frumenta conuerti. Neque enim diuinæ scripturæ benigna debet contemni monitio: quæ nobis & celeritatem conuersionis salubriter imperat, & tardantibus iram futuram diuinæ vindictæ commendat. Sic enim dicit: Ne tardaueris conuerti ad Deum, &*

Ecclesiast.5. *ne differas de die in diem: ne subito veniat ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te.*

CAPVT XVIII.

VT autem plenius agnoscamus, præsentis tantum seculi tempus humanæ conuersioni concessum: illos attendamus operarios quos Dominus vocauit ad vineam. Quorum vocationem licet diuersis horis egerint,

Matth.20. *hora tamen vndecima, hoc est, ante finem diei consummauit. In illis autem horis quibus vocati sunt operarij, cognoscuntur mũdi huius ætates, quibus Deus ad opus*

bonum vocauit quos ad se gratuita iustificatione conuertit. Accipitur enim mane huius diei ab initio mundi vsque ad diluuium. Tertiæ horæ quippe vocatio fuit à diluuio vsque ad Abraham. Sextæ horæ vocatio, ab Abraham vsque ad Dauid. A Dauid vero vsque ad transmigrationem populi in Babyloniam, hora nona completa est. Deinde hora vndecima fuit in primo aduentu Christi, quo venit humilis in carne mortali, in qua pro peccato mũdi dignatur immortalis occidi. Hæc est operariorum postrema vocatio, quæ nunc agitur vsq; ad præsentis seculi finem, id est, ab aduẽtu humilitatis eius vsq; ad aduẽtum celsitudinis. Ab aduentu quo bonus venit iudicandus à malis, vt misericorditer de malis faceret bonos, vsq; ad aduentum quo iustè iudicaturus est & malos & bonos. Ab aduentu piæ remissionis, vsq; ad aduentum iustæ retributionis. Ab aduentu quo ex vsuris & iniquitatibus liberauit animas pauperum, vsq; ad aduentum quo veniet cum vsuris exigere pecuniam suam à quibus eã inuenerit cõsumptam, aut nullo boni operis studio duplicatam. Hæc est hora
1. Ioan. 2. quam nouissimam beatus Ioannes appellat, dicens: Pueruli, nouissima hora est. Post huius horæ consummationem non ad vineam dominus operarios vocat, sed venet vt vnicuiqae mercedem sui operis reddat, sicut ipse
Apocal. 22. ait: Ecce venio cito, & merces mea mecum est. Ille sibi ergo speret diuinæ retributionis denarium tribuendum: qui antequam dies præsentis seculi finiatur, in dominica vinea laudabiliter operatur. Illa quoque horarum diuersitas digne accipiatur, sicut superius posuimus, ætatum mundi distinctio. Non tamen incongruè possumus in hac horarum diuersitate etiam vniuscuiusque hominis ætates accipere: vt mane sit hominis quousque finiatur infantia, deinde pueritiæ finis consummet tertiam. Adolescentiæ terminus peragat sextam: Iuuentutis

tutis consummatio perficiat nonam. Grauitatis cursus peragat vndecimam: & deinceps senectus tendens ad terminum, totius diei consignet occasum. In quacunque igitur vitæ præsentis ætate omnis iniquus aut impius toto corde fuerit conuersus ad Deum: statim præteritorum omnium remissionem accipiet peccatorum.

CAPVT XIX.

QVisquis autem potest inuenire in Euangelio, aut docere post finem diei quẽlibet operariũ vocatum ad vineam: digne speret & certissime prædicet cuilibet iniquo qui in præsenti seculo conuersus non fuerit, facultatem boni operis, aut gratiam remissionis futuri seculi tempore concedendã. Item quisquis ostenderit cuilibet ad operationem vineæ dominicæ ante finem diei non vocato denarium iussu domini datum: dignè congruéq; speret cuilibet ante finem præsentis vitæ nõ conuerso regnum cælorum largitate domini conferendum. Si verò illos quos diurni operis in vinea pius labor exercuit, ipsos tantum post finem diei denarij merces excepit: Nos quoque si ad denarium æternæ vitæ peruenire volumus, in vinea dominica præsenti tempore laboremus: nec contemnamus imperium vocantis, si nolumus à largitate remunerantis excludi. Qui enim ante finem diei non operatur in vinea, finito die non poterit denarium accipere: quia tunc non erit tẽpus, cum vnusquisq; ad operationem vineæ misericorditer vocetur, sed quo merces præterita operatione reddatur. Non ergo ibi erit pia vocatio, sed iusta redditio. Ille denarius nec otioso dabitur, nec ei qui extra vineã foris operatur. Otiosus est autẽ catholicus, qui non vult bene operari, Iacobi 2.
quia fides sine operibus otiosa et mortua est in semetipsa. Extra vineam vero ille operatur, qui constitutus in qualibet hæresi, bonorũ quidem operum gerit studiũ, sed ipse sibi male credendo denegat salutionis effectum.

Dicit

Rom.14. Hebr.11. *Dicit enim beatus Paulus Apostolus, quia omne quod non est ex fide, peccatum est. Et: Sine fide impossibile est placere Deo. Vterq; igitur sibi adimit denarium, vterq; se ab operariorum consortio efficit alienum. Iste quidem quia intra vineam Dominicam constitutus noluit esse studio operationis attentus: ille verò, quia foris operatus est quod ante finem diei intra vineam Dominicam debuit operari: Ac per hoc ille, quia non est operatus unde saluari possit: Ille autem, quia non ibi operatus est vbi donum salutis acciperet, & idcirco finito die nec ille ad vineam intrare permittitur, et illi facultas bonæ operationis aufertur: quia catholicus quidem malus in con-*

Psalm.22. *uiuio Domini vestē nuptialem non habuit. Quod Pau-*

2.Cor.5. *lus fidelibus intimat formidandum, dicens: Si tamen vestiti, non nudi inueniamur. Hæreticus verò ad ipsum conuiuium tempore acceptabili venire contempsit. Et ideo ille proijcietur, & illi facultas ingrediendi non dabitur. Nunc itaq; tempus, vt palea mutetur in triticum: nunc tempus, vt omnis iniquus festinet ex zizanijs triticum fieri: si non vult inextinguibilis ignis æternitate comburi. Si quis enim præsentis temporis gratiam respuens, quo dominus non ad iudicandos, sed ad saluandos peccatores venire dignatus est, in suis crediderit iniquitatibus permanendum, nullam inueniet misericordiam in futuro iudicio: quia nec tempore ventilationis paleam frumento misceri ventilator ille permittet, nec tempore reddendæ rationis talenti potestatem pigro, inutili famulo seueritas diuina concedet: Sed sicut paleas tunc inextinguibilis ignis exuret, sic nequam pigrumq; seruum tenebris exterioribus deputatum, fletus & stridor dentium æternus excipiet. Quid est enim aliud quod ille seruus ligari manibus iubetur & pedibus: nisi vt in manibus mali operis reatus, in pedibus autem malæ voluntatis puniendus ostenditur affectus?*

CAP.

CAPVT XX.

HVius oportunitatem temporis sanctus Esaias diuinitus informatus agnouit, qui nos ad conuersionem his verbis hortari non desinit: Quærite dominum dum Esa.55. *inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationem suam, & conuertatur ad dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniã multus est ad ignoscendum. Nunc ergo dominus quærendus est, cùm potest à quærentibus inueniri. Nunc inuocandus, cùm est proximus inuocanti. Nunc impietatis via, nunc est iniquitatis cogitatio relinquenda, nunc est necessaria conuersio peccatoris, qua potest beneficio diuinæ remissionis, reatu totius carere peccati. Cæterum bona Dei non videbit in terra viuentium: si quis in hac terra morientium remissionem non acceperit peccatorum. Hoc enim ipse præordinauit hominum Saluator & iudex, vt quibus peccata dimittit, in hac terra dimittat. Propter quod Iudæis incredulis dicit: Vt autem sciatis, quia* Matth.9. *potestatem habet filius hominis in terra dimittẽdi peccata. Quod non ideo dixit, quia transeuntibus hominibus de hac terra huius temporis peccata, si quibus vellet, relaxare non possit: sed vt homines agnoscerent tempus remissionis & retributionis diuina incommutabiliter constitutione discretum, nec audire humana inaniter speraret vanitas, quod diuina promitteret veritas. Hinc est quod etiam beato Petro, hoc est, Ecclesiæ suæ in terra ligandi soluendiq; tribuit potestatem, vt agnosceremus in tempore huius vitæ gratuitam tribui in peccatorum remissione misericordiam: In futuro autem iustam cunctis mercedem pro factorum qualitate reddendam, Nec ambigeremus nunc omnia posse peccata dimitti, & nunc quæcunque non fuerint dimissa, tunc exigi. Quod etiam beatus Dauid sancti spiritus reuelatione*

Universidad de Deusto Biblioteca

latione cognoscens, cui, sicut ipse testatur, incerta & occulta sapientiæ suæ manifestauerat dominus, priusquam de hoc seculo eat, remissionem postulat peccatorum, dicens: Remitte mihi, vt refrigerer priusquam eam: et amplius non ero. Beatus vtique Propheta non tam sollicitè postularet ante vitæ præsentis terminum remissionem sibi tribui peccatorum: si sciret post hanc vitam vel cuiquam profuturam pœnitentiam, vel remissionem peccatorum tunc pœnitentiam agentibus diuino munere concedendam. Psalm. 38.

CAPVT XXI.

EQuidem post hanc vitam licet pœnitentia futura sit iniquorum, non illis tamen peccatorum remissio dabitur, sed ipsa quoque pœnitentia punitionis generabit augmenta. Valebit enim ad cumulum cruciationis æternæ, vbi duritia peruersi cordis quæ ante finem præsentis vitæ non fuerit salubri cõfessione abolita, cum flammis vltricibus sine fine grauiter vretur, sua grauius pœnitudine punietur. Quid enim deterius, quàm sic de præterito iugi pœnitentiæ conteri, vt nunquam possit pœnitens à tormento commissi criminis liberari? Neque enim hoc in homine præsentem vitam in suis malis operibus finiente considerabitur, vt quia finita videbuntur eius opera mala, finiantur eius quandoque tormenta: sed attendetur in eo iniquæ voluntatis peruersitas, quam vsque in finem præsentis vitæ diligit & tenet iniquus, licet ipsam vitam quam pessime gerit amittat inuitus. Qui dum malam voluntatem ante finem præsentis vitæ mutare non curat, ostendit procul dubio sic se iniquitates suas diligere, vt si posset hic sine fine viuere, sine fine vellet in iniquitatibus permanere. Non ergo propterea cuilibet iniquo parcetur, quia iam desideria malæ voluntatis implere non poterit: sed ideo sine fine torquebitur, quia quamdiu hic peccare potuit, peccare non destitit. Et ob hoc nullus dabitur iniquo terminus punitionis, quia priusquam terminaret huius vitæ cursum, non posuit criminibus suis terminum. Quamuis enim vitam suam malam quantum vellet prolongare non posset, quisquis hic noluit conuerti dum viueret, eandem tamen si vellet mutare posset in melius, priusquam malam vitam finiret inuitus, in malis gehennæ sine fine mansurus. Vt hac ergo in combustione æterna crucientur qui præsentem vitam in malis moribus & operibus finiunt, ad iustitiam pertinet iusti iudicis reddentis vnicuique secundum opera sua. Cuius vtique non est iniusta redditio, qua fit vt iniqui nunquam careant supplicio, quorum voluntas in hac vita noluit carere peccato. Tales enim magis delectantur peccare quàm viuere. Nec ob hoc peccant, vt semper viuant: sed ideo hic semper viuere cupiunt, vt nunquam desinant peccare dum viuunt. Nemo autem securus præsentem vitam terminat, nisi priusquam vitam finiat, ab iniquitate discedat: Ne tunc inaniter sua velit deflere scelera, quando nullatenus poterit vitare tormenta. Non ergo inaniter in præsenti seculo pœnitentia vniuersis indicitur, neq; frustra in hac vita conuersio prædicatur. Hic enim pœnitentia remissionis inuenit fructum, si peccator dum hic viuit, peccandi deponat affectum. Præsentis namq; seculi tempus misericors dominus & iustus solum remissionis beneficio deputauit: futurum verò iustæ retributioni seruat: quo vnusquisque pro qualitate credulitatis & operis condigna, sed non finienda recipiat.

CAPVT XXII.

PRoinde nunc omnis iniquus intra ecclesiam positus, malam cõuersationem respuat, & bonæ vitæ cursum festinet arripere: vt ad æternam vitã valeat peruenire.

Nunc

Nunc omnis impius prauam fidei ſententiam deponat, & ad eccleſiam venire non differat. Nunc ſibi omnis homo dextræ partis comparet meritum: ſi non vult ſiniſtræ partis perferre tormentum. Nunc ambulet iuſtitiæ viam, vt veniat ad patriam, in qua requiem habeat ſempiternam. Nunc omnis qui Deum malis operibus exacerbat, trãſeat ad vitam bonam, per quam propitius Deus adquiritur, vt accipiat vitam æternã quam Deus bonis ſine fine largitur. Nemo deſperet miſericordiam Dei, conſiderans atrocitatem criminis. Nec tamen aliquis ſub ſpe miſericordiæ Dei permaneat in peccatis: ſed confidentia ſperantis ita ſine dubitatione petat pœnitentiæ portum: vt humilitas pœnitentis fugiat deſperationis lethale naufragium. Et ſic Dei miſericordiam diligat, vt eius conſideret cum timore iuſtitiam. Totum ſibi ſperet relaxari poſſe conuerſo: nec dimittendum tamen aliquid exiſtimet obdurato. Hoc tempore mutet iniquus vitam, & non inueniet pœnam. Fugiat culpam, & accipiet veniam. In hoc enim tempore beneficium remiſſionis adquiritur: quando mutationem voluntatis meriti quoque mutatio comitatur. Nunc omnis qui laborat & oneratus eſt, ad Deum vocantem reficiendus veniat, nunc ſuper ſe leue iugum Saluatoris leuémque ſarcinam tollat, nunc ab eo diſcat, quia mitis eſt & humilis corde: ſi animæ ſuæ requiem deſiderat inuenire, nunc auerſus ad conuerſionem currat, nunc iniquus ab iniquitate diſcedat, nunc errans ad viam veritatis redeat. Modò quærat domini miſericordiam, qui non vult pati ſine fine miſeriam. Modo quærat æternam vitam, qui non vult in æternum mori. Nunc præueniat faciem Dei in confeſſione, qui non vult damnari ſempiterna punitione. Nunc enim fructuosè pœnitentia geritur, nunc remiſſio peccatorum pœnitenti conceditur: nunc conuerſo regni cælorum poſſeſſio non negatur, in qua

qua ſine fine viuitur, & ſine fine gaudetur: Vbi nec mors lætantibus adimit vitam, nec mœror viuentibus poteſt auferre lætitiam. In quali enim fide & opere vnumquemque hominum vitæ huius inuenerit finis: talis ei retributio dabitur, cuius non erit finis: Quia ſicut omnis qui ante finem vitæ præſentis conuerſus non fuerit, & in malis ſuis finierit, vltra requiem non habebit: ſic omnis qui in hoc tempore diuinis præceptis obediens, à malis ſuis conuerſus fuerit, ſi in fide recta & bona vita intra Eccleſiam Catholicam perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Amen.

B. FVLGENTII EPISTOLA PRIMA DE CONIVGALI debito & voto continentiæ à coniugibus emiſſo.

CAPVT I.

EPISTOLAM *tuam, ſanctæ ſolicitudinis indicem, ante aliquot menſes accipiens, cùm perſoluere cuperem ſine dilatione reſponſum: ſic ſum repentina corporis ægritudine correptus, vt ſibrium violenta nimietas commeatum mihi vitæ præſentis auferret: niſi verus animarum corporumq; medicus (qui ſanat omnes lãguores noſtros,* Pſal. 102. a *& redimit de interitu vitam noſtram) ad remouendum tantæ infirmitatis flagellum, dignaretur medicinæ ſuæ largiri ſubſidium. Recepta quoque ſoſpitate, non defuit quidem reſcribendi voluntas: ſed ad dirigendum obſtitit hyemalis aſperitas. Nunc itaq;, quia creator & moderator temporum, temperiem dignatus eſt donare ventorum: conſultationi tuæ, quod miſeratione atque inſpiratione ſuperni largitoris accepi, redhibere non deſtiti.* Excuſatio dilatæ reſponſionis.

CAPVT II.

Tenor interrogationis super continentia vxoris.

DIcis itaq; filiam nostrā, coniugem tuam, penè vsq; ad extremum nuper agrotasse periculum: & sicut plerunq; contingit, accepta manus impositione, pœnitētiam secundum morē (quem habet Christiana religio) peregisse. Verum, quia postmodū diuinæ bonitatis munere, plenam accepit corporis sospitatē, fragilitatē carnis allegans, ætatis insuper iuuenilis incontinentiam confiteris. Et in hac ambiguitate cogitationis, qua carnem consideras, maiestatemq; formidas, velut nauta locorum ignarus, & fluctibus ventisq; iactatus, dum periculorū incerta præcaues, nostra tibi responsione demōstrari flagitas portum, vbi possis animæ vitare naufragium. Tenor ergo interrogationis tuæ duo quædam me compellit non segniter consideranda pensare: scilicet non solum quid in se coniugalis admixtionis qualitas habeat, sed etiam quid in vnaquaq; re pollicitatio vouentis exposcat. Igitur si per se ipsam quis fidelium coniugum commixtionem, duce ratione, consideret: culpabilis vsus non in coniugali concubitu, sed in cōcumbentium reperietur excessu. Neq; ex commixtione maris & fœminæ, sed ex immoderatione libidinis culpam trahit coitus coniugalis. In coniugibus ergo excessus iure reprehenditur, nuptialis tamē dignitas, collati sibi diuinitus honoris munere non priuatur. Ideo clamat apostolicæ prædicationis auctoritas: Honorabile cōnubium in omnibus, & thorus immaculatus. Corinthios quoque super matrimonij honestate seruanda Paulus informans, cūm præmisisset, bonum homini mulierem non tangere, quorundam infirmitatem videns, atque apostolica satagens charitate, tanquam parieti inclinato, & maceriæ impulsæ, non neglexit Doctor egregius consolationis destinam, Christo in se loquente, supponere. Denique subsequenter adiungit: Propter fornicationes autem, vnusquisque suam vxorem

Cōmixtio coniugalis in se mala non est, sed excessus.

Hebr. 13.a

Debitum coniugale.

1.Cor.7.

vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. Vxori vir debitum reddat, similiter autem vxor viro. Apostolicæ itaque lectionis tenor ostendit, vxorem viro, & virum vxori quadam debiti communione misceri. Quod procul dubio non appellaret Apostolus debitum, nisi legitimè sciret esse reddendum: nec iuberet reddendum mutuæ consensionis officium, si esset iniqua reposcentis exactio. Vsque adeo namque nuptias operi diuino applicare non ambigit gentium Doctor, vt & mulieris in corpore viri, & in vxoris corpore viri potestatem æquali prorsus iure confirmet, dicens: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Alio autem loco idem dicit: Quia non est potestas nisi à Deo.

Vir nō habet potestatē corporis sui, nec mulier. Ibidem.

Rom.13.a

CAPVT III.

HVius igitur potestatis inculpabilis est vsus, officio gignendi diuinitus attributus, si iustitiæ terminum transgredi libidinosus non permittatur excessus. Iustitia vero vtendi coniugij hæc est, vt nō explendæ libidinis, sed substituendæ prolis obtentu, sibi cōiuges congruo tempore misceantur. In illis namque bonis quæ fecit Deus, inuenitur casta copulatio vxoris & viri, in quibus Dei operibus libido non potest inueniri: nec aliquādo iustitiæ cōgruit, quæ nō hominibus ex dono cōditiōis, sed peccatoribus ex vitio primæ præuaricationis accessit. Sed quia sine illa in corpore mortis huius proles humana non seritur, nō eā affectant coniugia casta. sed tolerāt, eiq; imponit nuptialis honestas modū, sine qua non potest in carne peccati naturalis explere fœcūditatis officiū. Sic ergo quæri debet ex nuptijs fructus, vt cohibendus sit lubricæ voluptatis excessus. Quocirca si cōiugalis vsus eatenus tēperetur, vt nō æstuāti libidini animus seruiat, sed prouentū nascituræ prolis attendat:

Iustitia vtēdi coniugij propter prolē libidinem tolerat.

Carnalis commixtio coniugio potest sine culpa esse.

& cũm nata fuerit, diluendam celerius spiritali generatione non negligat: non deputatur fidelibus coniugibus ad peccatum carnis indulta commixtio: quia & coniugalis seruat confœderatio castitatem, & verecundia custodit modesta temperiem, & Deo dicandam coniugalis exhibet fœcunditas prolem, vt & redemptoris ope homo iam natus reformetur baptismatis Sacramento, cuius opere prius formatur in vtero: & illum habeat humana natura beneficio secundæ natiuitatis patrem, quem in prima natiuitate suæ conditionis agnoscit auctorem. Coniugatus ergo si fornicetur, damnabiliter peccat: si vero thori fidem non deserat, sed in vxore sua naturali duntaxat vsu aliquãtulum intemperatus excedat, non solum scilicet generationem quærens, sed aliquando libidini carnis obediens, hoc equidem sine culpa non facit.

Libido cõiugalis per fidem thori seruatã diluitur.

Talis autem culpa citius bene operanti atque oranti remittitur, quia ipsi coniugi seruat maritalis charitas fidem, in qua non potest maritalis infirmitas custodire tẽperiem. Et si nuptialis in vxore modestia non tenetur, à nuptiali tamen fide nulla immoderatione disceditur.

CAPVT IIII.

REtenta ergo thori fides maculam diluit, quam cõtrahit infirmitas carnis, si mulieri non misceatur alteri, quisquis non pro sola generatione, sed etiam propter fragilitatem carnis suæ miscetur vxori. Quia & si præfixum concumbendi modum transit, tamen coniugalem terminum non excedit. Et licet contrahat carnalis infirmitas culpam, impetrat tamen nuptialis integritas veniam. Accipit ergo talis indulgẽtiam, non pro eo quod ab vna debitum coniugale plus quam oportet exigit, sed quia vna legitima accepta contentus, alteram non requirit. Si tamen non desunt misericordiæ opera, quæ tantum valẽt in religione Christiana, vt non solum qui coniugijs vtuntur, aut qui continentes sunt, sed etiam virgines ad præmium virginitatis peruenire nõ possint, si opera misericordiæ charitatisq; neglexerint. Si vero quis intentus operibus bonis, tãtam seruauerit in vxore temperiem, vt filiorum procreãdorum causã tantũmodo misceatur vxori, multa laude talis est proculdubio dignus, si quis hoc nostris potest implere temporibus. Fornicatio tamen nũquam potest esse sine graui crimine, in qua licet nõ dubitemus damnabiliter peccare hominem ab vxore disiunctum: damnabilius tamen fornicari existimo coniugatum. Vtrumq; autem scriptura sancta iudicandum, & regno Dei pronuntiat alienum: scriptum namq; est in epistola ad Hebræos: Quia fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Et in epistola quã ad Corinthios scripsit Apostolus, dicitur: Nolite errare: neq; fornicarij, neq; idolis seruientes, neq; adulteri, neq; molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neq; auari, neque ebriosi, neque maledici, neq; rapaces, regnum Dei possidebunt. Rursus inter opera carnis idem Apostolus Paulus fornicationem, immunditiam, luxuriamq; dinumerat, in quorum conclusione dicit: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequuntur. Præmonet etiam ne lugeat multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione & impudicitia quam gesserunt.

Omnis fornicatio dãnabilis, præsertim in coniuge.

Hebr. 13.

1. Cor 6.

Galat. 5. c

2. Cor. 12. g

CAPVT V.

IGitur quia de qualitate coniugij quod Dominus donauit, diximus: illud est consequẽter tota solicitudine pertractandũ, quidnam vestræ voluntatis præfixerit (si qua tunc potuit esse) deuotio. Neque enim quia rebus à Deo concessis vsus hominibus nõ interdicitur, ideo debet homo quod vouerit Deo non reddere: cũm scriptum sit, Reddã tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Et ne

Vota Deo reddenda absque excusatione. Psalm. 65.

quisquam sibi vellet excusationem tribulationis ad frustrandæ licentiam promissionis assumere, nec se putaret voti reum, si se dixisset ad aliquid vouendum non voluntate, sed tribulatione compulsum, docens B. Dauid omnia esse Deo reddenda, quæ fuerint legitime duntaxat etiam in tribulatione promissa, cùm dixisset Deo, Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea: cõtinuo subdidit, Et loquutum est os meum in tribulatione mea. Nam & in Deuteronomio scriptum est: Si autem voueris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere illud: quia exquirens exquiret Dominus Deus à te, & erit in te peccatum. Si autem nolueris vouere, non erit in te peccatum. Quæ exeũt per labia tua custodies, & facies quemadmodum voueris Deo tuo votum, quod loquutus es ore tuo. Dicit & Salomon: Statim vt voueris votum Domino, non tardabis reddere illud. Tu itaque quæ voueris redde. Bonum est non vouere, quàm vouisse & non soluere.

Deut. 23.d

Eccles. 5.

CAPVT VI.

An votum castitatis in coniugio sit licitum.

PRoinde licitarum rerum vsus licite cum temperãtia geritur: donec rei licitæ renuntiatio non mouetur, & quamdiu non tenetur ex vtriusq;, id est, ex mariti vxoriscq; consensu, perpetua continentiæ promissio, non est illicita coniugalis admixtio. Scriptum est enim, Si duxeris vxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccauit. Veruntamen non peccet virgo quæ nubit: inuenitur aliqua virgo peccare si nupserit. Nõ enim peccat virgo nubẽs, si virginitatem Deo priusquam nuberet in corde non vouit. Caterum si, quemadmodum dixit Apostolus, statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare virginitatẽ suam, grauiter postmodum peccat, si post dicatam virginitatem Deo, volnerit humano

1. Cor. 7.

In virginibus votum obligat.

humano seruire connubio. Nam & viduas quasdam beatus Paulus vinculo pronuntiat damnationis obstrictas, quia scilicet post continentiæ professionem, nubendi receptam non abiiciunt voluntatem. De quibus euitandis Timotheum sic instruit, Adolescentiores autem viduas deuita, cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Admit igitur concumbendi licentiam continentiæ promissio, nec sola talibus fornicatio interdicitur, sed etiam maritalis admixtio prohibetur, & prænaricatricem voluntatem tenet culpabilis nexus, etiam si nullus in opere consequatur effectus. Neque enim frustra scriptum est: Quia concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum.

Similiter in viduis.

1. Tim. 5. b

Iacob 1.

CAPVT VII.

Quomodo tenet in cõiugio?

QVo circa non solum à virginibus integritas, verum etiam à viduis atque coniugibus debet Deo dicata continentia cum timore & tremore seruari. Quia priusquam sit aliquis voti reus, non condemnatur, siue virgo licite nubat, siue maritus & vxor coniugale sibi debitum reddant: Postquam verò quisque meliora consectans, professione se ipsum continentiæ siue integritatis obstrinxerit, grauissimè delinquit, si sibi deinceps licere putat, quod ante licitum fuerat. In talibus quippe rebus quod vouens Deo sibi adimit voluntas, nulla deinceps impunè permittitur vsurpare necessitas: nec temerator voti excusationem iustam suæ prænaricationis inueniet, quem nemo compulit vt voueret. Est plane aliquid discernendum, inter votum virginis aut viduæ: & inter votum eorũ qui tenentur vinculo coniugali. Nec enim tanta est vouendi licentia vel libertas viro siue mulieri, potestatem sui corporis non habenti, quanta est viduæ cuilibet aut virgini. Coniugato enim vel iugatæ corporalis continentiæ vouendæ facultas plena non suppetit:

Non est cõiugibus licẽtia vouẽdi sicut solutis, quia corporis sui potestatem nõ habent.

cuius corpus non in sua, sed in coniugis potestate consistit, secundum illud Apostoli dictum, quod supra posuimus: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Non itaque sinitur absque coniugis voluntate continentiam assumere, cuius corpus non est in propria potestate, hoc enim quisque recta & firma deuotione solus promittit, quod sui tantum iuris esse cognouerit. Tale est enim, vt velit quisque corporis sui, quod est in coniugis potestate, continentiam profiteri:

Esaiæ 61.c

quale, si quis de alterius substantia aut eleemosynam facere, aut sacrificium conetur offerre. Deus autem noster (sicut ipse testatur) diligit iustitiam, & odio habet rapinam in holocausto. Illa itaq; inter coniuges est continentiæ certa promissio, quæ fuerit vtriusq; consensione firmata.

Votum continentiæ obligat si fiat cõsensu vtriusque cõiugis.

Quam cum vir & mulier sibi consentientes concordi voluntate tanquam sacrificium in odorẽ suauitatis, super altare fidei Deo vero ac summo in templo sui cordis obtulerint: nec mulier vlterius in viri, nec vir in mulieris corpore, ad reposcendum debitum coniugale potest habere legitimam potestatem. Sicut enim priusquam Deo simul vouerent, reprehẽsibilis fuit vnius oblatio, quia legitimi consortis deerat adsensus: Ita cũm pari obtulerit vterq; consensu, quod est inseparabiliter vtriusque commune, non erit impunitus, si quis munus Deo voluntaria deuotione oblatum, illicito credi derit opere temerandum.

CAPVT VIII.

Votum ex fictione obligat & dãnabile est.

Sapien. 1.

Eccles 2.

QVod si forte quis non toto animo vouisse causetur, eo magis dãnabilis erit, quod nõ simplex ad Deũ, sed fictus accessit. Scriptum est autẽ: Quia spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Alio quoq; loco fictos sancta scriptura sic increpat: Væ duplici corde, & labijs scelera-

sceleratis, & manibus malefacientibus, & peccatori ingredienti terram duabus vijs. Quàm sit autem malum, quamq; solicite effugiendum, si quis de hoc quod Deo vouerit, aut retinere aut repetere aliquid mortifera præuaricatione pertẽtet, exemplo sunt Ananias & Saphira, quos de pretio agri quandam partem infideliter subtrahentes, non solum vox Apostolica, tanquã diuini iuris peruasores increpuit, sed etiam seueritas iustitiæ cælestis occidit. Beatus deniq; Petrus non solum fraudis vitio memoratum Ananiam dixit obnoxium, quin etiam cor eius à Satana pronuntiauit impletum, dicẽs: Anania, cur implcuit Satanas cor tuum, mentiri te spiritui sancto, vt fraudares de pretio agri? Nónne manẽs tibi manebat, & venundatũ in tua erat potestate? Quid vtiq; fecisti hoc, non hominibus mentitus es, sed Deo. Si quis igitur rem domino iam deuotam, carnali victus illecebra, crediderit denuo reposcendã: nõ est legitimus rei suæ possessor, sed diuini iuris pronuntiatur inuasor. Nec immeritò continentiæ iã deuotæ violator immundus audit, quod auarus pecuniæ fraudator audiuit.

De voto nihil licet retinere aut repetere. Actor. 5.

CAPVT IX.

Responsio ad interrogata ab initio epistolæ.

PRoinde cũcta quæ superius disputata sunt, cõscientia vobis testimonium perhibente, perpendite. Et siquidem continentiam pari vouistis assensu, tenorẽ vestræ dilectionis cum Dei timore seruate. Et si quando carnis infirmitas mentẽ pulsat, animus ad auxiliũ diuinæ miserationis accurrat: nec cedat libidini, sed Deũ tota humilitate fidelis exoret, & carnali desiderio militãti aduersus animã non cõsentiat, sed repugnet. Si vero continentiam vnus vestrũm sine alterius vouit assensu, temerariè se vouisse cognoscat, & debitum cõiugi casta synceritate redhibeat. Veruntamẽ, vt omnia vestra honestè fiant, in redditione cõiugalis debiti, sic infirmitatẽ carnis vsus excipiat coniugalis, vt non caro libidini

Verecũdia in actu cõiugali seruanda.

seruiat, sed animi virtus adiuta diuinitus, carnalis concupiscentiæ frena restringat. Negotium namq; substituendæ prolis ita debet à coniugibus peragi: vt subseruiente verecundia, dum se ad opus fœcunditatis animus fidelis inclinat, modestiam simul naturalis honestatis Deo adiuuante custodiat. Præcipuè autem obseruandum est fidelibus coniugibus, vt illa fugiant opera quæ diuina seueritas & facienda prohibet, & facta cõdemnat. Hæc enim nec Apostolica doctrina fidelibus insinuare cessauit, vt ad custodiendam vitæ bonæ regulam prudenter instrueret, salubriterq; terreret.

CAPVT X.

Continẽtia à Deo omnibus est expetenda.

MAgnum itaque bonum est, mulierem non tangere: quod debet omnis fidelis principaliter obseruare. Propter fornicationes tamen quisquis siue coniugatus, siue à coniugio liber, si continentiam Deo non vouit, & se ipsum ad implendam continentiã cernit inualidum, quamuis vbi plena fuerit continendi voluntas, & ab oratione atque operibus bonis non destiterit vera cordis humilitas, Ille qui dixit, Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis, quia veritas est, & mentiri non potest, & bene petenti det, & quærenti adinuentiones suas præparet, & bene pulsanti ipse aperiat, vt ad penetralia vitæ melioris introeat: Tamen si quis adhuc plus est de sua infirmitate sollicitus, quàm de domini virtute securus, si continentiã non vouit carnis, contineat ab iniquitate, & sicut decet vtatur vxore. Malitiam atq; auaritiam fugiat, & nõ condemnatur, si coniugi debitum reddat. Non sit ebriosus, non inuidus, non contentiosus, non fictus, non malignus, non litigiosus, nõ superbus, nõ rapax, nõ auarus. Quantum ad ipsum attinet, pacẽ habere cũ omnibus quærat, perniciem non teneat, nulli detrahat, cum amicis fidem teneat, inimicis nunquam perfidus aut periurus existat,

Quinequit continere à carne, contineat ab iniquitate.

aliena non rapiat, æquitati pecuniã non præponat, sit in negotijs iustus, in operibus pius, mitis ad tolerãdas, tardus ad retribuendas iniurias, in fide stabilis, amator castitatis & pacis. Adtendat Saluatoris nostri dictũ, quo nobis & quid faciamus præcipit, & quid accipiamus ostẽdit. Ait enim: Dimittite, & dimittetur vobis: date, & dabitur vobis. Sit ergo quantum potest in eleemosynis largus & hilaris, & ad dimittendum peccantibus facilis ac suauis: nec tamen se putet ita peccantibus tribuere veniam, vt disciplinam suæ domus existimet negligendam: sed vigoris retinens clementiaq; temperiem, seruet in correptione modestiam, & in remissione censuram. Arguat, moneat, terreat, increpet, consoletur, oblectet. Nec tantum faciat in subditis peccantibus, quantum impetus furoris impellit: sed quantum modus consultationis exposcit. Et si verberandus est pro peccato famulus, non vlciscendi libido præualeat: sed æquitas Christiana potius illi clementer consulat quem flagellat. Ac sic & quando iustitia persequitur culpam, non desit misericordia, quæ modestè nouit tenuare vindictam. Nutriantur filij secundũ Apostoli præceptum, in disciplina & correptione domini: nec permittantur impudicè aut luxuriosè viuere, cùm nõ lasciuiæ, sed castitati ac temperantiæ proles debeat Christiana seruire. Neque enim & de malis operibus filiorũ, non erit in illa terribili examinatione parentũ negligentia indicanda. Cùm & in hoc seculo propterea Heli sacerdos à domino reprobatus fuerit & abiectus: non quia filijs in iniquitate consensit, sed quia peccantes mansueto quamuis sermone monuerit, prohibere tamen competenti seueritate cessauit. Magis autẽ parẽtes qui vere diligũt filios, bene operãdo eis consulant, quàm dimittas colligendo me dũ filijs tenaciter substantia colligitur, opportunitas boni operis omittatur. Præ omnibus autẽ fideles meminerint coniugati,

Lucæ 6.

Regimen familiæ.

Ephes. 6.

Educatio prolis.

1. Regũ 2. 3 4.

Regula profectus & perfectionis in coniugio.

coniugati, semper orationibus atq; eleemosynis insistendum: nec velint iugiter in ipsa carnis infirmitate iacere, sed festinent gradum vitæ potioris ascendere. Et vt ad virtutem continentiæ perueniat animus, magis magisq; carnalis concupiscentiæ comprimatur excessus. Vt dum Deo adiuuante illum superauerint gradum, in quo coniugalis infirmitas veniam postulat: celsiorē possint laudabiliter obtinere, in quo continentiæ virtus palmam vitæ melioris expectat.

B. FVLGENTII EPISTOLA SECVNDA, AD GALLAM, DE consolatione super morte mariti, & de statu viduarum.

CAPVT I.

Consolatio Gallæ de morte maritiiuuenis.

DOMINÆ verè illustri, & in Christi timore venerabili, filiæ Gallæ, seruorum Christi famulus. Ante menses aliquot Diaconi mei ex vrbe meātis, certa narratione comperi, non solum tui coniugis obitum, verùm etiam sanctum propositi tui tramitem, in quo iam ambulas, illo deducente, qui est via, veritas, & vita: qui fidelibus suis nouit per momentaneam tristitiam donum sempiternæ largiri lætitiæ: & quos vult salubriter de terrenis ad cælestia paternæ benignitatis dispensatione transferre.

Ioan. 14.

Laus mariti defuncti. Roman 11.

Neque enim frustra dominus (cuius incomprehensibilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ Apostolus prædicat Paulus) coniugem tuum religione sincera fidelem, corde humilem, moribus mitem, operibus misericordem, conuersatione penitus innocentem, ætate iuuenem: de peregrinatione huius vitæ ad æternam cælestis patriæ celeriter transtulit mansionem: nisi vt & illi gaudia æterna conferret, & tibi facultatem melius viuendi concederet. Illi donauit vt corpore spoliatus, sit cum Christo sine fine victurus: tibi donauit, vt quæ sunt domini ageres, & secundum Apostoli sermonem, sis sancta, & corpore, & spiritu. Proinde sine dubitatione crede, quod diuinitus dicitur: & cum dilectione spera, quod promittitur, vt possis benefacere quod iubetur.

1. Cor. 7.

CAPVT II.

PRimo igitur de mariti morte per Apostolum Paulum, quid debes fideliter tenere, cognosce. Ait enim: Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spē non habēt. Si enim credimus, quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: Ita & Deus eos qui dormierūt per Iesum adducet cum eo. Si ergo veræ fidei tenaces sumus, si de sermonibus Dei nihil ambigimus, si ad futurā vitam spe certissima tendimus, si dignè Deum proximumq; diligimus, si non ab hominibus inanem, sed à Deo veram gloriam Christiani nominis expectamus: non debemus vtiq; de fidelibus mortuis, & (vt propriè dicam) de dormientibus nostris, aliquam (sicut infideles) habere tristitiam. Salubris etenim noxiaq; tristitiæ debet in nostro corde manere discretio: qua fit, vt nec de amissione solatij temporalis concidat animus, æternis rebus deditus: & de his salubrem tristitiam sumat, in quibus se aut minus aliquid, aut secus quàm oportuit fecisse considerat. Propter quod Paulus vtranq; tristitiam non minus opere docet, quàm retributione discretam. Denique in vna salutis prouentum, in altera mortis positum demonstrat exitium, dicens: Quæ enim secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: seculi autem tristitia, mortem operatur. Ne igitur vltra fidei Christianæ

1. Thes. 4. Non debēt Christiani de mortuis contristari sicut cæteri qui spē non habent.

Duplex tristitia.

2. Cor. 7. c

stianæ modum: indiscretam teneas de mariti morte tristitiã, nec amissum existimes, sed præmissum, nec ipsius iuuentutem putes immaturè præcisam, quam interminabili vides æternitate firmatam. Fideli quippe animæ
Psal. 102. a *dicitur, Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua.*

CAPVT III.

ABsit autem vt infidelium consentientes erroribus æstimemus aut dicamus, quia illum iuuenẽ Christianum abstulit atra dies, & funere mersit acerbo. Il-
Virgil. l. 6. Abstulit atra dies, hoc Christianis non conuenit. 1. Ioan. 2. Ioan. 3. *los namque atra dies aufert, qui secundum Ioannis Apostoli dictum, in tenebris sunt, & in tenebris ambulant, & nesciunt vbi ambulant: quia tenebræ obcæcauerunt oculos eorum. Illos abstulit atra dies, quos ipsa lux vera vehementer obiurgãs, Hoc est autem, inquit, iudicium, quia lux in mundum venit, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim eorum mala opera. Tales sunt qui viuunt, vt cũm audierint vocem filij Dei, non ad vitam, sed ad iudicium suscitentur, dicente domino: Quia veniet hora, quando omnes*
Ioan. 5. *qui in monumentis sunt, audient vocem eius, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Et quia his nec breuis vita potest prodesse nec longa, consequenter de ta-*
Sapien. 3 d *libus in libro Sapientiæ dicitur: Et siquidem longæ vitæ crunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorum. Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die magnitudinis allo-*
Dies magnitudinis, dies extremi iudicij. *quutionem. Quæ est autem dies magnitudinis, nisi dies in qua non iudicandus, sed iudicaturus veniet Dominus? Nunc enim cum venit vt pro nobis iudicaretur, nõ fuit dies magnitudinis, sed minorationis, in qua minoratus est paulo minus ab angelis: Tunc autem erit dies magnitudinis, quando secundum Ioannis attestationem,*

tionem, omnes mali abscondi cupient in cauernis montium, dicentes montibus & petris: Cadite super nos, Apocal. 6. d *& abscondite nos à conspectu patris, sedentis super thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus iræ illorum. Et quis poterit stare? In hac die magnitudinis, mali non habebunt alloquutionem, sed increpationem. Non enim audient, Venite benedicti patris mei,* Matt. 25. d *percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi: sed dicetur eis, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Tales igitur quantumlibet longæui moriantur, acerbo funere demerguntur: & quamuis ætas eorum matura videatur in corpore, mortifera tamen mundi dilectio immaturæ mentis acerbitatem retentat in corde.*

CAPVT IIII.

Bonus christianus etsi iuuenis, nõ mergitur funere acerbo. *CHristianus autem qui in timore Dei vixerit, quacunque fuerit defunctus ætate corporis, non acerbo funere mergitur: sed placita Deo subnixus maturitate transfertur. Legimus namq; in eodem Sapientiæ libro,* Sapien. 4. *Quia senectus honorabilis est non diuturna, neque numero annorũ computata: Cani sunt autẽ sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata: quæ placita Deo, facta dilecta est. Deniq; in subsequentibus bene viuentem quendam Deoq; placitum, ob hoc raptum celeriter dicit, vt nullam mutationẽ perferret malitiæ secularis, nec anima eius aliqua fuisset fictione decepta. Sic ergo*
Ibidem. Non vita longa prodest, sed bona. *dicitur: Raptus est, ne malitia mutaret illius intellectũ, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio autem nugacitatis obscurat bona, & instantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia. Consummatus autẽ in breui, repleuit tẽpora longa: Placita enim erat Deo anima illius. Propter hoc properauit de media iniquitate illũ educere. His nẽpe verbis sancta scriptura nos docet in hoc*

Universidad de Deusto
Biblioteca

in hoc seculo Christianis fidelibus non vitam longam prodesse, sed bonam. Et ad cognoscendum quantum possibile est, cuiuslibet defuncti meritum non quantum vixerit, sed qualiter quisque vixerit intuendum. Sicut enim vita mala, quanto magis fuerit temporaliter prolongata, tanto magis delinquentibus multiplicat pœnam: sic vita bona, quamuis hic breui tempore terminata, magnam sempiternamq; conquirit bene viuentibus gloriam. Vita igitur mala immaturos acerboſq; senes demergit in Tartarum: Vita vero bona defunctos iuuenes maturos perducit ad regnum.

CAPVT V.

NON ergo sis tristis, quòd te ille præcesserit diebus paucis: sed esto solicita, & sic viam mortalis huius vitæ perage, vt ad æternam vitam valeas peruenire. Proinde Apostolici te oportet indesinenter memin:sse sermonis, quo ait: Mulier innupta & virgo solicita est quæ sunt domini: vt sit sancta & corpore, & spiritu. Innuptam hic viduam dicit, non quia omnino non nupserit, sed quia viro mortuo soluta fuerit vinculo nuptiali. De qua alio loco dicit, Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Hanc ergo sanctam iubet esse & corpore & spiritu. Quid autem aliud est, corpore & spiritu sanctam esse, nisi quod sanctum est, & in opere & in cogitatione seruare? Etenim quæ mundi sunt, illa cogitare permittitur, quæ corporali vincta connubio detinetur, eodem Apostolo dicente: Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mũdi, quomodo placeat viro. Illic est ergo mundanæ cogitationis subeunda necessitas, vbi mortalis caro morituro carnaliter nubit. Et quia illos ipsa carnis necessitas, durioribus vinculis tenet innexos: propter hoc de illis Apostolus dicit, Tribulationem autem carnis habebunt huiusmodi. Mulier ergo innu-

1.Cor.7. Vt sancta sit & corpore & spiritu vidua.

Roman.7.

1.Cor.7.

innupta, id est vidua, cui præcipitur vt sit sancta & corpore & spiritu, sicut corpore desiit marito seruire: sic non debet corde carnalia cogitare. Sancta quidẽ sunt Christianorum coniugia, quia & coniugalis ibi castitas custoditur in corpore, & puritas fidei seruatur in corde. Nam & Apostolica dicit auctoritas: Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Non est ergo cõnubium ex colluuione peccati, sed ex institutione Dei: & in eò quod sibi coniuges inuicem carnis debitum reddunt, in quantum id modestè faciunt, Christi præcepta custodiunt: quia nullatenus à coniugali charitate & castitate discedunt. Execratur autem adulterinos concubitus castitas cõiugalis, & honestatis verecundiæ tenax, ab vna vnus, & ab vno vna expetit, quod vterq; se vni tãtum legitime debere cognoscit. Illic equidem carnis debitum redditur viro. Coniugalis autem castitas magis debetur Christo quàm viro, quia & corpus tunc vere castum est, quod fornicatione carnali non polluitur, quando spiritalis integritas Christi timore ac dilectione seruatur.

Sancta christianorum coniugia. Hebr.13.

CAPVT VI.

ATtamen à muliere nupta mulier innupta & virgo non parua gradus dignitate discernitur: quandoquidẽ nupta cogitationibus mundanis tenetur obstricta: Mulier autẽ innupta & virgo carnalibus tribulationibus non subijcitur: quia carnalis matrimonij vinculo nõ tenetur. Vbi certior est corporalis atq; spiritalis continentiæ libertas, quia nulla est ex coniugali seruitute necessitas. Vtrunq; igitur donum Dei est, & coniugalis pudicitia, & continentia vidualis. Vnusquisque enim proprium habet donum ex Deo, & illud quidem, quantum in se est, laudabile, quia bonum: hoc autem laudabilius, quia melius. Coniugali namque seruitute turpitudo vincitur fornicationis: viduali verò libertate

Innupta in altiori gradu est quã nupta.

O cresci-

Universidad de Deusto
Biblioteca

crescit dignitas castitatis. Illic fides cõsulit infirmitati,
1.Cor.7.a *ne cadat in vitiũ: hic se fidelis animus ad virtutis extẽdit augmentũ. De cõiugatis enim dicitur: Propter fornications autẽ vnusquisq; suam vxorẽ habeat, & vnaquæq; suũ virũ habeat. De vidua vero dicitur: Beatior*
Ibidem. g *autẽ erit, si sic permãserit. Beata ergo, quæ illicitũ cõcubitũ turpitudinis horrore nõ appetit: sed beatior, quæ licitũ maiore puritatis amore contẽnit. Beata quæ alligata viro sic viuit, vt soli viro carnis suæ debitũ reddat: sed beatior, quæ soluta sic permanet innupta, ne debeat.*

CAPVT VII.

Consolatio viduæ. *PRoinde in eo quod ex coniugata facta es vidua, donum Dei auctũ tibi magis existima, non ablatum. Neq; enim te deseruit, qui tibi sequendam viam vitæ melioris ostendit. Gradibus te voluit dominus ad meliora conscendere, vt primitus coniugata cum vno viro fideliter viueres: quo postmodum sine difficultate absq; viro vidua permaneres. Ad hoc igitur animum tuũ diuina gratia coniugali castitate nutriuit, vt quæ didiceras, illo vno viuẽte, alterum nõ quærere: disceres ab omni viro vidua continere. Noli ergo negligere gratiã quæ in te est. Et tu enim nosti, quanto melius sit ingiter à concubitu continere, quàm vel pro coniugali necessitate concumbere. Maritus qui tibi datus fuerat ad tempus, discessit in tempore: datus enim tibi fuerat nõ ad patriæ beatitudinem, sed ad itineris consolationẽ. Alia quippe sunt Dei dona, quæ Deus ita suis largitur fidelibus in præsenti tempore, vt eorum vsum in hac tantum vita necessarius habeatur, quo futuræ vitæ meritum comparetur: Sicut est credulitas, rectam fidem tenens, & operatio iustitiam misericordiamq; custodiens, vt fides recta non deseratur charitatis auxilio, quæ in operatione*
Gal.5.b *cognoscitur: propter quod Apostolus eam fidem probat, quæ per dilectionem operatur.*

CAP.

CAPVT VIII.

Fides & operatio misericors in hac vita necessaria sunt, in patria non erunt. *REcta igitur fides & misericos operatio post hanc vitam desinent, cùm per speciem videbitur, quod nunc cùm creditur non videtur. Nec inter beatos erit aliquis miser, cui misericordia prærogetur. Hæc autem duo, id est, fides & operatio, ita post huius vitæ finẽ non sunt necessaria, vt ante finem non sint vllatenus deserenda. Quisquis enim ante finem vitæ præsentis à fide recta sine bona operatione discesserit: etiam si in his antea strenuè vigilanterq; cucurrerit, pro eo quod ab itinere recto desistit, perdit meritum totius itineris quod cucurrit. Item sunt alia quæ sic hominibus in hoc tempore pietas diuina largitur, vt non solum in hac vita cum hominibus debeant continua, verum etiã crescant in retributione diuina: sicut est peccatorum mundatio, veritatis agnitio, Dei proximiq; dilectio. Hæc enim si quis in hoc tempore perseueranter in se custodierit, & diuino munere proficiendo augere curauerit inchoata: in futuro habebit æterna secũ perfectione mãsura. Tunc enim perfecta mundatio perfectam cognitionem veritatis accipiet, & perfecta cognitio nihil in nobis perfectæ charitati deesse permittet.*

CAPVT IX.

Aliqua temporaliter & dantur & auferuntur à Deo. *ALia vero sunt, quæ sic à Deo temporaliter donantur, vt temporaliter auferantur: sicut est copulatio coniugum, procreatio filiorum, abundantia diuitiarum, incolumitas corporum, & si qua similia, quæ per se nec miseros homines possunt facere nec beatos. Ideo hæc & bonis & malis à Domino dantur, & nonnunquam bonis maliſq; diuinitus auferuntur. Beatus fuit Iob, cùm in diuitijs iustè viueret: sed beatior, cùm in paupertate iustior extitisset. Beatus fuit cum decem circũdaretur filijs: sed beatior, cùm vna cunctorum simul orbitate*
Exẽplũ Iob

percussus, in Dei dilectione permãsit immobilis. Beatus etiam fuit in corporis sospitate, sed beatior est factus in vulnere. Beatior etiã in aceruo squaloribus pleno, quàm in palatio marmoribus adornato. Attẽde etiam duos, vnum in diuitys & sanitate miserum: alterũ in egestate & vulnere multum beatum. Diues ille qui induebatur purpura & byſſo, et epulabatur quotidie splẽdidè, quàm inanis fuit in illis epulis, quàm pauper in multitudine diuitiarũ, quàm nudus in pulchritudine vestium, quàm infirmus in sanitate corporis, quàm famelicus in saturitate ventris, quàm miser in gaudijs, quàm desolatus inter amicorum colloquia, quàm deiectus inter obsequia seruulorum. Attende quoq; Lazarum in paupertate, diuitem: in miseria, beatum: in infœlicitate, fœlicem: in vulneribus, sanum: & quidem sine domo, sed non sine domino: sine veste, sed non sine fide: sine bona valetudine corporis, sed non sine robore charitatis: sine cibo, sed non sine Christo: canibus expositum, sed socium angelorum: qui non accipiebat de micis quæ cadebant de mensa diuitis, sed cælestem panem visceribus ructabat internis.

Luc. 16. e Diues & Lazarus, hic beatus, ille miser.

CAPVT X.

Bona temporalia & bene & male habentur pariter & contẽnũtur

HÆc sunt igitur quæ nonnunquam bene habentur, nonnunquam male: nonnunquam bene contemnuntur, nonnunquam male. Bene quippe habentur, cùm in eorum vsu timor Dei seruatur. Bene autem contemnuntur, cùm in eorum contemptu à summo Deo gloria, non ab hominibus quæritur. Tales sunt etiam nuptiæ, quæ & bene suscipi possunt, & bene contẽni. Quàm bene nuptiarum opus in castitate coniugali Susanna seruauit? quàm melius in continentia viduali Iudith atque Anna contempsit? quàm optime in integritate virginali Maria instituit? Non est igitur inter præcipua Dei dona coniugium æstimandum, licet non negetur

tur donum esse diuinum. Nec est dicendum, beatitudinis munus, quod cum bono possit proposito teneri, potest etiam proposito meliore contemni. Nam si hoc inter præcipua Dei dona æstimari oporteret, nõ ore Saluatoris nostri laudarentur, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cælorum: nec pro se patrem, matrem, fratres, sorores, vxorem, filios, agros, relinqui Saluator ipse cum centupla retributionis & vitæ æternæ promissione iussisset, dicens: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum: centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Hoc autem dicens Christus, non diuortium fieri iussit, sed iusta discretione, quamuis Dei munera, tamen temporalia æternis, caduca permanentibus, parua magnis, à suis fidelibus postponenda monstrauit. Non damnat bona, sed meliora plus laudat. Illa non odit, sed ista plus diligit. Illorum enim siue adeptio, siue amissio, non est retributio fidei, sed probatio. Matt. 19. d

CAPVT XI.

FIdes autem nostra non temporalibus, sed æternis esse debet intenta. Propter quod Vas electionis ad tolerantiam nos præsentis tribulationis exhortans, præcipit, vt à contẽplatione temporaliũ rerum cordis nostri penitus auertamus obtutum, dicẽs: Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur nobis: non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. Ambula igitur, sicut scriptum est, de virtute in virtutem, & animus tuus ab intentione temporalium ad contemplationem transeat æternorum. Transiensq; à virtute coniu- 2. Cor. 4. Nostra cura non temporalibus sed æternis debet intendere. Psal 83.

galis pudicitiæ ad potiorem virtutem continẽtiæ vidualis non minore continentia cordis * prædicata debes esse, quàm corporis: & post obitum temporalis mariti, omnes in corde tuo reliquiæ debent mundanæ cogitationis extingui. Cur enim vidua Christiana gerat animum vinculo cuiusquam mundanæ cogitationis innexum: quæ mortuo viro mundum debet æstimare commortuum? Caussa igitur mundanæ cogitationis desistente, debet ipsa quoque cogitatio mundana cessare. Et sicut anteà corporaliter ornabaris viro, qui delectaretur specie corporis: Ita nunc spiritaliter ornanda es Christo, qui solam in te quærit pulchritudinem mentis. Attende quid beatus Petrus etiam coniugatis mulieribus mandet, quibus exterioris habitus interdicit ornatum, hæc loquens: Mulieres subditæ sint viris suis: vt si qui non credunt verbo Dei, per vxorum suarum conuersationem sine verbo lucrificentur, considerantes vestram in timore castam conuersationem, quarum non sit extrinsecus capillorum implicatio, aut auri circumpositio, aut in habitu vestimentorum ornatus: sed ille absconditus cordis homo in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est ante Deum locuples. Hoc præceptum beatus Apostolus sanctarum mulierum firmauit exemplo, dicens: Sic enim & aliquando mulieres sanctæ, quæ sperabant in Deum, ornabant se, subiectæ viris suis.

* Prædita

Vidua quæ prius viro, nunc ornetur Christo

1. Petri 3.

CAPVT XII.

Sanctæ mulieres non monilibus sed moribus sint ornatæ.

SI ergo sanctæ mulieres etiam coniugatæ non sunt monilibus comendæ, sed moribus, & eo magis humilitate debent ornari quàm veste: qualis debet esse vidua habitus & incessus, quæ non homini viro cupit placere, sed Christo? quæ necessitate corporalis absoluta connuby, spiritalia tantum debet ornamenta sectari? Habitus ergo tuus talis sit, qui non ad lasciuiam excitet, sed

sed ad continentiam prouocet: qui non illiciat ad libidinem, sed comprimat ad timorem: qui non accendat carnis concupiscentiam, sed extinguat: qui non illicet ad concubitum, sed excitet ad profectum: ex quo cordis compunctio, non carnis libido nascatur, vnde filio Dei placeas, vnde te vere castam obtutui sponsi cælestis ostendas. Ille etenim sponsus carnem tuam maceratam vult videre, non nitidam. Animæ connubio vtitur, nec carnis, sed animæ pulchritudine delectatur. Quocirca castigatione corporis acquire pulchritudinem cordis. Vilibus caro tegatur operimentis, & pretiosis anima vestibus induatur. Nec quæras vt placeas oculis hominũ, sed vt Christi non offendas aspectum. Ille in te quod diligit videat, quod dedit inueniat, quo delectatur agnoscat. Concupiuit enim rex speciem tuam, sed omnis gloria filiæ regis intrinsecus. Transijt tempus amplectendi, nunc tempus est longè fieri ab amplexu. Adhæreant viris quæ coniugali vinculo tenentur astrictæ: tibi dicendum est cum propheta, Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Deo spem meam. Vnde & Apostolus ait, Quæ autem verè vidua est & desolata, speranuit in Domino, & instat obsecrationibus & orationibus nocte & die. Oratio ergo tibi sit in postulatione crebra, in sancta vero cogitatione atque operatione continua. Sic enim poteris implere quod Apostolus iubet, vt sine intermissione oremus. Oratio namque est in conspectu Dei omne opus bonum, quo delectatur nihil indigens Deus. Et vt agnoscamus bona opera locum orationis apud Deum habere, scriptura nos sancta sic admonet: Absconde eleemosynam in corde pauperis, & ipsa exorabit pro te.

Psal. 44. Officium viduæ adhærere deo, instare orationibus. Psalm. 72. 1. Tim. 5. 1. Thes. 5. Eccles. 29.

CAPVT XIII.

Qualiter in cibo & cõuiuijs se gerat vidua.

CAue ne carnis curam in desiderijs facias: ne semper gulæ quod poscit indulgeas. Refectione tua non

Universidad de Deusto
Biblioteca

voluptas expleatur, sed sustentetur infirmitas. Tales autem conuiuij debes habere participes, quæ non carnis solent delitias laudare, sed cordis: quæ angelorum panem interioris hominis auiditate perquirunt, quæ post sponsum tuum in odore vnguentorum eius currunt, quæ suauitate Deum gustus interioris percipiunt, quæ puro affectu esuriunt, sitiuntq; iustitiam, quæ operantur cibum, nõ qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Cum talibus & colloquia tibi conferenda, & frequentanda conuiuia: vt cùm eas cibis corporalibus pascis, ad meritũ tibi sanctæ operationis accedat. Et cùm earum verbis spiritalibus pasceris, profectus tibi sanctæ cõuersationis accrescat. Nec velis talibus nunc mẽsam tuam replere delitijs, qualibus eam replebas, quando carnali connubio seruiebas. Audi Magistrum gentium, quid de vidua dicat: Quæ in delitijs est, inquit, viuens, mortua est.

CAPVT XIIII.

1. Tim. 5. a Exempla viduarum Iudith & Annæ.

HAbes & in veteri & in nouo testamento sanctarum viduarum, quibus ædificeris, exempla. In veteri Testamento Iudith, Anna consideretur in nouo: quarum si domino adiuuante imitatrix fueris, & delitias carnis, & iactantiam secularem, vera cordis humilitate calcabis, vt illius in te sponsi semper viuat affectus, qui semper est viuus, sicut eodem resurgente vocis angelicæ attestatione firmatur, cùm mulieribus dicitur, Quid quæritis viuentem cum mortuis? De quo etiam Apostolica sic autoritas loquitur: Viuus est enim sermo Dei & efficax. Viuus est ergo ille qui est verbum patris, & ideo ipse est fidelium vita. Hunc sanctæ viduæ cordis contritione, & corporis castigatione quæsierunt: Huic cordis & corporis plena continentia deuotissime seruierunt. De Iudith enim scriptum est: Et erat Iudith in domo sua vidua annis tribus & mensibus

Luc. 24. Heb. 4.

Iudith 8. Laudes Iudith.

mensibus quatuor, & fecit sibi tabernaculum super solarium domus suæ, & imposuit super lumbos suos cilicium, & erant super eam vestimenta viduitatis suæ, & ieiunabat Iudith omnibus diebus viduitatis suæ. Ac ne quis illam sanctam viduam non deuotione cordis, sed necessitate paupertatis existimet ieiunasse, audi quid de ea in subsequentibus dicitur: Et erat Iudith bona aspectu, & formosa facie valde, & prudens corde, & bona in intellectu, & erat honesta valde. Quia reliquerat ei Manasses vir eius, filius Achitob, filij Melchiæ, filij Heliab, filij Nathahel, filij Surisada, filij Simeon, filij Israel, aurum & argentum, seruos & ancillas, & pecora, & prædia. Ecce vidua præclara natalibus, facultatibus diues, ætate iuuenis, specie mirabilis, diuitias contempsit, delitias respuit, carnis incentiua calcauit, & induta virtute ex alto non quæsiuit secundo famulari connubio. Propterea testimonio tam præclari operis apparuit, quantum Deo dilecta sit continentia vidualis. Deniq; cum Holofernes innumero Bethuliam obsedisset exercitu, & omnis Israelitarũ virtus perturbata langueſceret: egreditur castitas, oppugnatura lasciuiam, & ad interitum superbiæ, humilitas sancta procedit. Ille pugnabat armis, ista ieiunijs. Ille ebrietate, ista oratione. Igitur quod omnis Israelitarum populus facere non potuit, sancta vidua castitatis virtute perfecit. Obtruncauit vna mulier tanti agminis ducem, & insperatam Dei populo reddidit libertatem.

Ibidem.

Gloria Iudith de Holoferne occiso.

CAPVT XV.

VIdeamus & in nouo Testamento, qualiter nobis sanctæ Annæ conuersatio demonstretur. De qua sanctus Lucas sic refert, Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel de tribu Aser: & hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virgi-

Laudes Annæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Luc.2.e

nitate sua. Et hæc vidua vsque ad annos octuaginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte & die. Istæ duæ viduæ, licet tempore fuerint diuerso, vnius tamen fidei seruierunt ambæ mysterio: quia Christum quem Anna cognouit in carne natum, ipsum Iudith nouerat nasciturum. Quàm vero multum Deus in vtraque vidua continentiam sibi placitam demonstrauit. Nam Iudith spiritalibus armis accincta, caput lasciui prædonis abscidit: Anna verò ipsum caput Ecclesiæ Spiritu sancto repleta cognouit. Datus est Iudith Holofernis interitus, Annæ reuelatus est Saluatoris aduentus. Illi Deus dedit à populo repellere pestilentiam: huic tribuit humani generis agnoscere medicinam. Et quia sanctimoniam virginalem vidualis continentia, gradu inferiore subsequitur: idcirco postquam de virgine natus est filius Dei, vidualis linguæ dignatus est officio prædicari. Nec tamen de illo loquuta est vidua, delitijs dedita, (quæ viuens mortua) sed quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die. De quibus ieiunijs & obsecrationibus non est nunc latius disserendi locus.

Compara. tio Iudith & Annæ.

CAPVT XVI.

Laudes Probæ quę erat soror Gallę

DIsponimus enim si Dominus voluerit, & si vixerimus, ad sororem tuam sanctam Christi virginem Probam, quam Dominus hoc tẽpore præcipuum in vrbe Roma dare dignatus est virginitatis & humilitatis exemplar, de ieiunio & oratione aliquid scribere: sicut in Epistola quam ad eam nuper dedi, mea pollicitatio continetur. Cuius tibi præcipue sancta conuersatio est in omnibus imitanda. Quæ cùm sit auis atauisque nata Consulibus, & delitijs regalibus enutrita: tanta illi est humilitas dono gratiæ cælestis infusa, vt amore subiectionis et vsu seruiendi, dominã se aliquando fuisse iam nesciat,

nesciat: cùm omnes dominos habere delectatione sanctæ seruitutis affectat. Scit enim à Domino (cui virginitatem vouit & cordis & corporis) pro liberatione nostra humilitatem formæ seruilis acceptam. Et ob hoc delectatur sponso in huius seruitutis humilitate placere, vt consortio quinque sapientum virginum deputata, cum sponso possit in æterna claritate regnare. Delitias vero corporis quanta virtute contempserit, & quomodo suam famem satiandis faciat deseruire pauperibus: nec ob aliud ipsa vilibus tegatur indumentis, nisi vt & humilitatis propositum impleat, & vestiendis pauperibus iugem curam sanctæ pietatis impendat: plenius ipsa videndo cognoscis, quàm id à me velis audire, quod minus possum sermonibus explicare. Hanc ergo tibi tanquam speculum pone, & ex ipsius consideratione, quid tibi iam insit, vel quid adhuc desit sanctorum studiorum operumq; cognosce. Et licet illa egregio præcellat virginitatis munere, comitem te debet in cæteris habere virtutibus. Disce igitur tu quoque nihil tibi de nobilitate generis assignare. Et licet auo, patre, socero, marito Consulibus pridem fueris inter seculares illustris: nunc in eo te illustrem fieri cognosce, in quo tibi virtus humilitatis accrescit. Disce à Domino, quia mitis & humilis corde, & inuenies requiem animæ tuæ. Nobilitatem carnis, quæ superbiæ fomes est, abijce: & nobilitatem spiritus, perfecta cordis humilitate sectare. Orationibus operam da, ieiunijs insta: & quicquid tuis apparatibus subtrahis, esurientibus tribue. Et quicquid tibi deducis, egenis expende. Voluntarium ieiunium tuum, esuriem subleuet ieiunantum: vt in fructu misericordiæ tuorum possit ieiuniorum fœcunditas apparere. Prosit etiam tibi vilitas vestium, & pauperum per te nuditas vestiatur. Tunc enim vtiliter fugies noxium pretiosæ vestis ornatum, si nudos vestias, vt verè consortem te paupe-

Gallæ nobilitas.

Matt.11.d

Distribuendum pauperibus.

pauperum Christi, non inanitate verborum, nec ostentatione fallaci, sed testimonio sanctæ operationis edoceas.

CAPVT XVII.

Fugienda iactantia in operibus bonis.

NEc te illis, quos pascis aut vestis, superiorẽ credas: aut pro eo quod tu tribuis & illi accipiũt, merita tua Christi pauperibus anteponas: tanquã tu ideo potior sis, quòd plura contẽpseris. Frustra enim contemnis facultates tuas, si noxias iactantiæ teneas in corde diuitias. Non enim illi soli peccant, qui pro diuitijs quas habent aliquã gestant in corde iactantiã: imò grauius delinquunt, qui volunt iactantiã cordis de diuitijs habere contemptis, aut qui se propterea volunt pauperibus præponere, eo quòd plura videantur pauperibus erogare. Non autem idem ordo est apud Deum, qui non quantitatem contemptæ facultatis, sed qualitatem voluntatis attendit. Plures diuitias pauperibus pro Christo dicitur expendisse Zachæus, pro quo vilissima piscatoriæ artis instrumenta Petrus reliquit Apostolus: & tamen à Christo non Zachæus diues pauperi Petro, sed pauper Petrus diuiti Zachæo præponitur: vt diuitibus Christi nulla de contemptis diuitijs iactantia nasceretur.

CAPVT XVIII.

Non thesaurizandum in terra, sed in cælo.

ABsit autem vt aliquid tibi thesaurizes in terra, in qua nõ es carnis filios relictura: cùm etiam illi qui ex carne filios habent, non sine peccato thesaurizare sibi delectentur in seculo. Cunctos enim fideles vno Saluator noster dignatur admonere sermone, dicens: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi erugo & tinea exterminat, & vbi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis in cælo, vbi neque erugo, neq; tinea exterminat, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Multum metuenda est illa increpatio Domini, quam

quam stultus diues illico moriturus audiuit: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti cuius erũt? Omnes ergo diuitias tuas ad Christum præmitte, in cælo tibi thesaurum reconde, quem perdere non possis, & in æternum valeas possidere. Matth. 6. Luc. 12.

CAPVT XIX.

Fugienda laus hominum.

IN omnibus autem operibus bonis, caue ne laudis humanæ desiderio ventileris: laudari quippe in bonis operibus debes, sed in eo quod operaris, hominum laudes expectare nõ debes. Laudet te quidem humana lingua, sed tu laudem à solo Deo desidera. Atque ita fiet, vt dum tu laudem ab hominibus non quæsieris, Deus laudetur in operibus tuis. Memento qualiter nobis Dominus interdicat, ne iustitiam nostram laudis humanæ faciamus obtentu, dicens: Attendite, ne faciatis iustitiam vestram coram hominibus, vt videamini ab eis. Alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrũ, qui in cælis est. Veruntamen ipse rursus ait, Luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes vestra bona opera, glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Cùm ergo dicit vt attendamus, ne faciamus iustitiam nostram coram hominibus, vt videamur ab eis: & iterum, iubet, vt lux nostra luceat coram hominibus, nunquid contraria præcepit? Absit: sed sic iubet opera bona fieri, vt non nosipsos, sed Deũ, velimus in nostra operatione laudari. Nam & Apostolus in suis operibus gloriam humanã vitabat, sed diuinam gloriam quærebat. Propter quod dicit Thessalonicensibus scribens: Neq; enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs. Et tamẽ idem in suæ conuersationis auditu Deum ab ecclesijs glorificatum, cum exultatione sic memorat: Eram aliquando

Matth. 6. Matth. 5. Luceat lux vestra coram hominibus vt videant. &c. 1. Thes. 2.

quando ignotus facie ecclesijs Iudææ, quæ erãt in Christo: Tantum autem auditum habebant, quia qui persequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem, quã aliquando expugnabat, & in me glorificabant Deum. Proinde manus quidem ab opere bono non desinat, nec tamen animus ita operetur, vt merces boni operis humanæ laudis intentione cassetur. Apostolus enim, sicut ipse testatur, vult vt simus sinceri & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiæ, per Iesum Christum, in gloriam & laudem Dei.

Gal. 1. d

Philip. 1.

CAPVT XX.

Bonum opus nõ virtuti propriç, sed gratiæ Dei attribuẽdum Philip. 2.

IN studio ergo bonorum operum & laudis humanæ contemptu, cauc ne bonum quod facis, nõ gratiæ Dei, sed tuæ velis assignare virtuti: Imò firmiter tene, nullam tibi facultatem inesse posse bonæ volũtatis aut operis, nisi id gratuito munere diuinæ miserationis acceperis. Scito ergo Deum in te operari & velle & perficere pro bona voluntate. Proinde cum timore & tremore tuam salutem operare. Humiliare in conspectu domini, vt exaltet te. Ab illo posce bonæ voluntatis exordium, ab ipso postula bonæ operationis effectum, ab ipso perseuerantiæ donum pete. Nec aliquando te putes, illius adiutorio desistente, aliquid posse boni velle seu facere. Illum roga, vt auertat oculos tuos ne videant vanitatem. Ipsum postula, vt demonstret tibi viam in qua ambules. Ipsum obsecra, vt gressus tuos dirigat secundum verbum suum, & nõ dominetur tibi omnis iniquitas. Illum ora, vt opera manuum tuarum dirigat super te. Viriliter ergo age, & confortetur cor tuum. Iacta in Deum cogitationem tuam, & ipse te enutriet.

CAPVT XXI.

Nec diffidẽdũ de Dei auxilio.

NEc quia dixi, nihil te debere propriæ assignare virtuti: ideo tibi est de diuina virtute ac pietate, in aliquo

aliquo diffidendum. Fidelis est enim Deus in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Nec tibi auxilium denegat in hoc seculo, nec præmium subtrahet in futuro. Qui tibi demonstrauit rectam viam, ipse tibi est deductor ad patriam. Spera ergo in domino, & fac bonitatem: nec te putes posse deficere, si te ille dignatus fuerit custodire. Scriptum est enim, Quis speranit in domino, & confusus est? Aut quis permansit in mandatis eius, & derelictus est? Aut quis inuocauit, & despexit illum? Ne igitur amittas confidentiam tuam, quæ magnam habet remunerationem. Esto stabilis & immobilis, sciens quod labor tuus non erit inanis in domino. Potiora semper appete, & animum tuum ad incrementa virtutis extende. Nunquam cesses à diuinis eloquijs, & totam delectationem cordis tui scripturis sanctis indulge. Non tenearis nexibus humanæ delectationis: & de diabolo prosperè triumphabis. Et vt sanctæ scripturæ testimonio atque admonitione præsens tibi terminetur epistola, cunctis quæ superius dicta sunt hoc quoque subnectam: In mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris. Quanto magis magna es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Dominus te in via virtutis suæ dirigat, & adregni cælestis promissa perducat, Domina illustris filia.

Psal. 144.

Eccles. 2.

Hebr. 10.

Delectandum in scripturis sanctis.

Eccles. 3.

Ibidem.

B. FVL-

B. FVLGENTII EPISTOLA TERTIA, AD PROBAM, DE VIRginitate simul atque humilitate.

CAPVT I.

Congratulatio de spirituali vitæ instituto.

SPIRITALI desiderio atque instituto tuo, Sancta famula Dei Proba, quãtum congratuler atque congaudeam, vellem competenter verbis exprimere: si pari modo cogitationem loquutio posset æquare. Neque enim parui proposiți debet indicium æstimari, quod cùm te constet (illo in te operante, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum) spiritalibus virtutibus præditam: arbitraris te tanquam expertem de virtutibus admonendam. Hoc itaque studium, quo me sancto fratre nostro, Tuto scilicet, Dei seruo scriptis frequentibus insistente, vehementer instigas, vt tibi exhibeam sermonem de Virginitate atque Humilitate aliquid continentem, in Deo, in quo laudanda est anima tua, multum laudo: sed quantũ laudare debeo, laudare non valeo. Et quantum me huic desiderio digne laudando imparem cerno: tanto magis in te Deum, seu dura negatione, siue diuturna dilatione, offendere timeo. Quippe Christus offenditur, si quando debita seruitus membris ipsius denegatur: Cùm non ob aliud ipse voluerit male quondam liberos à peccati seruitio liberare, nisi vt nos doceret nos inuicem libera charitate seruire. Quos enim compressos inuenit iugo seruilis ac pessimæ libertatis, sublenauit dono liberalis atque optimæ seruitutis. Illius denique noxiæ libertatis, in qua magis libet peccato seruire quã Deo, Apostolico nobis intimatam tenemus sermone lætitiam. Dicit namque: Cùm enim serui essetis peccati, liberi

Iac. 1.

Seruitutis bona, Christo: Noxia libertas, peccato.

Rom. 6.

fuistis iustitiæ. Et adiciens ait: Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Illam quoque seruitutem, quam liberati accepimus, vt liberatori Deo liberaliter seruiremus, in subsequentibus eiusdem doctrinæ sermonibus inuenimus, cùm dicit: Nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam. Ecce quo ducit ac perducit hæc sancta seruitus, in qua veræ libertatis est munus: ad vitam scilicet æternam, in qua semper viuitur, sempérque regnatur: In qua nemo tamen hominum viuet, nisi qui mortificatur huic mundo: In qua nemo regnabit, nisi qui humilis perseuerat in Deo. Illa namque vita huic mortificationi promittitur, & illa celsitudo huic humilitati seruatur. Ipsi humilitati, quam scilicet efficaciter sectaris, & in qua sanctam virginitatem, Deo custodiente, custodis, me quoque deuotè libenterq; seruire compellis.

Ibidem.

CAPVT II.

Seruire inuicé debent membra Christi per charitatem.

ET ego quidem, sancta Filia, in quantum me charitas Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis, tam delectabiliter quàm liberaliter seruire Christi membris instigat, volo quod iniunxisti competenter implere: sciens illum verè Christo seruire, qui per illam charitatem Christi membris seruit, per quam vt eiusdem Christi membrum fieret, prior pro eo Christus ipse seruiuit. Propter quod Apostolus, vt ad libertatem perueniamus æternam, seruitutem liberam inuicem Christi membris imperat exhibendam, dicens: Vos enim in libertatem vocati estis fratres: tantum ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per charitatem seruite inuicem. Quanto magis igitur reddere, quod exigis, huius seruitutis

Gal. 5. b

Copula virginitatis cũ humilitate maxima virtus.

uitutis præcepto compellor, tanto magis virium mearum consideratione deterreor. Est enim talis vtriusque virtutis copula, de qua mihi est aliquid, in quantum Deus donauerit, disputandum, vt in præsenti vita ipsa sit omnium perfectio culménque virtutum: quia nec in corpore est aliquid integritate melius, nec in anima est aliquid fideli humilitate sublimius. Est mihi tamen confidentia diuinæ opitulationis, in eo quod adiuuor orationibus vestris. Ob hoc enim Deus sancti desiderij feruorem filijs filiabúsque suis inspirat: vt cùm à conseruis suis spiritale debitum flagitant, ipsi quoque pro eis orare Dominum non quiescant: atque ita mutuæ charitatis officio sic debitum, quod sibi debetur, exigant, vt debitoribus quod exigunt reddant.

Debitũ mutuæ charitatis & orationis.

Nemo est enim fidelium, qui sic sibi charitatem flagitet reddi, vt ipse non illam suo debeat reddere debitori. Quæ licet in diuersis donationibus, secundum gratiam quæ data est nobis, differentibus, diuerso reddi videatur effectu, in adiutorio tamen mutuæ orationis omnes facit vnius debiti participes, in qua facit singulos omnibus debitores. Vide, qualiter ille, qui se debitorem sapientibus & insipientibus profitetur, debitum orationis & cunctis reddat, & ab omnibus exigat.

Rom.1.b

Romanis ait, reddens hoc debitum: Testis enim mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo, in Euangelio filij eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Sed huius debiti, cuius est deuotus redditor, vide quàm sit auarus exactor.

Rom.15.f

Iisdem denuo ait: Obsecro igitur vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem spiritus, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Dominum:

CAP.

CAPVT III.

Sufficientia nostra ex Deo est. Philip.2.

IN hoc debito quod exigitis à nobis & redditis nobis, adiuuari me non dubito: vt Deus, qui operatur in suis & velle & perficere, pro bona voluntate, ipse donet quod dignè cogitem, dignè dicam. In bonis enim cogitationibus non sumus idonei cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et ob hoc non deficimus indigentia, quia gratuito munere ab illo sufficientia nostra est, in quo indigentia vlla non est.

2.Cor.3.

Qui sicut bonorum nostrorum non eget, sic semper abũdat vt donet. Nec donando fit indigus, quia hoc donat quo semper est plenus. Nec est quod illi à nobis afferatur cogitationis, sermonis aut operis placitum munus, quod ipse non fuerit gratuita benignitate largitus. Idcirco autem gratuita semper est Dei sancta largitio,

A Deo velle & perficere.

quia humanorum meritorum nulla vnquam præcedit exactio. Quia etsi quod est bonum cuiuslibet hominis meritum, ab ipso est vtique, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum. Quod nec habere potest homo, nisi ab ipso fuerit datum: nec perseueranter habere, nisi fuerit ipso custode seruatum. Ab ipso igitur posco reddi huius debiti facultatem, à quo reddendi voluntatem accepi. Neque enim vel reddere aliquatenus vellem, nisi misericors ipse donaret vt vellem. Si quid itaque in hoc opere dixero quod placeat & sufficiat: vel si non sufficiat, saltem placeat sancto desiderio tuo, non est meæ indigentiæ, sed diuinæ sufficientiæ. Si quid vero forsitan ita dixero, vt nec sufficere tuo sancto possit desiderio, nec placere: non est sufficientia diuina, sed indigentia mea. Proinde Christiana charitas vtrobique operis sui partes exhibeat: vt & sufficientiam Dei humiliter agnoscat, & indigentiæ seruili patienter ignoscat.

Iacob.1.

Modestia auctoris.

CAPVT IIII.

Virginis filius virginitatis author & sponsus.

VIrginem sacram te sibi munere gratuito fecit, qui omnia quæcunq; voluit fecit: à quo ideo gratia nullis præcedẽtibus meritis datur, vt illi semper gratiarum actio pura cordis humilitate reddatur. Hic est autem vnigenitus Dei filius, vnigenitus etiam virginis filius, vnus omnium sacrarum virginum spõsus, sanctæ virginitatis fructus, decus & munus, quem corporaliter sancta virginitas peperit, cui spiritaliter sancta virginitas nubit, à quo sancta virginitas fœcundatur, vt perseueret intacta: à quo decoratur, vt permaneat pulchra: à quo coronatur, vt regnet perenniter gloriosa. Quapropter bonum depositum custodi, & meritum tanti boni, quod vt haberes Deus dedit, & vt Deo voueres, ipse fecit. Ex nominis ipsius significatione perpende, Tam magnum quippe Deus voluit esse bonum virginitatis, vt illud non aliunde, sed ex vocabulo dignaretur nominare virtutis. Virginis itaque si quis velit diligenter considerare vocabulum, ex virtutis inueniet nomine deriuatum. Virgo enim dicitur, quasi virago. Viraginem vero scriptura sancta non ob aliud vocatam dicit, nisi quia de viro sumpta est. Hoc autem à S. Hieronymo, secundum Hebraicam proprietatem libri Geneseos docet expressa translatio, in qua sic habetur, Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumq; obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adã. Dixitq; Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.

Virgo quasi virago.

Genes. 2.

Virago à viro, vir à virtute dicitur

CAPVT V.

ITaque cùm virginis nomen ex nomine viri descenderit, quis dubitet quòd vir à virtute vocatus sit? Et quia

Et quia sicut Paulus docet, illa omnia in figura facta sunt nostri, profecto in illa virgine quæ ex viri fiebat costa, futura iam tũc præfigurabatur Ecclesia, quæ vere de viro sumpta, & de quo sumpta illi coniuncta, inde habet in veritate virtutem, vnde habet verum viraginis nomen. Propter quod hanc viraginem, id est, virginem, quæ de viro sumpta est, non solum virginis, sed etiam viri nomine Paulus, non dubitat appellare, ait enim fidelibus: Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Christus est quippe vir de quo hæc virgo sumpta est. Ipsis denuo fidelibus Apostolus dicit: Donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Per sanctum quoque Dauid tam viris, quàm mulieribus in commune spiritalis huiuscemodi promulgatur hortatio: Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. Typicè itaque à viro dicitur Virginis vocabulum, quia nomẽ à Christo dicitur Christianum. Christus enim Dei virtus est & Dei sapientia, ex quo est Ecclesia, quæ virgo in fide & charitate persistẽs, & sapientiam possidet & virtutem. Ideo nec seductione decipitur, nec violentia vincitur: quia interna virginitatis integritate fulcitur. Huic virgini Esaias dicit: Quoniã complacuit domino in te, & terra tua inhabitabitur. Habitabit enim iuuenis cum Virgine, & habitabunt in te filij tui. Et vt ostẽderet non alium esse iuuenem quàm sponsum, nec aliam esse virginem quàm sponsam, sponsum autem & sponsam Christum & Ecclesiam, sequutus adiunxit: Et gaudebit sponsus super sponsam: Et gaudebit super te Deus tuus. Hæc virgo mater est, cui dicitur: Habitabunt in te filij tui. Et hæc mater virgo est, de qua dicitur: Habitabit enim iuuenis cum virgine. Hæc virgo sponsa est, de qua dicitur: Et gaudebit super spõsam

Ecclesia & virgo & vir ab apostolo dicitur. 2. Cor. 11. Ephes. 4.

Psal. 26. & 30.

A Christo Christiana ecclesia, sicut à viro virgo dicitur.

Esaiæ 62.

Ecclesia sancta dicitur mater, virgo & sponsa

suam. Hæc igitur Ecclesia una & vera Catholica, spõsa est: quia inhæret Christo. Mater est, quia fœcũdatur à Christo. Virgo est, quia incorrupta perseuerat in Christo. Huius sponsæ nec fœcunditate virginitas corrumpitur, nec virginitate fœcũditas impeditur. Tale namque istius est viri virginisq; connubiũ, vt idcirco ab hoc viro fœcundetur hæc virgo, quia in hoc connubio nulla vnquam potest esse corruptio: Et tanta in hac matre virginitatis perseuerat integritas, vt nisi virgo semper esset, mater esse non posset. Istius matris ac virginis

Ibidem.

nomen nouum ita pronuntiat Esaias: Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os domini nominauit. Ergo quia Christus virtus est, sicut Ecclesia vocabulum virginis à virtute sumpsit, sic à Christo Christianum nomen accepit.

CAPVT VI.

Maior gratia donationis in virginibus quã in alijs.

Quæ cum in diuersis membris suis habeat donationes secundum gratiam quæ data est ei differentes, maiorem tamẽ gratiam donationis in illis membris accepit, in quibus ita spiritaliter virgo dicitur, vt etiã corporeæ virginitatis integritate potiatur. Nam in cæteris fidelibus membris, quæ in Deum secundum fidei catholicæ regulam recte credunt, & pudicitiam coniugalem vidualémve custodiunt, quæ scilicet nec actualis sunt fornicationis colluuione respersa, & ab omni stupro manent infidelitatis immunia, spiritali tantum virginitate potitur Ecclesia: In his verò membris in quibus sic fidem custodit rectam, vt etiam carnẽ ab omni concubitu reseruet intactã, quanto pleniorem habet virginitatem, tanto plenius & perfectius eiusdem virginitatis possidet nomen. In illa quippe nihil minus habet ad

1. Cor. 15.

vitam: in hac autem amplius aliquid acquirit ad gloriam. Quia sicut Paulus ait, Alia est gloria solis, & alia gloria lunæ, & alia gloria stellarum, stella enim à stella

stella differt in gloria: sic & resurrectio mortuorũ. Denique sub spadonum nomine, quos etiam in euangelio propter regnum cælorum seipsos castrasse Saluator affirmat, meliorem locum in domo sua, & in muro suo dominus per Esaiã virginibus repromittit. Sic enim scriptum est, Hæc dicit dominus spadonibus: Quicunq; custodierint præcepta mea, & elegerint quæ ego volo, & amplectuntur testamentum meum, dabo illis in domo mea & in muro meo locum nominatum meliorem filiorum & filiarũ, nomen electum dabo illis, & nõ deficiet.

Matth. 19. Spadonibus melior locus in muro promittitur. Esaiæ 56.

In Apocalypsi quoque S. Ioannis, Illi sunt qui sequuntur agnum quocunque ierit, qui virgines permanserũt.

Apocal. 14.

CAPVT VII.

Claret itaque inter cæteras Ecclesiæ donationes, illius præcipuum munus spiritalis esse charismatis, vbi virtus ipsa integritatis perfecto meretur vocabulo censeri virtutis. Quamuis enim sit prophetia secũdum rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine: hæc dona diuersa proprijs inueniuntur appellari nominibus: Integritas autem carnis Deo fideliter consecrata, & in cordis virginitate, Deo iuuante & protegente, seruata, idcirco proprie virginitas dicitur, vt ibi perfectio veræ virtutis inesse monstretur. Melior est igitur cæteris actualibus donis intemerata sanctitas virginalis, quæ diuini gratia muneris virtute videtur originem vocabuli trahere: vt ex ipso nomine semper se admoneri cognoscat, ea quæ virtutis sunt debere seruare. Vnde non immerito doctor gentium ac vas electionis cœlibem coniugalémque vitam tali definitione discernit: vt istam solicitam, quæ Dei sunt, in sanctificationem corporis & spiritus Deo placere, illam

Rom. 12. Melior virginitas mẽtis & corporis quã alia dona.

vero mundanis cogitationibus deditam, placendi viro, ſtudium geſtare cõfirmet: Qui ſine vxore eſt, inquiens,
1.Cor.7.f *ſolicitus eſt, quæ Dei ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ ſunt Domini: vt ſit ſancta corpore & ſpiritu: quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.*

CAPVT VIII.

1.Cor.6. Coniugatis quoq; aſcribitur ſanctitas, ſed maior virginibus.

VEruntamen hoc Apoſtolus dicens, non ſic aſſcripſit virginibus ſanctitatem corporis & ſpiritus, vt illam vel cõiugatis demeret, vel viduis abnegaret: præcipuè qui ſuperiori loco eiuſdem epiſtolæ fidelium corpora membra Chriſti, & templum appellet Spiritus ſancti. Dicit enim: Neſcitis quia corpora veſtra membra Chriſti ſunt? Et paulo poſt: An neſcitis, quia membra veſtra templum eſt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Et vt ſe coniugatis quoque ſcribere
1.Cor.7. *demonſtraret, continuo ſubiunxit: De quibus autem ſcripſiſtis, Bonum eſt homini mulierem non tangere: propter fornicationes autem vnuſquiſq; ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum habeat. In epiſtola quoq; ad Epheſios, coniugatis vtique loquebatur, quibus dicebat, Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam. Et paulo poſt: Qui ſuam vxo-*
Epheſ.5.e *rem diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam: quia mẽbra ſumus corporis de carne eius, & de oſſibus eius. Petrus quoq; Apoſtolus con-*
1.Pet.3.a *iugatas fideles ſanctas non ambigit appellare, dicẽs: Sic enim aliquando mulieres ſanctæ ſperantes in Deo ornabant ſe, ſubiectæ viris ſuis, ſicut Sara obſequebatur Abrahæ, dominum eum vocans. Non ergo Apoſtolus Paulus à ſanctificatione corporis & ſpiritus fideles coniugatas ſeparat: ſed hoc eas cogitare dicit, vbi earum cogitationem amplius teneri cognoſcit. Quis enim neſciat ſanctam virginum cogitationem magis ad ſpiritalia recurrere, & ſanctarum cõiugatarum cogitationem magis coniugali neceſſitati ſeruire?*

CAPVT IX.

Nuptiæ nõ ſunt peccatum, ſed donũ Dei.

SCimus ergo nuptias non eſſe peccatum, ſed Dei opus & Dei donum: quas ipſe Dominus connexuit fidei vinculo, gratificauit benedictionis dono, multiplicauit propagationis augmento. Nouimus honorabile connubium in omnibus, & thorum immaculatum: Nouimus à Deo nõ coniugia, ſed fornicationes & adulteria iudicanda. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus. Fatemur enim à Deo eſſe nuptiarum fidem, coniugum charitatem, naturæ fœcunditatem: ſed quia vnuſquiſque proprium habet donum à Deo, alius quidem ſic, alius autem ſic. Nos quoque ſic vtriuſq; doni gradum diſcernimus, vt vtrumq; donum à Deo tribui fidelibus non negemus. Non igitur inferius donum Dei denocamus in culpam, cum potioris doni præferimus gratiam. Nec cum primum pudicitiæ donũ præponimus, ſecundum tertiúmve damnamus. Nec in eo quod integritatis virginalis agnoſcimus culmen, pudicitiæ coniugalis aſſerimus crimen. Neq; ſic virginitatem frumentis adſcribimus, vt coniugium inter zizaniam deputemus.

Multiplex inter virginitatem & cõnubium cõparatio.

Non eſt coniugium nocturni ſeminis fructus, quia hoc in agro dominico non ſator inuidus ſuperſeminauit, ſed dominus bonus inſtituit. Veruntamẽ vtriuſque rei congrua diſcretione momenta penſantes, tantum dicimus à ſanctis nuptijs, vbi nubũt qui ſe continere nõ poſſunt,

ſanctam virginitatem merito potiore diſtare quantum diſtāt à bonis meliora, ab humilibus celſa, à terrenis cæleſtia, à beatis beatiora, à ſanctis ſanctiora, à mundis mundiora, à mortali connubio immortale connubium, à carne ſpiritus, ab infirmitate virtus, à fœtu tranſititia prolis permanſuri germinis fructus, à tribulatione ſecuritas, à perturbatione tranquillitas, à bono quod eſt cum anguſtia momentaneum, melius, quod eſt cum lætitia ſempiternum.

CAPVT X.

Virginitas longe ſuperior cōnubio carnali

NEc dubitamus dicere, tantum à ſancta virginitate carnis & ſpiritus, fidelium coniugatorum (licet à Deo conceſſum) infirmæ mortaliſque carnis huius diſtare concubitum, quantum ſimilitudo pecorum ab imitatione diſcernitur angelorum. In vno quippe ad terram ſpiritus, terrena carnis voluptate deprimitur: In altero autem terrena caro, cæleſti delectatione ſpiritus, ad cæleſtia ſubleuatur. Ad placendum quippe carnali coniugio ſæpe mundana mentem cura ſolicitat: ad placendum vero ſpiritali connubio, mens dulcedini cæleſtis cogitationis intenta, corpus ſuum ſpiritali pingueſcens

Infortunia coniugij circa prolem corporalē.

delectatione caſtigat. In opere corporalium nuptiarum virginitas carnis amittitur, vt ad carnis fœcunditatem veniatur: vbi tamen nonnunquam ſic incertæ ſpei fructu fraudatur humana delectatio, vt quæ virgo eſſe deſtitit, mater eſſe nō poſſit, & ſterilitatis obſtaculo coercita, nec in corpore queat reparare quod perdidit, nec ex corpore valeat habere quod cupit. Plerunq; (quod eſt grauius) grauiore dolore fœtus carnis perdit, quos graui dolore ſuſcepit: Et ad hoc pariens pericula gemituſq; tolerat, vt amittēs quos cum gemitu pepererat, deterius gemat.

Bona virginitatis circa prolem ſpiritalem.

In copula vero matrimonij ſpiritalis cum ſponſo Chriſto ſic coniungatur anima, vt etiā caro ſeruetur intacta: quanto magis virginalis integritas viget, tanto magis immor-

immortalis fœcunditas pollet. Sic enim ibi non eſt mortalis fructus ex corpore, vt immortalis fœtus non deſit ex corde. Ibi maritalis acceſſus non vitiat corpus, quia Chriſti ſpiritalis amplexus & animam ſeruat & corpus. In tali connubio nullus effectus æſtuanti cupiditati conceditur, quia ſanctæ charitatis feruore refrigerio ſpiritali nutritur. O angelicæ imitationis non humana in hominibus virtus. O ineffabile ſuperni ſempiterniq; muneris decus. Quod qui accipiunt, hoc meditantur in carne mortali, quod ſunt immortalitate ſumpturi. Eligunt enim bonam partem, quæ non auferetur Luc. 10. *ab eis, ſed perficietur in eis. Quod enim ab eis nunc inuiolatum ſeruatur in opere, hoc eis gloria immortalitatis cumulatum reddetur in munere.*

CAPVT XI.

QVocirca, quæ non eſt ſeculi virgo, ſed Chriſti, ſicut non debet monilibus, ita debet virtutibus adornari. Ornatus autem virginis eſt, virginitatis bonum non minus mente quàm carne ſeruare. Vt ſcilicet ſemetipſam tanto munere condignam ſemper exhibeat, & ſic veritatis teneat viam, vt non diuertat ad dextram vel ſiniſtram. Siniſtram quippe obſidet carnalium turba vitiorum: dextram tenet ſpiritalium iactatio ſuperba virtutum. Illa carnem publicis delectamentis oblectare contendit: hæc menti laudē propriæ virtutis immurmurare non deſinit. Illa namque blandiens virgini perſuadere conatur, vt tātum carnis integritate ſeruata, quicquid pertinet ad delitias ciborum, nitorem veſtium, fōmenta balnearum, ſomnorum lenitatem, iocorum hilaritatem, ſub ſpecie vitandæ infirmitatis, & cuſtodiendæ corporeæ ſoſpitatis diligat, appetat, teneat, & quaſi molliori cliuo deuexum latioris viæ monſtrat gradienti deſcenſum, qua non conſcendat ad cælum, ſed

Virginitas autem ſic ambulet, ne declinet ad dextrā nec ad ſiniſtrā.

Via dextra, superba iactatio virtutum.

ſed deuoluatur in Tartarum: inſinuat vitandum itineris angusti laborẽ, ne perueniatur ad requiem. & aliud, quanto occultius, tanto periculoſius parat virgini præcipitium, dum callide collaudat aſcenſum. Etenim ſi teneatur in cibis abſtinentia, veſtis non ſit nitida, ſed deſpecta, buxeum pallorem, rubore ſublato, corpori ieiunia generent, candorem carnis lauandi contemptus obfuſcet, laſſo corpori ſomnus ſtratis durioribus detur, cutis lenitas deſpectis aſperetur vnguentis, cõtractior vultus riſui ſemper obſiſtat & ioco: hæc omnia non diuino adiutorio deputat, ſed viribus humanæ poſſibilitatis aſſignat.

CAPVT XII.

Delitias carnis virgo Chriſti fugere debet.

PRoinde ad exteriorẽ virginitatem interioremq; ſeruandam, ſolicita debet virgo ſemper exultare cautela, delitias carnis & oblectamenta corporis (quæ ſibi non tam neceſſitas exigit quàm voluptas) omnino ſacra virgo refugiat. Spiritalis enim virginum ſponſus non quærit in virgine carnem delitijs accuratam, ſed ieiunijs caſtigatam. Hoc Doctor gentium cùm ſe facere dicit,

1. Cor. 9. d
2. Cor. 11. f

nobis quoque inſinuat faciendum. Caſtigo, inquiens, corpus meum, & ſeruituti ſubijcio. Et rurſus: In vigilijs multis, in fame & ſiti, in ieiunijs multis. De vidua verò dicit:

1. Tim. 5. a

Quæ autem in delitijs eſt, viuẽs mortua eſt. Non quærat ergo Chriſti virgo carnis delitias, quas nec

Geneſ. 19. e

viduæ videt eſſe conceſſas. In ſaturitate cibi viuens Sodoma, cibus ignis effici meruit. Et

Ionæ 3. b

Niniuiticus populus diuinum furorem, cunctorum iam ceruicibus imminentem, ieiunio lachrymiſq; ſubmouit. Igitur ſi viſibilis cupiditas vindicatur in corpore, inimica inuiſibilis poteſtas non dominatur in corde. Illam fœliciter vincimus, ſi fortiter cum iſta certemus: Et de illa triumphus acquiritur, cùm iſta calcatur.

CAP.

CAPVT XIII.

Temperies ieiuniorum

POrrò ieiunijs ſic eſt adhibenda temperies, vt corpus noſtrum nec ſaturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet. Talis igitur tantaq; virginis ieiunium refectio ſubſequatur, vt nec ſuauitate corpus illiciat, nec ſaturitate ſuccendat. Suauitate quippe minuitur eleemoſyna pauperũ, ſaturitate corpus efficitur bellicoſum. Illic fratribus debitum inuaditur, hic hoſti auxilium ſubrogatur. Volentibus enim nobis concupiſcentiã gulæ diuerſis oblectare pigmentis, quod egenus accipere debuit, voluptas inſumit. Proinde ieiunium nec debilitas præripiat, nec ſaturitas extollat. Vtraque ènim noſtris aduerſarijs militat, quia vna vtilitatem ieiunij præcedentis adimit, altera facultati ieiunij ſubſequentis obſiſtit. Saturitas facit, vt inaniter ieiunemus: debilitas facit, ne ieiunare poſſimus.

CAPVT XIIII.

Virginum veſtes quales.

VEſtis quoque talis ſit ſacræ virginis, quæ teſtis exiſtat intimæ caſtitatis. Nihil nitoris in habitu exterioris hominis quæratur: ne interioris hominis habitus ſordidetur. Virgo, quæ ornatum corporeæ veſtis affectat, animam ſuam virtutum ſplendore deſpoliat. Nec habet caſtitatem veram, quæ intuẽtibus parat illecebram: Nec fidẽ ſeruat Chriſto, quæ populo quærit magis placere quàm ſponſo. Conſequenter autem neceſſe eſt, vt quæ humano conſpectui concupiſcentiam ſeminat, in diuino conſpectu iracundiam metat. Qui enim ſeminat in

Galat. 6. b

carne ſua, de carne metet corruptionem: qui verò ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitã æternam. Verum de his atq; horum ſimilibus, quæ ad curam pertinent carnis, & animam faciunt ſub virginitatis nomine in concupiſcentijs dormitare, illæ potius admonendæ ſunt virgines, quæ delitioſæ, quæ vagæ, quæ iocis deditæ.

CAP.

CAPVT XV.

NObis autem nunc ad spiritalem virginem loquentibus, de illis est laqueis euitandis aliquid memorandum, quos (vt ita dicam) non in terrenis rebus, sed in ipsis cælestibus aduersarius tendit. Nec à via manifesto seducit errore, sed (sicut ait Propheta) in via hac qua ambulabam, absconderunt laqueos mihi. Vbi bene ambulantes perspicit in operibus bonis, ibi vehementius & periculosius sub colore simulatæ pacis occultis repugnat insidijs, & non valens virginitatem carnis in carne perdere, virginitatẽ spiritus conatur auferre. Propter quod non est Christi virginibus negligentius intuendũ, quantum cordis virginitas carnis virginitati præponderet. Hæc enim si à fidelibus coniugatis ac viduis in fide (quæ per dilectionem operatur) etiam sine virginitate corporea in hac vita fuerit custodita: in futuro nec carnis virginitate priuabitur, & regni cælestis beatitudine perfruetur. Corporalis vero virginitas, etiam Deo dicata, si virginitatem non seruauerit cordis: nihil proderit in corpore custodita, si spiritalis castitas fuerit in mente corrupta. Vtramq; diabolus persequitur, vtramq; callidis consilijs insectatur. Sed virginitatem carnis per hominem nititur præripere: cordis vero virginitatẽ per seipsum conatur auferre. Nam plerunque ad hoc carnis virginitatem (quæ inferior est) non impugnat, vt illius quæ potior est, fundamenta suffodiat: & tanquã diuersis machinis sic innumeris vtitur argumẽtis, & cum certamini manifesto cedit, ad hoc se victum demonstrat, vt vincat. Ad hoc fugam simulat, vt persequentem, missis post tergum sagittis, occidat. Euidentibus quippe vitijs prouocat, dum virginitatem * cordis impugnat, in quibus si palam superetur, illico superbiam pernicioſissimè iaculatur, & vitiorum auctor in eo quod vincere nõ potest vitijs suis, vincit virtutibus alienis. Armis, quibus elidi-

Psalm. 141.

Diabolus vtranq; oppugnat virginitatem: carnis, per homines, mentis, per seipsum.

* corporis

eliditur, surgit: et virtute, qua deijcitur, deijcit. Laudat, qua se perspicit superari, virtutem: vt victus possit captiuare vincẽtem. Injcit enim cordi iactantiam, vt grauiori lapsu de alto possit deijcere, si quos in humilibus videt gradu firmiore pugnare. Nam (verbi gratia) cum gulæ delectamenta porrigit, si suscipiatur, fomitem libidinis subministrat: si respuatur, iactantiam de abstinentia seminat. Insinuat dilectionem pecuniæ, si tenuerit assensum, auaritiæ gladio animã confodit incautam: Si autem fuerit repulsus, insidias quas per tenacitatem tendere non potuit, per liberalitatem nequissimus tendit. Et in opere misericordiæ facit cordis superbiã pullulare, vt eo quod egenti largitur, magna sibi habere merita videatur. In multis hæc facit,* vt maxime sic repugnare spiritales Dei famulos & famulas assueuit, vt si quis rebus noxijs mortiferisq; non vincitur, vitalibus remedijs occidatur. Bonis operatur mala, salubribus noxia, iustis iniusta, & commodis præstat incõmoda. Hoc in seipso primum operatus est, qui non ex cõditione habuit originem criminis, sed ex elatione virtutis veritatem per iniustitiam detinere voluit, & per iniustitiam lapsus, in veritate nõ stetit. Quomodo enim stare potuit, cui pro superbia restitit ille qui nũquam cadit? Initium enim omnis peccati superbia, propter quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Callidi hostis varia tẽtatio cõtra virgines.

* &

Eccles. 10. Iacob. 4. 1. Petr. 5.

CAPVT XVI.

HÆc autem superbia ideo initiũ omnis peccati dicitur, vt omne peccatũ de ipsa tanquam de radice pullulare mõstretur: quæ multiplici modo miseris inferens mortẽ, publico certamine carnales deijcit: spiritales verò, si quos incautos inuenerit, occultiore conflictu prosternit. Quis enim nesciat fornicarios, idolis seruientes, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, auaros,

Superbia initiũ omnis peccati.

auaros, ebrios, maledicos, rapaces, superbas aduersus Deum ceruices erigere, & nequissimis operibus magis diabolo militare? Sunt alij, quos in conspectu hominum superbia tanquam suos demonstrat hostes, & intrinsecus habet nequissimos milites. Ab his iniquitas callide geritur, vt humanis obtutibus iustitia fallaciter ostendatur. Hos dominus noster sic increpat: Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra. Quos vt superbos euidenter ostenderet, sequutus adiunxit, Quia quod hominibus altum est, abominatio est ante dominum. Ad eos etiã, qui sub Christiana professione viuunt, & Christi præcepta manifestè peccando contemnunt, sic ipse Christus loquitur: Quid autem vocatis me domine, domine, & non facitis quæ dico? Tales gentium quoque doctor his verbis obiurgat: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cùm sint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi. Nam & beatus Iacobus dicit, Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid potest fides saluare eum? Humilitas ergo (quam docuit Christus, dicẽs: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde) non in sola consistit fide, sed in fide simul & opere. Nam scriptum est, Quia & dæmones credunt & contremiscunt, qui tamen Deo humiles non sunt. Vnde etiam Apostolus Paulus asserit, quia sapientia carnis inimica est Deo. Legi enim Dei non subijcitur, nec enim potest. Quæ sapientia, secundum Iacobi sententiam: non est desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.

Hypocrite superbi mente. Luc. 16.d Luc. 6.g Tit. 1.d Iac. 2.c Matth. 2.d Iac. 2.c Rom. 8.a Iac. 3.d

CAPVT XVII.

Duplex superbia.

MAnifesta igitur superbia deprehenditur, cùm manifeste peccatur. Attamen cùm fuco iustitiæ iniquitas tegitur, illa superbiæ pestilentia venenosius serpit,

serpit, illa periculosius irrepit: cùm ab his, qui iustitiæ studium gerunt, vel aliorum vita tanquam indigna despicitur, vel in operibus bonis aliquid humanis viribus assignatur. Illa denique superbia, qua cæteri ab his qui sibi iusti videntur, velut peccatores despiciuntur, in Pharisæo condemnatur. Sicut etiam sanctus Euangelista testatur, dicens: Dixit autem & ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum, vt orarẽt, vnus Pharisæus, & alter Publicanus. Pharisæus stans, hæc apud se orabat, Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines, rapaces, iniusti, adulteri, sicut etiam hic Publicanus. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Publicanus autem à longe stans, nolebat oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Dico vobis: Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. In conspectu iudicis misericordis & iusti, non est accepta superba iactatio bonorum operum, sed humilis confessio peccatorum. Illi etiam, qui virtutem bonæ voluntatis aut bonæ operationis suis nituntur superbè viribus assignare, ab Apostolo taliter denotantur: Quia ignorantes Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. In sua igitur iniustitia profecto deficit, qui iustitiæ Dei superba colla non subijcit. In his itaque quatuor superbiæ generibus, quibus diabolus velut quadrigis vehitur, & ad gehennam miserorum, quibus insidet, mortifero cursu raptatur, duobus animas opprimit, quas in carne iacentes perspicit, alijs duobus animas deijcit, quas de carne volare cognoscit. Istas captiuat delectatione vitiorum: Illas circunuenit elatione virtutum. Illarum

Luc. 18. Parabola Christi de phariseo & publicano. Rom. 10. a

sic virginitatem præripit, vt se fornicari non dubitent: istas sic constuprat & maculat, vt se conculcari non æstiment.

CAPVT XVIII.

Virgo superba Christi sponsa non est.

PRoinde, vt integra permaneat Deo dicata virginitas, sicut custoditur integritas corporis, multo amplius custodienda est humilitas cordis. Si qua enim vere virgo est Christi, non potest Christo, nisi cordis humilitate coniungi. Filij Dei thalamus elatas non recipit, & humilis sponsus à connubio suo superbas expellit. Sit igitur studium tuum (sicut decet virginem sacram) sectari iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Non tamen, vt consideratione tui quaslibet Christianas, etiam in inferiori positas professione, despicias: aut te in bonis operibus, præsumptione propriæ virtutis, extollas. Quicquid enim spiritalium donorum plus habueris, quam habent aliæ, non parua est iactura virtutis, si in ipsa principali virtute (quæ est humilitas) non alias antecellas: cum non nescias scriptum: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.

Eccles. 3.

CAPVT XIX.

Christus & Dominus & sponsus est virginũ ideo & humilitatem exigit & integritatẽ.

ATtende igitur in te sponsi tui amorem, considera Domini pietatem. Pius est Dominus, qui te sibi fecit ancillam, speciosus sponsus, qui te castificauit sponsam. Idem tamen, quia verus est Dominus & sponsus, verus vtriusque potestatis partes exequitur. Exigit de ancilla humilem seruitutem, in sponsa quærit integram castitatem. Serui ergo Domino cum timore, & exulta sponso cum tremore. Nam quia Dominus est, territat: & quia sponsus est, zelat. Timens igitur custodi Domini terrentis imperium, & tremens dilige sponsi zelantis affectum. In ancilla Domini nihil

nihil suum prædo reperiat, in spõsa Christi nihil suum adulter agnoscat. Sicut in corpore virginis non dominatur libido: sic in corde virginis nulla dominetur elatio. Cum timore & tremore tuam salutem operare. Deus est enim qui operatur in te & velle & perficere, pro bona voluntate. Quotiens cogitas de perfectione virtutum, noli considerare, quid aliæ minus habeant quam tu habes: sed quid tu minus habeas, quam habere iam debes. Nec ideo te putes virtutibus perfectam, si quamlibet aliam videas criminibus deditam. Nec propterea tibi aliquid velocitatis assignes, si quaslibet, aut retro redeuntes, aut segniter videas ambulantes. Neque enim idcirco sanos oculos habere pronuntiandus est lippus, quia videtur cæcus à lumine penitus alienus. Nec ideo sanus dicendus est, qui graui iacet vulnere seminuus, si alius grauiore vulnere reperiatur occisus. Nec ibi debet tanquam victor vindicare gloriam, quisquis, licet ab hoste non sit occisus, tenetur tamen ab hoste captiuus.

Philip. 2. b

CAPVT XX.

*NOli ergo alijs te comparare, sed tibi. Audi Apostolum hoc facientem, & vt hoc faciamus, salubriter admonentem. Ad Corinthios quippe scribens, dicit: Nõ enim audemus, inserere aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant: sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis. * Si ergo semetipsam comparet virgo Christi, & vt ad perfectam perueniat sanitatem, non debet de aliorum sibi periculo grauiore blandiri, sed de sua curet infirmitate tristari. De qua ille tristabatur iugiter, qui dicebat, Tota die contristatus ingrediebar: Quoniam anima mea impleta est illusionibus, & non est sanitas in carne mea. Et vt ostẽderet, huic tristitiæ humilitatem*

2. Cor. 10. c

Non alijs, sed sibijpsi debet se homo cõparare.

* *Sibi*

Psalm 37.

debere coniungi, statim sequutus adiunxit: Incuruatus sum, & humiliatus sum nimis. Et vt desiderio sanitatis hoc à se fieri perdoceret, adiunxit: Rugiebam à gemitu cordis mei: & ante te est omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Iste autem qui hoc dicebat, fatetur se aliquando tanquam de virtute sanitatis elatum, & in eo se periculum grauissimæ infirmitatis expertum. Dicit enim in alio Psalmo: Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Et quia hoc dicens, adiutorio diuinæ gratiæ fuerat desertus, & in sua defecerat infirmitate, turbatus sequitur, dicens: Domine in bona voluntate tua præstitisti decori meo virtutem: auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Et vt ostenderet adiutorium diuinæ gratiæ, quamuis iam habitum humiliter esse, & sine intermissione poscendum, hoc quoque subnectit: Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor.

Psalm. 29.

Adiutoriū diuinæ gratiæ semper poscendū.

CAPVT XXI.

NEmo autem deprecatur & rogat, qui non aliquid se cognoscit minus habere, aut quod habet, sua tantum virtute potest seruare. Quisquis igitur & beneficium rogat, & adiutorium flagitat, necesse est, vt & euidentiam suæ imbecillitatis & egestatis agnoscat. Et ideo egestas nostra dari sibi quod non habet poscit: & imbecillitas nostra custodiri sibi postulat quod accepit. Egestas audit, Quid enim habes, quod non accepisti? Et non potest homo accipere quicquam, nisi datum fuerit ei de cælo. Imbecillitas audit: Reuela ad Dominum viam tuam, & spera in eum: & ipse faciet. Audit etiam ab ipsa virtute: Sine me nihil potestis facere. Audit à Propheta: Nisi Deus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam. Dicat ergo egestas illi, qui propter nos pauper factus est, cùm

1. Cor. 4.

Ioan. 3. d

Psalm. 36.

Ioan. 15.

Psal. 126.

esset diues, vt illius paupertate nos diuites essemus: dicat, Da mihi intellectum, vt discam mandata tua. Dicat etiam imbecillitas illi, qui pro nobis crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei, & qui sic infirmatus est propter peccata nostra, vt semper ipse sit Dei virtus & Dei sapientia. Dicat ergo illi imbecillitas humana: Custodi me Domine, vt pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum qui me afflixerunt.

Psal. 118.

Psalm. 16.

CAPVT XXII.

GRauiter hic affliguntur animæ omnium iam iustificatorum, & ex fide viuentium, imò solæ animæ intelligunt, in qua sint afflictione positæ, quibus se infundit lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Vident enim quia licet sint gratiæ dono ab operum malorum contagione liberæ, teneantur tamen cogitationum varietatum captiuæ. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccatis? Attendamus qualis quantúsque iustus dixerit: In multis enim offendimus omnes. Et ille qui dixit: Si dixerimus, quia peccatum non habemus: nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Ille etiam qui condelectabatur legi Dei, secundum interiorem hominem, videbat autem aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, & captiuantem eum in lege peccati, quæ erat in membris eius, donec eum suæ infœlicitatis conscium, de corpore mortis huius liberaret gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Ab hac ergo lege peccati, quæ est in membris nostris, nō virtus cuiuslibet hominis fortis, non industria sapientis: sed sola liberat gratia saluatoris. Quæ non nisi humilibus gratis datur. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Verun-

Sancti quoque in hac vita animæ habent afflictiones propter incidentes cogitationes.

Prouer. 20. b

Iacob. 3. a

Ioan. 1. d

Rom. 7. d

Iacob. 4. b

tamen hæc gratia, sicut non nisi humilibus datur, sic humilis homo esse non potest, nisi detur. Datur enim, vt humiles esse incipiant: & datur, vt humiles esse non desinant. Gratia igitur Dei facit, & vt humiles simus, & humiles perseuerare possimus. Qui enim potuit quod non habuimus, dare: ipse potest quod accepimus custodire.

CAPVT XXIII.

Præcepta pro sanctis virginibus ex scripturis deducta.

*PRoinde, vt in te sit vera humilitas, quæ virginitatis est interna virginitas, non ignoras, quanta sacræ virgini debeat paupertas spiritus inesse, vt regnum cælorum mereatur accipere: quanta mansuetudo, vt * illa possideat viuentium terram, in qua se Dauid bona domini visurum plena credulitate confidit: quanta etiam cautione virgini luctuosa sit præsentis seculi lætitia fugienda, cui semper in hac vita præstolanti sponsi cælestis aduentum, magis sit ex desiderio spirituali lugendum, vt adipiscatur intimum certúmque solatium: quantam quoque virgo Christi debeat esuriem sitimque iustitiæ perpeti, vt plena mereatur æternæ dulcedinis satietate lætari: Qualibus etiam sit induenda visceribus misericordiæ, vt in conspectu Dei misericordiam valeat inuenire: mundandique cordis quantum debeat inesse sacræ virgini studium, vt illum videre mereatur fœlicibus oculis sponsum, speciosum forma præ filijs hominum, ad quem carnis virginitas non potest peruenire, nisi humili corde fulciatur virtute virginitatis internæ: quantam etiam pacificæ quietis virgo possidere virtutem debeat, vt desideriorum carnalium tela spiritalibus armis induta compescat. Talibus te sponsus tuus vti fruique monilibus cupit, qui te sibi fide despondit, spe firmauit, charitate coniunxit.*

* illam

CAPVT XXIIII.

Omne opus bonũ gratia Dei in nobis præuenit.

NEque vero fidei veritate carnisque integritate spiritaliter tali sponso nupsisses: si non eum, contempta vanitate seculi, dilexisses: nec tamen eum fuisses aliquatenus dilectura, nisi fuisses gratuita sponsi dilectione præuenta. Dixi autem te præuentam, non solum dilectione, qua ille te dilexit, sed etiam dilectione, quam tibi gratis, vt à te diligeretur infudit. Totum ergo quicquid in te sanctæ dilectionis erga sponsum tuum habes, in te quidem habes, sed ex te non habes. Pauperem te accepit ditissimus sponsus, quicquid in te boni habes, non ex te, sed ex ipso habes: & quicquid nondum habes: tunc habebis, si sponsus dederit, qui omnia bona quæ habes, gratuita largitate iam dedit. Ipsi ergo de acceptis humiliter gratias age, ipsum de accipiendis humiliter posce. Sic enim diuitem sponsum habes, vt nec egeat his quæ dedit, & abundet ad largiendum multo meliora quàm dedit. Hæc humili semper compunctione considera, & virginitatem, quam Deo vouisti, non solum carnis integritate, sed & cordis humilitate conserua: Ab illo tibi semper custodiam virginitatis & humilitatis exposcens, qui non dormitauit neque obdormiet custodiens Israel. Ecce sancta filia, inquantum Dominus dedit, breuem ad te libellum de virginitate & humilitate conscripsi: magis eligens, pauca tibi desideranti transmittere, quàm debitæ seruitutis officium sponsæ Domini denegare.

Diues virginum spõsus.

Quomodo seruãda virginitas.

Conclusio libri.

D. FVLGENTII EPISTOLA QVARTA, AD PROBAM, DE ORATIONE ad Deum & compunctione cordis.

CAPVT I.

DOMINÆ *in Christo plurimum venerabili, & cum omni honorificentia nominãdæ famulæ Dei, filiæ Probæ, Fulgentius seruorum Christi famulus, in Domino salutem. Epistolam sanctitatis tuæ cum tota cordis gratulatione susceptam: non solum studium boni operis, sed etiam humilitatem cordis tui certis indicijs præferentem. Bene igitur, sancta filia, in laudem Dei, non de bonis operibus superbiæ vento extolleris: sed ad implenda Domini præcepta, infirmam te inualidamq́, testaris. Ita debet sentire quisquis verbi Dei non auditor obliuiosus, sed factor operis esse desiderat, qui non hic ab hominibus recipere mercedem suam, sed à Deo in die retributionis expectat: qui non in præsenti tempore inanis gloriæ vanitate raptatur, sed sancto igne diuini amoris accenditur. Hunc enim Christus venit mittere in terram, vt omne superbiæ germen exurat, & humiliato cordi feruorem sanctæ compunctionis injciat. Sic fit vt in nostris peccatis, nosmetipsos veraciter accusemus: & in bonis operibus nostris, Deum vera cordis humilitate laudemus. Illi assignemus, quæ nobis eius pietas donat: nobis imputemus, in quibus eum nostra infirmitas exacerbat.*

Humilitas Probæ omnibus imitanda contra vanam gloriam.

Luc. 12. f

CAPVT II.

ET *quia frequenter à nobis offenditur, necessarium est, vt frequenti oratione, & iugi cordis compũctione mitigetur. Compunctio enim cordis, excitat orationis affectum:*

*affectum: Oratio humilis, diuinum promeretur auxilium. Compunctio cordis, vulnera sua respicit: Oratio vero medelam sanitatis exposcit. Et ad hæc quis idoneus? Quis enim vel orare competenter valeat, nisi medicus ipse nobis initium desiderij spiritalis infundat? Aut quis perseuerare in oratione queat, nisi Deus in nobis hoc quod cœpit augeat, quod seminauit enutriat, & quod, misericordia præcedente, gratis donauit indignis, ad effectum perfectionis, misericordia subsequente, perducat? Sic enim à nobis poterit boni operis meritum non perire, si Deus auctor atque adiutor semper glorificetur in opere: nec putemus sic eum auctorem boni operis * æstimandum, tanquam in ipso tantum creationis exordio sic Deus naturæ humanæ boni operis facultatem dederit, vt ipsius adiutorio desistente, sola per seipsa possit humana natura quodcunque bonum velle seu facere: cùm hoc nec in ipso primo homine potuerit sola implere conatu proprio, quando necdum fuit vitiata peccato. Quomodo ergo infirma, sine iuuamine medici, sospitatem suam reparare potuerit? quæ dum sana esset, sospitatem suam custodire nequiuit. Non ergo glorietur terra & cinis, quia in vita sua proiecit intima sua: nec vulneratus de hoc quod in se sanum existimat, tanquam sanus exultet: sed suorum vulnerum putredinem compuncti cordis humilitate consideret, vt clamans cum Propheta: Computruerunt & deteriorata sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ: possit medelam, non suo merito, sed gratuito munere diuinæ pietatis accipere. Quid enim habet homo, quod non accepit? Si autem accepit, quid gloriatur quasi non acceperit? Solus igitur Deus potest omnibus quibus voluerit dare, vnde vera salus acquiri possit: Et ideo solus potest in accipiente custodire, quod dederit. Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant*

Oratio & cordis compunctio à Deo, vt infundat, exposcenda.

Quomodo Deus est auctor boni operis nostri.

* existimãdum,

Psalm. 37.

Psal. 126.

qui custodiunt eam. Ille itaque non patietur furtiuum nequissimi prædonis ingressum, cui non defuerit domini Psalm.120. *vigilantis auxilium. Ipse enim non dormitauit, neque obdormiet, qui custodit Israel.*

CAPVT III.

In hac vita semper proficere debemus.

*SIcut autem, qui ad patriam tendit, donec perueniat, semper habet vbi ambulet: sic etiam nos, quamdiu in hoc mortali corpore constituti peregrinamur à domino, præsens vita nobis est via, in qua semper habemus vbi possimus proficere, donec Deo perducente, ad illam valeamus beatæ immortalitatis æternam patriam peruenire. Magna igitur beatitudinis est, * si in præsenti viuere seculo, vt profectui spiritali omnis fidelis operam det, nec tamen hoc suis aliquando viribus superbus assignet: sed humili corde à Deo poscat iugem custodiam accepti muneris, à quo emanat totius bonæ, non tantum principium, sed etiam perfectio voluntatis.*

* sic in præsenti

Iacob.1. *Neque enim Iacobi Apostoli prædicatio, aliqua potest argumentatione cassari, dicens: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Nec quisquam hominum, siue ad cogitandum, siue ad operandum quodcunque bonum, po-*

Nõ potest homo ex se absque Dei gratia quicquam boni operari, ne velle quidẽ Phil 2. 2.Cor.3. *test esse idoneus, nisi fuerit munere gratuito diuinæ opitulationis adiutus. Deus est enim qui operatur in suis & velle & perficere, pro bona voluntate, sicut Vas electionis affirmat. Quo etiam docente cognouimus, Quia non sumus idonei cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Ille igitur nobis omnem boni sufficientiam subministrat, cuius non minuitur plenitudo cùm donat. Qui nobis omne bonum benigne largitur, vt habeamus: & in seipso sine diminutione permanet plenus, quod nec angelica potest, nec humana præstare natura: Ac sic, nulla, licet spiritalis, tamen*

tamen creata substantia, quia omne quod creatum est, sicut antequam crearetur non fuit, sic antequam acciperet habere non potuit. Et sicut subsistere non potest, sine illius operatione qui fecit, sic bonum non potest velle seu facere, nisi Deus dignetur iugiter adiuuare. Ab ipso namque est initium bonæ voluntatis, ab ipso facultas boni operis, ab ipso perseuerantia bonæ conuersationis: ab ipso datur in præsenti seculo vera cordis humilitas, & in futuro retributionis æternæ fœlicitas: vt ipsi sint sine fine fœlices, qui nunc sine fictione sunt humiles. Nec se inflatione vana seducunt, in qua sic non potest esse bonis plena securitas, vt tunc facilius aduersitas subrepat, cum se prosperitas fraudulenter ostendat.

CAPVT IIII.

Laqueos diaboli per se absque Dei gratia nullus euadere potest

NEc est aliquod huius vitæ tempus, in quo non hominibus muscipulam tendat inimicus, cuius laqueos nemo potest proprijs viribus euadere, nisi quem Deus gratia sua per Iesum Christum dominũ nostrum dignatus fuerit liberare. Ideo vas electionis, cum captiuari se in lege peccati sentiret, exclamabat, dicens: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum dominum no- Rom.7.d *strum. Propterea etiam propheta non sua virtute, sed diuino munere, pedes suos è laqueo prædicat euellendos, dicens: Oculi mei semper ad dominum, quoniam ipse* Psalm.24. *euellet de laqueo pedes meos. Et alio loco, ex persona sanctorum, quos de huius seculi laqueo liberatos, ad æternam dignatus est dominus securitatem lætitiamq; transferre, sic dicitur: Anima nostra sicut passer* Psal.123. *erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

CAP.

CAPVT V.

Tota die cõtristatus ingrediebar

Psalm. 37.

VEruntamen, vt suam animam vnusquisque nostrum inter aduersitates & laqueos inimici versari cognoscat, nec in hoc seculo noxia vnquam securitate torpescat, idem Propheta dicit: Tota die contristatus ingrediebar, Quoniam anima mea impleta est illusionibus, & non est sanitas in carne mea. Quid est autem, Tota die cõtristatus ingredi, nisi totius huius vitæ tempore, peccatorum recordatione tristari? In quo enim anima illusionibus impletur, nisi cum concupiscẽtiarum carnalium frequenti tentatione concutitur? Quibus etsi consensione non cedit, fatigatione lassescit. Quamuis enim subinde suis dominus in certamine, ne deficiãt, adiutorium tribuat: permittitur tamen fatigari propriæ infirmitatis onere prægrauata mortalitas, sed cum in seipsa nullum virtutis inuenit firmamentum, ad poscendum diuinæ pietatis cito recurrat auxilium. Hic ergo tunc aduersarium vincimus, si lachrymis & orationibus, & continua cordis humilitate pugnemus. Scriptum est autem, quia Oratio humilium nubes penetrat, & non elongat dominus, donec exaudiat. Humilium ergo fletus, magnus est concupiscentiæ carnalis interitus. Lachrymæ quæ ex compunctione cordis veniũt, & inimicum vincunt, & nobis donum latitiæ triumphalis acquirũt. Qui enim euntes eunt, & flent, mittentes semina sua: ipsi venientes venient in exultatione, portantes manipulos suos. Quàm bene autem sanctus Propheta semina bonorum operum riganda docet flumine lachrymarum. Omnia etenim semina non germinant, nisi fuerint irrigata: nec de semine procedit fructus, si fuerit aquarum iuuamine destitutus. Proinde nos quoque, si volumus fructus nostrorum seminum capere, non desinamus semina nostra lachrymis irrigare: quæ magis corde sunt fundendæ quàm corpore.

Eccles. 35. c

Psalm. 125.

Euntes ibãt & flebant mittentes semina sua

Ideo namque nobis dicitur per Prophetam, vt scindamus nostra corda, & non vestimenta nostra: quod tunc facere possumus, cùm scilicet recordamur nosmetipsos, & si non in opere, saltem in cogitatione frequenter delinquere. Quia terrena inhabitatio sensum multa cogitantem deprimit, & terra nostra germinare spinas nobis & tribulos non quiescit, nec possumus peruenire ad esum panis nostri, nisi fuerimus sudore vultus & fatigatione confecti.

Ioel. 2.

Sapien. 9. d

CAPVT VI.

Fatigatio nostra in resistendo eõ cupiscentiis

FAtigamur enim sudoribus, dum proprijs cupiditatibus repugnamus. In quibus vincendis, idcirco maior est certaminis difficultas, quia non extrinsecus ex altero, sed intrinsecus ex seipso certanti homini concupiscentiæ carnalis generatur aduersitas, quæ fatigationem ingerit humanæ imbecillitati dũ nascitur, quamuis diuinæ virtutis opitulatione vincatur. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim inuicem aduersantur, vt non quæcunque volumus illa faciamus. Hinc est, quòd nondum Deo sumus omnino subiecti, quia ex nobis nascitur, quod diuinæ renititur iussioni. Nam licet ex gratia Dei sit voluntas nobis bona, quæ nos Deo reddat humiles, non nobis tamen deest praua cupiditatis exortus, qui nos faciat contumaces. Per Dei ergo gratiam sumus iam Deo ex parte subiecti: per culpam verò nostram sumus adhuc ex parte non subditi. Propter quod ad Hebræos dicitur, necdum omnia Christo esse subiecta. Sic enim ait: In eo enim quod ei subiecit omnia, nihil dimisit non subiectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei. Subiecti sumus igitur Deo, ex eo quòd ipso in nobis operante condelectamur legi Dei secundum interiorem hominem: necdum autem

Galat. 5.

Hebr. 2.

sumus

sumus subiecti, ex eo quod videmus aliam legem in membris nostris, repugnantem legi mentis nostræ, & captiuantem nos in legi peccati, quæ est in membris nostris. Subiecti sumus Deo, quia ipsius miseratione

Psal. 17. *eripimur à tentatione, ipsi enim cantamus, A te eripiar à tentatione: sed necdum sumus omnino subiecti, quia*

Iob 7. a *tentatio est vita hominis super terram. Subiecti sumus Deo, in quo gressus nostros dirigit secundum verbum suum, vt non dominetur nobis omnis iniquitas:*

2. Cor. 10. a *sed necdum sumus omnino subiecti, quia in multis offendimus omnes. Subiecti sumus, in quantum ipso donante, in carne ambulantes, non secundum carnem militamus: sed necdum sumus omnino subiecti, quia & si habemus ex dono Dei, vt mente seruiamus legi Dei, habemus tamen ex reliquijs peccati, vt carne seruiamus*

Rom. 7. d *legi peccati. Propter quod Apostolus dicit: Igitur ipse ego mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Omnis enim qui nunc iustè vivit, carne quidem seruit legi peccati, dum in se nasci carnalem concupiscentiam sentit: mente autem seruit legi Dei, quia eidem carnali concupiscentiæ non consentit. Carne seruimus legi peccati, dum filij Babylonis nascentes, inquietant animam*

paruuli eliduntur ad petram. *nostram: sed mente seruimus legi Dei, cùm ydem paruuli Babylonis eliduntur ad petram. Babylon enim confusio interpretatur, cuius filia est omnis carnalis cupiditas, quam cordis confusio generat. Quamdiu autem in corpore peregrinamur à Domino, partus suos nobis ingerit ista confusio. Ex ipsâ quippe confusione omnis prana cogitatio nascitur, quæ paruula tunc ad petram eliditur, dum celeri recordatione atque opitulatione Christi superata calcatur.*

CAPVT VII.

Et gratias agere & continuas *IGitur licet habeamus, vnde gratias agere Deo debeamus, quia nos sibi gratuita miseratione subiecit, vt humiles simus: habemus tamen, vnde continuis precibus diuinas aures pulsare debeamus, quia quamdiu in hoc mortali corpore sumus, sicut non possumus sine peccato esse, sic necdum valemus perfectam humilitatem diuinis iussionibus exhibere. Propter quod agendæ quidem sunt gratiæ Deo, inquantum nobis donat, vt bene operemur, ne muneribus eius existamus ingrati: & danda est opera, vt ad meliora proficiamus, ne mortiferam incidamus superbiam, si conuersationem nostram putemus ex omni parte perfectam.*

preces effundere Deo debemus.

CAPVT VIII.

In hac vita fleamus, vt in propria simus quieti. *PRoinde gemamus & fleamus coram Domino qui fecit nos, vt à concupiscentia carnis, & à concupiscentia oculorum, & superbia seculi, quæ non est ex patre, sed ex mundo est, liberet nos: & ad illam nos subiectionem perducat, in qua nobis nihil repugnet ex mortalitatis vitio, sed ex immortalitatis dono totum, quicquid in nobis est, fiat subditum Deo. Tunc enim erit in nobis vera perfecta & excelsa humilitas, cùm & in carne, & in mente nostra, nulla remanserit prauæ cupiditas: nec cogitationibus fatigabitur spiritus, nec laboribus macerabitur corpus: nulla erit sollicitudo certaminis, sed perfecta erit securitas pacis: nulla nobis erit iustitiæ indigentia, sed cum delectatione saturitas plena.*

Qualis in cælo beatitudo. *Ibi erimus enim perfecta celsitudine beati, quia perfecta erimus Deo carnis & spiritus humilitate subiecti. Ibi nec minor erit laudatione nostra dilectio, nec inferior dilectione laudatio. Erit enim plena nostra laudatio, quia tunc in nobis erit Dei proximiq; perfecta dilectio. Tunc laudabimus & habebimus, tunc habebimus & amabimus: tunc satiabimur cum delectatione, & delectabimur cum satietate.*

D. FVL-

D. FVLGENTII EPISTOLA QVINTA, AD EVGYPPIVM Abbatem, de charitate & eius dilectione.

DOMINO *beatissimo, & plurimum venerabili, ac toto charitatis affectu desiderabili, sancto fratri & compresbytero Eugyppio, Fulgentius seruorum Christi famulus, in Domino salutem.*

Dulcedo ex lectione literarũ inexplicabilis

Vtinam sancte frater, tanta meo facultas suffragaretur eloquio, vt ad explicandam spiritalem, quam ex tuarum literarum lectione percepi, dulcedinem, verba sufficientia reperirem: quod dum volo, nec valeo, mirum mihi aliquid euenisse cognosco, videns gaudiũ, quod ex tuis sermonibus sumpsi, nõ posse meis sermonibus explicare. Nempe, quod mihi scripsisti, postquã cogitatione inuentũ dispositũq; est, sic in literas digessisti, vt aut ipse manu scriberes, aut ore dictares. Vnde igitur factũ est, vt os meũ dilectionem dictando parere non possit, quam cor meum, ex tui oris dictatione concepit, quæ est inops opulentia, vel opulenta inopia, vt eo minus mihi sermo sufficiat, quo me magis affectus instigat: & quod ideo loquor, quia delector, minus eloquar quàm delector. Quid rogo est hoc, quod eloquio significare volo, nec valeo? Nimirum aliquid est, quod sic corporali eloquio stilóve significatur, vt tamen non corporaliter, sed spiritaliter habeatur. In spiritalibus autem donis, primus fructus est charitas. Vnde non inordinatè eam vas electionis ita posuit: Fructus autem spiritus est, Charitas, gaudium, pax, &c. Alio quoque loco, præcipuum quiddam cælestium voluit significare charismatum, cùm diceret: Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Hæc

Charitas primus fructus spiritaliũ donorũ Gal. 5.

Rom. 5.

charitas

charitas, quam spiritus sancti dono, cùm indigni essemus, accepimus, tam bona, tam sancta, tam immensa est: vt eam etiam qui habet in corde, nunquam possit sermonibus explicare. O qualis charitas: multum miranda, multum laudanda, multúmque diligenda. Veruntamen non omnes qui charitatem mirantur & laudant, statim diligunt charitatem. Et ideo, nisi eam quisque diligat, nihil ei proderit, quòd eam miratur & laudat. Tunc autem fructuosa est admiratio charitatis & laudatio, si non desit in admirante atq; laudante dilectio. Sed nunquid sicut eam possunt admirari atque laudare, qui eam non habent, ita possunt eam diligere, qui eam necdum habent? Nequaquam. Charitas quippe ipsa est dilectio. Quomodo autem dilectionem iam diligit, qui dilectionem habere non cœpit? Nam ecce multa visu corporeo videmus, vbi non hoc est ipse visus, quod est illud quod eo videmus: quia illud est sensus quo videmus, illud autem sensibile, quod videmus. Et cum illud, quod videtur, ab oculis tollitur, si sanitas inest oculis, sic illud quod videbatur, à sensu videntis aufertur, vt ipse sensus à vidente nullatenus auferatur. Ita fit, vt videndi sensus in homine maneat, quamuis ab eo quod videbatur visus ipse discedat. At cùm charitas diligitur, quia nõ nisi dilectione diligitur, non potest homo tanquam oculum corporis à quacunq; re visibili sic à charitate intentionem auertere dilectionis, vt possit & charitatem non diligere, & dilectionem habere. Charitas quippe, id est, dilectio, nullatenus diligitur, nisi dilectio habeatur, qua ipsa dilectio diligatur. A seipsa igitur dilectio diligitur, quia tunc diligitur, cùm habetur, nec diligitur nisi habeatur. Equidẽ potest diligi à nobis etiam cum petimus, vt augeatur in nobis: sed non diligit eius augmentum, qui non habet initium. Non ergo sic charitas diligitur, sicut nũmus aut aliquid

Charitatem non diligit qui eam nõ habet.

Non diligitur charitas sicut pecunia.

eiusmodi. Potest enim quisque vnum non habere nummum, & multitudinem diligere ac desiderare nummorum. Diligit ergo iste nūmorum multitudinem, cùm ne vnius quidem nūmi habeat facultatem. Apud se vnum nummum non inuenit, & foris nummos innumerabiles quærit. Hoc & in cæteris rebus corporis inuenimus, vt aliquid eorum possit diligi, ita, vt hoc ipsum quod diligitur, nulla ex parte habeatur. Est tale quiddam & in plerisque spiritalibus donis. Velut si quis diligat (verbi gratia) vt habeat prophetandi donum, quod nullus negat, inter dona spiritalia literis Apostolicis contineri. Alij quippe datur per spiritum sermo sapientiæ, sicut Vas electionis affirmat. Alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, Alteri fides in eodem spiritu, Alij gratia sanitatum in vno spiritu, Alij prophetia, Alij diiudicatio spirituum, Alij genera linguarum, Alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atq; idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Cùm igitur, vt de cæteris taceamus spiritalibus donis, possit diligi prophetia, nec haberi: Charitas tamen non habetur, si non diligatur: nec diligitur, si non habeatur. Ideo cætera sancti spiritus dona, id est, lingua, prophetia, sacramentorum scientia, fides, facultatis in pauperes distributio, corporis quoque ipsius exustio, possunt hæc haberi sine voluntate bona: Ad hoc scilicet, vt habentem onerent, non honorent. Charitas verò sine bona voluntate non potest haberi: quia voluntatem, in qua charitas fuerit, malam fieri nō permittit. Charitas enim nec agit perperam, nec cogitat malum. Et quia non gaudet super iniquitate, necesse est, vt in qua est, bonam faciat voluntatem. Maleuolus ergo animus non impendit charitatē alteri, quia non habet sibi. Cùm autem cœperit habere exordiū, vt ita dixerim, charitatis, nec maleuolus potest esse nec sterilis. Et quia donec permanet in

Non diligitur charitas sicut alia dona spiritus.

1. Cor. 12. Cætera dona sine bona volūtate haberi possunt, charitas nequaquam.

1. Cor. 13.

net in charitate, in Deo permanet, & Deus in illo manet, semper habebit, si eam semper impenderit. Quando autem eam non impenderit, non habebit. Proprium est enim charitatis, quod ad cursum præsentis attinet vitæ, vt in eo qui eam erogat, crescat: ab eo autem, qui sibi tātum habere voluerit, sine dilatione discedat. Ille igitur eam magis habebit, qui libenter impenderit. Quia sicut eam nec impendere potest nec habere maleuolus: sic nec habet eam quisquam, nec impendit inuitus. Homo ergo beneuolus, est domicilium charitatis. Hoc autem nomē, id est, beneuolus, ex bene & velle compositum est. Si ergo alteri quisquam male velit, inquantum male vult, beneuolus non est: ac per hoc maleuolus est. In maleuolam autem animam non introibit sapientia. Maleuolus autem homo ille propriè dicitur, non omnis qui vel sibi vel alteri contrarium aliquid cupit aut poscit, sed qui nocendi voluntatem gerit, sine bonum sine malum possit esse quod cupit. Voluntas autem vel bona vel noxia non ex officio, sed ex fine rei est cuiusque pensanda: quia non ex eo quod facit, sed ex eo propter quod facit, qualitatem sua quisque voluntatis ostendit. Nam & Paulus contrarium sibi aliquid volebat, cùm posceret, vt ab eo stimulus auferretur, quem salubriter aduersus vitium elationis acceperat: nec tamen habuit maleuolam mentem, quamuis vtilitati sua contrariam gereret voluntatem. Vt enim à se stimulū, quo colaphisabatur, rogaret auferri, salutem corporis sui plus volebat prædicationi prodesse quàm sibi: non quærens, quod sibi vtile esset, sed quod multis, vt salui fierent. Illis ergo volebat prodesse sospitatē suam, quibus suam prodesse sciebat & vitam. Denique cùm desiderium haberet dissolui, & esse cum Christo, quod esset multo melius: sciebat tamen manere in carne, necessarium esse, propter illos, in quibus Apostolatus ministrabat officium. Charitas ergo eum

Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

Sapient. 1.

Voluntas bona, nō ex officio sed ex fine est.

2. Cor. 12. b

*Christi vrgebat, siue cùm à se stimulum rogaret auferri, siue cùm in carne quamuis aliud desiderans, cuperet immorari. Coartabatur enim latitudine Charitatis, vt & cum Christo desideraret esse, & officium vellet piæ necessitatis implere. Charitatem igitur vtrobiq; dilexit, quam semper bona voluntate * sperauit. Quisquis itaq; secundum charitatem (quæ Deus est) diligit fratrem, ipsam in eo quammaximè diligit charitatem. Ideo cùm saluator noster Apostolos suos nouo dignaretur innouare mandato, dicens: Mandatum nouum do vobis, vt inuicem diligatis, iubens per se fraternitatem diligi: ipsam quoque charitatem fraternitatis per Apostolum Paulum præcepit diligendam. Christo enim in se loquẽte, gentium Magister vult nos dilectionem habere sine simulatione, odientes malum, adhærentes bono, charitatem fraternitatis inuicem diligentes. Hinc est, quòd in vndecimo Confessionum libro egregius ille doctor, Beatus scilicet Augustinus, cùm Deo amorem suum, quem vt eum diligeret, ab ipso acceperat, confiteretur, ait: Iam dixi & dicam, amore amoris tui facio istuc. Psalmum quoque centesimum duodeuigesimumq; exponens, cùm illius loci intelligentiam explanaret, vbi dicitur: Incola ego sum in terra, ne abscondas à me mandata tua, post aliqua sic ait: Quid autem diligendum diligitur, si ipsa dilectio non diligatur? Vnde consequenter iste incola in terra, cùm Dei mandata ne sibi absconderentur, oraſſet, in quibus dilectio præcipitur, vel sola, vel maxima, & ipsius dilectionis dilectionem se velle habere proclamat, dicens: Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Nónne tibi videtur apertè de propheticis atq; Apostolicis dictis tractata B. Augustini de diligenda dilectione sententia? Quocirca dilectio Dei & proximi, quæ plenitudo legis, finisq; præcepti est, & in Deo charitatẽ diligit,*

* spirauit.

In dilectione proximi diligitur & charitas. Ioan. 13. Rom. 12. c

D Augustin. Cõfess. lib. 11. cap. 1.

Idẽ in Psal. 118. Concione octaua.

Dilectio Dei & proximi ex vera charitate.

diligit, quæ Deus est, & in proximo charitatem diligit, quæ ex Deo est. Tunc enim rectè Deus proximusq; diligitur: si & in Deo & in proximo ipsa charitas diligatur. Ita fit, vt & in Deo ipsum Deum, & in proximo Deum sine dubio diligamus. Neq; enim frustra post dilectionem Dei, non alia nisi proximi sola nobis est mandata dilectio: scilicet vt agnoscamus illam creaturam nos debere diligere, vbi charitatem ipsam possumus inuenire. Omne namq; animal irrationale, sicut non habet rationem, sic non habet charitatẽ. Nec aliud mihi videtur esse ratio præcipua, quã competens atq; ordinata dilectio, quæ ab homine soli Deo debetur ex proximo. Vide sanctè frater, quàm prolixum tecum conserui de charitate sermonẽ, dum nimis in te ipsam diligo Charitatẽ: quam vtiq; ipse quoque in nobis diligis. Nec ob aliud, nisi quia hanc in nobis sic amas, qua dono Dei plenus es, vt etiam quos diligis, similiter plenos esse desideres. Hoc ergo superest, vt quia nos pure diligis, instanter pro nobis orare digneris: vt Deus qui nos prior dilexit, & dedit nobis charitatem, qua diligatur à nobis, sicut nõ habentibus, ipse eam, gratia præueniẽte, largitur: sic in nobis omnes reliquias mundanæ cupiditatis absumat, & nos spiritu seruientes in charitate perficiat. Illiusq; nos faciat beatitudinis compotes, in qua sicut nulla est delectatio praua, sic nulla mors timetur ex pœna: vbi nihil quisquam ex carnis fragilitate perpetitur, sed ab omnibus sanctis in Dei et proximi perfecta semper charitate regnatur. Orantẽ pro nobis sanctitatem tuam clemẽtia diuina custodiat, quod opto domine sanctè ac beatissime frater. Dominus Ianuarius sanctitatem tuam toto salutat puritatis & plenæ rationis affectu. Benedictionẽ à vobis directam tota cum exultatione susceptì. Libros, sicut præcepistì, ad Monimum datos, in quaternionibus destinaui, in quibus, si aliquid placuerit, vtinã veritatis

Conclusio libri, vt ex charitate pro nobis inuicem oremus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& non solum amoris esse cognoscam. Hi sunt igitur meæ paruitatis oblatio, quam vobis faciet puritas vestri cordis acceptam. Suggestione fratris communis accepta, quæso, vt adiutrix adsit vestræ charitatis industria. Obsecro vt libros, quos opus habemus, serui tui describant de codicibus vestris.

D. FVLGENTII EPISTOLA SEXTA, AD THEODORVM Senatorem, De conuersione à seculo.

CAPVT I.

Occasio referendæ epistolæ ex amicis.

DOMINO *illustri, & meritò insigni, ac præstantissimo filio Theodoro, Fulgentius seruorum Christi famulus, in domino salutem. Vt ignotus corpore videar epistolari tibi meam notitiam inferre sermone, quæso ne impudentiæ deputes, néve importunitati opus charitatis adsignes. Adscribendum namq; primum Sancti fratris Romuli dulcis epistola, deinde fratrum exinde venientiũ, qui à vobis in Domino benignè susceptí sunt, eo me magis suasio compulit, quo vestri spiritalis propositi cognitio libentius inuitauit. Retulerunt quippe quod Christi compulsus affectu, nostri nominis in colloquio benigne feceris mentionem, dicens: te nostra epistola delectari. Libens igitur feci, quod te velle libenter agnoui, malens inculti videri sermone, quàm esse frigidus charitate, domine illustris & meritò insignis ac præstantissime fili.*

CAPVT II.

Verus triũphus ex cẽptu mũdi de diabolo.

ITaque *multum gaudeo, quod iam secularis dilectionis nexibus non teneris, & mundum contemnendo calcas, à quo cum cum diligeres, calcabaris. Nunc vero Consulatu*

sulatu proueheris, nunc fœlici triumpho certissime sublimaris: non cui populus Romanus applaudat, sed cui angelicus cœtus adgaudeat. Beatus es, quia hoc non caro & sanguis reuelauit tibi, sed ille pater qui est in cælis, inter quos calos & tu factus es calum. Quantum putas inesse luctum diabolo, quod à te contemptum perspicit mundum, & te conuersum cognoscit ad Christum? quod te videt ea in quibus videris esse deserere, & ab amore temporalium terrenarumq; rerum, ad illa cælestia & æterna, iam corde migrare? Quamuis enim Christus æqualiter sit pro cunctis fidelibus mortuus, & æquale cunctis beneficium redemptionis impenderit, (dicente Apostolo: Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis: Non est seruus neque liber, Non est masculus neque fœmina, omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu:) Tamen conuersio potentium seculi multum militat acquisitionibus Christi. Gal. 3. d

CAPVT III.

Exempla optimatum trahũt post se multitudinem.

SIcut *enim multi fratres & amici, clientes & subditi, noti pariter & ignoti, talium authoritate, ad mundanæ dilectionis excitantur ardorem, & eo magis igne secularis concupiscentiæ succenduntur, quo sublimes seculi dilectione mundana libenter captiuos teneri conspiciunt: Ita quotiens ille, qui respicit in terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigabunt, dum terrenis rebus intẽta corda misericorditer respicit, & consideratione iudicij sui tremere compellit, dumq; contingit superba corda sublimium, velut altitudines montiũ, vt confessione fumigent peccatorum, in talium tremore plurimi contremiscunt, & in taliũ conuersione multi ad subsidium miserationis diuinæ confugiunt. Ita fit, vt qui sunt in seculi culmine constituti, aut plurimos secum perdant, aut secũ multos in via salutis ac-*

quirant. Magna tales aut pœna manet, si multis præbeant malæ imitationis laqueum: aut gloria, si multis ostendant sanctæ conuersationis exemplum.

Vtile exẽplum ex cõuersione maiorum.

CAPVT IIII.

QVis enim nõ paruam despiciat cellam, quando Senator domum despicit marmoratam? Quis non terrena contemnens ad acquirenda cælestia sibi consulat, quando ad cælum Romanus Consul terrenorum contemptu festinat? Verè in te illud, quod Propheta cecinit, opere videmus impleri: Hæc est mutatio dexteræ excelsi. Quis enim in te hoc operari potuit, nisi ille, qui ordinem mutabilium rerum, secundum incommutabile nouit regere ac dispensare consilium? Quia vt singula pro oportunitate temporum, pro varietate causarum, vel in deterius vel in melius commutentur, illius incommutabili consilio fit, qui nec melioribus rebus, nec deterioribus commutatur. Neque enim habet vbi proficiat ipse in melius, aut vnde in deterius deficiat. Ille quod est, semper est, & sicut est, ita est, non in se habet non esse posse, quod est, quia nec in se habet esse posse, quod non est. Et hoc quod sic est, non initio præuenitur, non fine concluditur, non temporibus voluitur, non locis continetur, non ætatibus variatur. Nihil ibi deest, quia totum in illo est. Nihil ibi superest, quia nihil præter illum est. Si qui ergo rerum temporalium & mutabilium amore contempto, in illius dilectionem transeunt, in ipso erunt pleni, in quo nihil indigetur: in eo securi, in quo nihil metuitur: in eo verè sempérque gloriosi, cuius vera & sempiternæ gloria nec aufertur, nec minuitur, nec augetur. Quis non illius vitæ desiderio, præsentem vitam despiciat? Quis non illius abundantiæ delectamento, diuitias temporis labentis exhorreat? Quis non illius regni dilectione, omnia terrena regna contemnat?

Psalm. 76. c

Qualis vita æterna.

Illam

Illam ergo vitam tunc accipiemus, si huic nos vitæ mortuos æstimemus: & illas diuitias tunc possidebimus, si hic pauperes spiritu viuamus: & ad illius regni culmen tunc perueniemus, si hic humilitatem, quam Deus ille Magister docuit, vero corde teneamus.

CAPVT V.

TAlibus mortuis dicit Beatus Apostolus: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria. De talibus etiam pauperibus ipse dominus loquitur dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorũ est regnum cælorum. De talibus quoq; humilibus dicit: Quoniam qui se humiliauerit, exaltabitur. Et alio loco: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Hanc humilitatem non habent, siue qui mundum diligunt, seu qui suis viribus assignant, cùm ea quæ sunt in mundo contemnunt.

Coloss. 3. Beati mortui pauperes & humiles in hoc seculo. Matth. 5. Luc. 14. c & 18. c Matth. 11.

CAPVT VI.

HÆc duo superbiæ genera, vno versiculo spiritus sanctus designauit in psalmo, dicente Dauid: Qui confidunt in virtute sua, quiq; in abundantia diuitiarum suarũ gloriantur. In abundantia enim diuitiarum suarum gloriantur, qui sic diuitias suas diligunt, vt in ipsis summã beatitudinis collocent. In sua vero virtute confidunt, qui sic contemnunt diuitias, vt ipsum contemptum viribus suis assignent. Ac per hoc vtrique superbi sunt. Illi, quia in diuitijs confidunt, non in Deo: Isti autem, quia quod diuitias spernunt, sibi volunt assignare, non Deo. Illi, quia quod benè diligi non potest, malè diligunt: Isti, quia quod bene sperni potest, non bene spernunt. Ac per hoc, illi malum malè faciunt: isti, bonum malè operantur. Proinde, quoniam domino in te misericorditer operante, iam didicisti, in abundantia diuitia-

Psalm. 48. Qui in abundantia diuitiarum suarũ gloriantur.

Ne superbiat homo de virtute sua.

rum tuarum non gloriari: hoc superest, vt non confidas in virtute tua, id est, ne deputes viribus tuis, quod seculi facultates diuitiasq; contenis, quòd honores mundi pro nihilo ducis, quod desiderio regni celestis accenderis, quòd viam mandatorum Dei currere delectaris. Hæc enim omnia nullatenus haberes, nisi à Deo munere gratuitæ donationis acciperes. Non hoc homini dat natura, sed gratia: Non hoc ex qualitate conditionis humanæ habetur, sed ex benignitate diuinæ illuminationis acquiritur. Homo quidem sic à Deo factus est, vt hæc habere possit: sed habere non potest, nisi dono Dei miserantis acceperit. Nam & oculus sic factus est, vt videre lumen possit: sed videre non potest, nisi se illi lumen infuderit. Quod ergo videt oculus, beneficium est luminis: quo si caruerit, cæcus remanebit in tenebris. Non omne, quod aliquid esse potest, iam hoc est quod esse potest, cui naturaliter hoc est esse posse quod semper est. Hic autem vnus Deus ipsa Trinitas est, id est, pater, & filius, & spiritus sanctus: qui solus est omnium rerum creator, quia solus à nullo creatus est. Omnia vero, quoniam ab illo creata sunt, non de illo, naturaliter & detrimento subiacent & cremento. Vt ergo quædam in deteriora non recidant, gratia eius gubernat: & vt quædam ad meliora conscendant, gratia ipsius eleuat: & vt in æternum permaneant, ipsa gratia viuificat & conseruat.

CAPVT VII.

Gratia Dei semper poscenda, quia & velle & perficere dat.

HVius gratiæ adiutorium semper est nobis à Deo poscendum: sed ne ipsum quod poscimus, nostris viribus assignemus: neque enim haberi potest ipse saltim orationis affectus, nisi diuinitus fuerit attributus. Vt ergo desideremus adiutorium gratiæ, hoc ipsum quoque opus est gratiæ. Ipsa namque incipit infundi, vt incipiat posci: Ipsa quoque amplius infunditur, cùm poscentibus datur. Quis vero potest gratiam poscere, nisi velit? Sed nisi in eo Deus ipsam voluntatem operetur, velle nullatenus poterit. Propter quod Beatus Apostolus, non solum bona opera hominum, sed etiam bonam voluntatem Deum in nobis operari testatur, dicens: Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Hoc est quod sollicitudinem fidelibus humilitatémque commendans, præmisit, dicens: Cum timore & tremore vestram salutem operamini. Et ibi adiecit: Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Vt ad cum quoque veniamus, currimus: & ideo currimus, quia currere volumus.

Philip. 2. b

CAPVT VIII.

Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Rom. 9. e

SEd ne vel voluntatem vel ipsum cursum assignemus viribus nostris, idem non informat Apostolus, dicens: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Quocirca, vt in his bonis, quæ à Deo accepisti, permaneas & proficias, vt nec in via remaneas, nec retro redeas, nec in dexteram sinistrámve diuertas, quicquid habes bonæ voluntatis, vel bonæ operationis, Deo assigna qui dedit: & ipsum humiliter roga, vt & conseruet & augeat quod donauit. Nihil tibi boni tanquam tuum assignes, ne non accipias, quod accipere poteras, & quod acceperas, perdas. Detestabilis est enim cordis humani superbia, qua facit homo, quod Deus in hominibus dãnat: sed illa detestabilior, qua sibi tribuit homo, quod Deus hominibus donat. Tanto enim deterioris tenetur iste superbiæ reus: quanto in melioribus donis existit ingratus. Damnabilis est, qui substantia seculi malè vtitur: sed damnabilior, qui spiritalibus donis superbus effertur.

CAP.

CAPVT IX.

Humilitas animi, sublimitas est Christiani.

CRescat igitur in te humilitas animi, quæ vera est & integra sublimitas Christiani: & tanto magis in te cognosce Dei gratiam crescere, quãto magis tibi humilitatem cordis videris abundare. Quam vt semper habeas, in qua vt semper proficias, cum timore & tremore tuam salutem operare. Nec lectio desit operibus bonis, nec bona opera desint studio lectionis. Bona coram Deo & hominibus prouide. In scripturis sanctis studiũ tui cordis impende. Et ibi si fueris, qui sis, quiq; debeas esse cognosce. Ad has si humilis & mitis accesseris, ibi profecto inuenies & præuenientem gratiam, qua potest elisus surgere: & comitantem, qua viam recti queat itineris currere: & subsequentem, qua valeat ad regni cælestis beatitudinem peruenire. Sanctam multumq; in Christo venerabilem matrem vestram, quæ tuo spiritali studio Christiana fide, & verè materna charitate concordat, sed & venerabilem sororem tibi iam in Christo coniugem tuam, obsecro, salutare digneris. Inseparabilis Trinitas protectione vos virtutis suæ custodiat, quod opto, Domine illustris fili.

D. FVLGENTII EPISTOLA SEPTIMA, AD VENANTIAM,

De recta pœnitentia, & futura retributione.

CAPVT I.

Prologus de arbore bona ferẽte bonos fructus.

DOMINÆ illustri, & meritò venerabili, filiæ Venantiæ, Fulgentius seruorum Christi famulus, in Domino salutem. Sicut vera lux nullatenus obscuratur, ita nunquam veritas æterna mentitur. Lux autem et veritas Deus est, de quo scriptum

scriptum est: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ipsa quoque lux & veritas dicit: Ego sum lux mundi. Et rursus de se ait: Ego sum via, veritas, & vita. Ipsius ergo doctrina monemur, quia arbor bona bonos facit fructus. Et quia ex fructibus arbor agnoscitur, in ipso te, domina illustris & merito venerabilis filia, cùm scis ignota, iam scio, in ipso tibi, cùm sis tam procul constituta, congaudeo. Per epistolam siquidem clarissimi filij mei Iunilli, propositum simul & studium tuæ Christianitatis agnoui, qui mihi gratiam, quam tibi largitus est Deus, in tantum significare curauit, vt in suis literis tuæ quoque salutationis mihi demonstraret indicium. Hoc procul dubio non feciſſes, nisi Christum tota puritate mentis in suis famulis dilexisses. Nec incognitum seruum tam benignè in domino salutares: nisi dominum pio corde gestares. Gratias illi, qui multiplicat gaudium nostrum de charitate fidelium. Ioan.1. Ioan.8. Ioan.14. Matth.7.c

CAPVT II.

IPse est charitas, quæ credentes perducit ad Deum, quia ipsa charitas est Deus. Vnde Ioannes Apostolus dicit: Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo manet. Hæc vbi habitare cœperit, non permittit dominari peccatum, sed cooperit multitudinem peccatorum. Nec solum præsentia peccata facit * vetari, quinetiã præterita omnia relaxari. Hanc superbi contumaceq; repudiant, qui de peccatorum remissione desperant. Et non solum salutis suæ curam miseranda cæcitate reijciunt: quin etiam fideles animas, si peruertere nequeunt, perturbarè mortiferis sermonibus non quiescunt. His etenim plerunque, aut peccatorum immanitas, aut ætatis nequiter peractæ longæuitas, spẽ salutis adimit, & ad deteriora perpetranda compel- 1. Ioan. 4. Bonũ charitatis multiplex cõtra peccata. * vitari,

compellit: Ita vt in talibus illa sanctæ scripturæ sententia compleatur, Peccator cùm in profundum malorum venerit, contemnit. Et vere malorum profunditas necat, si quos desperatio indulgentiæ detestanda cordis obduratione præiudicat.

Prouc.18.a

CAPVT III.

QVis enim non videat, quàm sit impium, quámque sacrilegum, si homini per pœnitentiã præteritorum malorum ad bona cõuerso credatur cuiꝰquam peccati dari non posse remissio? Quid autẽ aliud his verbis agitur, nisi vt omnipotentis medici manus, sub humanæ salutis effectu, desperationis vitio repellatur? Ipse quippe medicus ait: Non indigẽt, qui sani sunt, medico: sed qui male habent. Si peritus est medicus noster, omnes potest infirmitates sanare: Si misericors est Deus noster, vniuersa potest peccata dimittere. Nõ est perfecta bonitas, à qua non omnis malitia vincitur: nec est perfecta medicina, cui morbus aliquis incurabilis inuenitur. Scriptũ verò tenetur in literis sacris, Sapientiã autem nõ vincit malitia. Et omnipotentia medici nostri talibus in Psalmo sermonibus intimatur: Benedic anima mea dominũ, & omnia interiora mea nomen sanctũ eius. Benedic anima mea dominum, & noli obliuiscì omnes tribulationes eius. Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, Qui sanat omnes lãguores tuos, Qui redimit de interitu vitam tuã, Qui satiat in bonis desideriũ tuum, Qui coronat te in miseratione & misericordia, renouabitur sicut aquila iuuentus tua. Quid rogo nobis putemus remitti nõ posse, cùm propitius fit dominus omnibus iniquitatibus nostris? Aut quid in nobis æstimamus sanari nõ posse, cũ dominus sanet omnes languores nostros? Aut quomodo sanato & iustificato, indigẽtiæ aliquid relinquit, cuius desiderium in bonis satiatur? Vel quatenus plena remissionis beneficio potiri nõ creditur, cui etiam corona in miseratione & misericordia condonatur? Nemo igitur de medico desperans, in infirmitate remaneat: nemo misericordiã Dei minorãs, in iniquitatibus cõtabescat. Apostolus clamat: Quia Christus pro impijs mortuus est. Ipse itidẽ dicit: Quia Christus Iesus venit in mundum, peccatores saluos facere.

Matth 9. Luc.5.

Nequaquã de Dei misericordia desperãdũ.

Sapien.7.d

Psal.102.a

Rom.5.a

1.Tim.1.

CAPVT IIII.

SEd forsitan dicitur, illos peccatores posse saluos fieri, qui post peccata merentur baptismatis ablutione mundari: deinceps autẽ peccata, quæ videtur baptizatus admittere, irremissibilia permanere. Nunquid non baptizatis loquebatur Ioannes Apost. quibus dicebat, Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis? Et si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrẽ Iesum Christum iustum: & ipse est exoratio pro peccatis nostris. Qualecunq; sit ergo peccatum, à Deo quidem potest remitti conuerso: sed ille sibi remitti non sinit, qui desperando contra se indulgentiæ ostium clauserit. Cæterum veritas non mentitur, quæ dixit, Quærite, & inuenietis: Petite, & accipietis: Pulsate, & aperietur vobis: omnis enim qui quærit, inuenit: qui petit, accipit: & pulsanti aperietur. Vnde & propheta sanctissimus Esaias, ad remissionem peccatorum nullatenus desperãdam, impios & iniquos hortatur, dicẽs: Quærite dominum, dum inueniri potest: inuocate eum dum prope est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationem suam: & conuertatur ad dominum, quia multus est ad ignoscendum. Relinquat ergo impius viam suam, qua peccat: relinquat iniquus cogitationem suam, qua de peccatorũ remissione desperat: et secundum Prophetæ dictum, conuertatur ad dominum, quia multus est ad ignoscendũ. In hoc multo nihil deest, in quo est omnipotens misericordia, & omnipotentia misericors est. Tãta est autem & benignitas omnipotentiæ, & omnipotentia benigni-

Obiectio de non baptizatis.

1.Ioan.2.

Quærite & inuenietis. Matth.7.b

Esaiæ 55.b

Multus est ad ignoscẽdum Deus.

benignitatis in Deo, vt nihil sit quod nolit aut non possit relaxare conuerso.

CAPVT V.

Salubris cõuersio in duobus cõsistit.

SAlubris autem conuersio duplici ratione consistit: si nec pœnitentia sperantem, nec spes deserat pœnitentem: ac per hoc, si ex toto corde quisquam renuntiet peccato suo, & toto corde spem ponat remissionis in Deo. Etenim nonnunquam aut spem pœnitenti homini diabolus adimit, aut speranti pœnitentiam tollit. Vnum, dum onerat comprimit: alterum, dum eleuat, deijcit.

Desperatio Iudæ, pœnitentia sine spe. Matth. 27.

Iudas qui Christum tradidit, peccati sui pœnitentiam gessit: sed salutem perdidit, quia indulgentiam non sperauit. Denique sic de illo Euangelista loquitur: Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quia damnatus est, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo, secessit, & abiens, laqueo se suspendit. Dignè quidem pœnitentiam gessit, quia peccauit, tradens sanguinem iustum: sed ideo sibi fructum pœnitentiæ denegauit, quia peccatum traditionis suæ, ipso, quem tradidit, diluendum sanguine non sperauit.

CAPVT VI.

* vana Spes sine pœnitentia vana est præsumptio Roma 3. b

PLerosq; sub * vna spe indulgentiæ in peccatis diabolus tenet, & compellit eos Dei iustitiam nõ metuere, quos inaniter suadet de Dei bonitate gaudere. Tales dicunt secundum Apostoli obiurgationem, Faciamus mala, vt veniãt bona: quorum damnatio iusta est. His indicijs euidenter agnoscimus, inaniter hominẽ pœnitere, si dum pœnitentia geritur, indulgentia desperatur: & frustra indulgentiam sperari sine peccatorum pœnitentia. Ac per hoc, nec sub spe remissionis debet aliquis peccare securus: nec peccatorum suorum considerãs multitudinem, remanere catena desperationis obstrictus. Hortatur enim nos scriptura sancta, vt peccare iam desinamus, nec desperemus nobis remittenda quæ fecimus. Dicit quippe: Fili peccasti, ne adijcias iterum: sed & de præteritis deprecare, vt tibi dimittantur. Vtrumque sancta scriptura præmonuit, & ostendit, quod nec in peccato debeamus remanere, nec de remissione cuiuslibet iniquitatis ambigere. Cur enim iubetur, ne adijciamus peccata peccatis, si est in peccato manendum? Aut cur iubetur, vt de præteritis deprecemur, vt nobis dimittantur, si sunt aliqua, quæ deprecantibus dimitti nullatenus possunt? An forsitan temporum cuiquam potest prodesse longæuitas, vt sicut peracto tricennali spatio, nullus sinitur legibus humanis ablata repetere: sic legibus diuinis, post longa peccandi spatia, non liceat indulgentiam postulare? Absit, vt hoc sit in Deo nostro, quod in litibus habet humana conditio. Deus etenim noster sic est misericors & bonus, sicut infinitus est & inuictus. Proinde bonitas inuicti non vincitur, & infiniti misericordia non finitur.

Eccles. 21. a

CAPVT VII.

Omne tẽpus præsentis vitæ conuersioni apt um est.

DEnique omne vitæ præsentis tempus conuersioni demonstrat aptissimum, dicens: Iniquus, si se conuertat ab omnibus iniquitatibus suis quas fecit, & custodierit omnia mandata mea, & faciat iustitiam & misericordiam: vita viuet, & non morietur. Omnia delicta eius, quæcunque fecit, non erunt in memoria. In sua iustitia quam fecit, viuet. Nunquid voluntate volo mortem peccatoris, dicit Dominus, quàm vt auertatur de via sua mala, & viuere eum? Cum se autem auerterit iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, secundum omnes iniquitates quas fecit ille iniquus, omnes iustitiæ eius, quas fecit, non erunt in memoria. In delicto

Ezech. 18.

suo, quo deliquit, & in peccatis suis, quibus peccauit, in ipsis morietur. Et infra dicit: In eo cum conuertat se iustus à sua iustitia, & faciat delictũ, & moriatur in suo delicto quod fecit, in ipso morietur. Et in eo quod auertatur iniquus ab iniquitate sua quã fecit, & faciat iudicium & iustitiã, hic animã suam custodiuit, & auertit se ab omnibus iniquitatibus suis quas fecit, vita viuet & non morietur. Vtraq; sententia vera est, quia vtraq; diuina est, siue iustum, cũm auersus fuerit à iustitia sua, omnes iustitias eius obliuioni tradendas: Siue iniquum, cùm ab iniquitate fuerit conuersus ad iustitiam, ipsum saluandum, & omnes iniquitates eius in memoria non futuras. Iniquum vero est, si putemus iniquum quandoque conuersum, non posse saluari. Iustus est Deus & misericors. Sicut ergo potest per iustitiam dãnare auersum, sic potest per misericordiam semper saluare cõuersum. Nulla prolixitas temporis vel æquitati diuinæ vel pietati præiudicat. Pœnitentia nunquam est apud Deũ sera, in cuius conspectu semper pro præsentibus habẽtur tam præterita quàm futura. Si diuturnitas peccatorum Dei vinceret misericordiam, non in ætate mundi nouissima Christus veniret, vt peccatum mũdi pereuntis auferret. De quo dicit Ioannes: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Et ipse Saluator de se, Venit enim filius hominis quærere & saluare quod perierat.

Ioan. 1.d

Lucæ 19.

CAPVT VIII.

Lucæ 10.f Parabola de Samaritano & vulnerato.

SAmaritanus noster nunquam vulneratum ad stabulum misericorditer impositum iumento perduceret, si aliquod in eo vulnus insanabile iudicaret. Nunquam duobus denarijs datis, redditurum se, quicquid supererogaret, stabulario spopondisset: si supererogationem illam non plenæ sanitati prænosceret profuturam. Vt quid enim stabularius aliquid supererogat, si est in saucio vulcio vulnus quod curari non valeat? Sicut ergo medico nostro nulla est incurabilis plaga: ita nec in aliquo vulnere, nec in aliquo tempore, cælestis potest deficere medicina. Ideo ipse medicus, semper se posse conuerso salutem donare testatur, dicens: Cùm conuersus fueris, & ingemueris: saluus eris. Propter quod duritiam quorundam sic per Hieremiam Deus non definit increpare: Nunquid qui cadit, non resurget? aut qui auersus est, non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Hierusalem auersione contentiosa? Induerauerunt cernices suas, noluerunt reuerti. Non punit Deus in peccatore peccata, si peccatoris ceruix non fuerit indurata.

Esaiæ 30.d secundum Septuaginta.

Hier. 8.b

CAPVT IX.

BOnum nobis est igitur, si ad eius misericordiam confugiamus, cuius effugere iustitiam non valemus. Ipsa enim iustitia Dei talis est, vt auersos damnet, conuersos saluet. Propter quod dicit: Conuertimini ad me, & saluabo vos. Semper autem delectatur conuersione nostra, nec tempus huiusmodi, quamdiu in hac vita est, posuit, quo propitiari conuerso non possit. Imô tempus omne præsentis vitæ conuersioni nostræ cognoscitur deputasse. Beatus enim Petrus dicit, Non tardat Dominus promissum suum, sicut quidam tarditatem existimant: sed patienter fert propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti.

Iustitia Dei conuersos saluat, auersos dãnat.

Esaiæ 45. d

2. Petr. 3.

CAPVT X.

SI aliquam ætatem iudicaret Dominus conuersionis remedio ineptam, non diuersis temporibus operarios vocaret ad vineam. In diuersitate quippe horarum, non incongruè accipitur ætatum diuersitas: ita vt ætas puerilis accipiatur in mane, pubertas in tertia,

Matth. 20. Parabola de operarijs in vinea.

Universidad de Deusto Biblioteca

iuuentus in sexta, grauitas declinantis ætatis in nona, & in vndecima senilis ætas ipsa nouissima. In quacunque igitur quis ætate vocatus, si benignitatem vocantis Domini non spernat: necesse est denarium vitæ perennis accipiat. Neq; enim non semper delectatur conuersione

Ioelis 2. *nostra, de quo nobis clamat Iohel propheta: Hæc dicit dominus Deus vester, Conuertimini ad me ex toto corde vestro, in ieiunio & in fletu, & in planctu: & discrumpite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad dominum Deum vestrum: quia misericors & patiens est, & magnanimis, & multum misericors, & patientiam habens in malis. Propter quod Apostolus Paulus duritiam cordis increpat in his, qui pœnitentiam suorum negligunt agere peccatorum. Dicit enim:*

Deus semper delectatur conuersionenostra *Propter quod inexcusabilis es, ô homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas. Eadem enim agis quæ iudicas. Scimus autem, quoniam iudicium Dei est, secundum veritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc ô homo omnis qui iudicas*

Rom.2. *eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam & impœnitẽs cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua. Alio quoque loco non tam plangit qui peccare grauiter videbitur, quàm eos, qui peccatorum suorum pœnitentiam gerere noluerunt. De-*

2.Cor.12.g *nique dicit Corinthijs: Ne iterum cùm venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his qui ante peccauerũt, et non egerunt pœnitẽtiam super immunditia & fornicatione, & impudicitia quam gesserũt. Nec immerito luget Apostolus qui pœnitentiam non agunt:*

Luc.15.b *scit enim plus esse gaudiũ coram angelis Dei super vno*

peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, quibus non est opus pœnitentia. Dignè igitur illos pro impœnitentia cordis luget Beatus Apostolus, pro quibus non gaudet angelicus chorus.

CAPVT XI.

Varijs modis nos ad pœnitẽtiam vocat deus

BEnignitas ergo Dei ad pœnitentiam nos adducit: ideo nos tribulationibus affligit, infirmitatibus corripit, angustijs erudit: vt qui in sanitate corporis peccauimus, in infirmitate peccatis abstinere discamus. Qui in lætitia misericordiam Dei contempsimus, correpti flagello tristitiæ, iustitiam ipsius formidemus. Ita fit, vt qui nobis, abutendo sanitate, infirmitatem peperimus: per infirmitatem sanitatis beneficia reparemus. Et qui per lætitiam in tribulationes incidimus, per tribulationes ad lætitiam recurramus. Denique magis erga nos dilectionem Dei flagellis & correptionibus scriptura sancta testatur ostendi. Dicit enim, Fili, ne deficias Prouer.3. *in disciplina Domini, neque fatigeris, cum ab eo increparis: Quem enim diligit Dominus, corripit: flagellat* Hebr.12. *autem omnem filium quem recipit.*

CAPVT XII.

NAm & ipse saluator illos se dicit amare, quos arguit. Ego, inquiens, quos amo, arguo & castigo. Et Apocal.3.d *Apostolorum doctrina prædicare non cessat, quia oportet nos per multas tribulationes introire in regnum* Act.14.d *Dei. Ipse quoque Dominus arctam viam, & angustam* Matth.7.b *dicit esse portam, quæ ducit ad vitam.* Via quę ducit ad vitã. *Vt autem nouerimus illos qui gaudijs temporalibus oblectantur, & iussa diuina contemnunt, æternis ignibus concremãdos: Illos vero, qui mala temporalia cum timore Dei patienter tolerant, æterna quiete potituros. Attẽdamus diuitẽ purpuratum, & pauperem Lazarum: Illum post epulas* Luc.16.e

flammis perennibus traditum, istum post ærumnas in æterna sinus Abrahæ quiete securũ. Vbi cum stillã dines ardens digito beati pauperis linguæ suæ poscere inrorari, hæc ad eum beati Abrahæ protinus est directa responsio: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem cruciaris, hic vero requiescit. Non fuit alia causa, qua dives pœnas lueret, pauper gaudio potiretur ac requie: nisi quia ille bona recepit in vita sua, iste autem mala.

CAPVT XIII.

Non idem est bona præsentis vitę habere & recipere.

NOn omnes autem qui bona præsentis vitæ habent, bona præsentis vitæ recipiunt: nec omnes qui mala huius vitæ patiuntur, mala huius vitæ recipiunt: sed illi recipiunt bona in vita sua, qui in gaudio & delitijs vitæ præsentis exultant, & in eo se beatos credunt, quòd se nulla concuti aduersitate conspiciunt. Illi autem mala recipiũt in vita sua, qui pressuras & tribulationes præsentis vitæ cum timore Dei tolerant, & in corde contrito & humiliato non tẽporalia gaudia, sed æterna suspirant: nec transitura bona, sed permansura desiderant. Deniq; illis, qui in bonis præsentiũ rerum volũt habere

Psalm. 4. *lætitiam, dicit Psalmus: Filij hominum vsquequo graues corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Et alio loco: Nolite sperare iniquitatem, &*

Psalm. 61. *in rapina nolite concupiscere: diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Tales etiã beatus Iacobus increpare non cessat, dicens: Agite nunc diuites, plorate, vllulantes in mi-*

Iacobi 5.a *serijs quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimẽta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum eruginauit, & erugo eorum in testimonium vobis erit, & manducauit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis in nouissimis diebus. Ecce merces operariorum qui messuri erunt regiones vestras, qui*

qui fraudatus est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit. Epulati estis super terram, & luxurijs enutristis corda vestra. Talium quoque risum & gaudium in luctum conuerti præcipit

Iacob 4.b *& mœrorem, dicens: Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo: miseri estote, & lugete, & plorate. Risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.*

CAPVT XIIII.

Retributio futura & bonis & malis.

NEque vero putemus tristitiam humilium, & lætitiam superborum, luctum piorum, & gaudium impiorum, futura posse retributione priuari: manet vtriusque condigna merces, diuino reddenda iudicio. Quam iudex ipse tali cognoscitur decreuisse sententia: Væ vobis, qui saturati estis: quia esurietis. Væ vobis,

Lucæ 6. *qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis. Beati, qui nunc esuritis: quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis: quia ridebitis. Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Tales etiam Dauid, semina quidem dicit in fletibus iacere, nec tamen silet cum gaudio & exultatione messuros. Sic enim ait: Qui seminant in lachry-*

Psalm. 125. *mis, in gaudio metent. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: Venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos suos. Talibus etiam nunc asserit Dominum propinquare, dicens: Prope est Do-*

Psalm. 33.d *minus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluos faciet. In tantum vero prodest tribulatio Christianis, vt per hanc spiritus noster Deo sacrificium fiat. Scriptum namque continetur in Psalmo: Sacrifi-*

Psalm. 50. *cium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.*

CAPVT XV.

Eccles 5. Ne tardaueris ad dominum cõuerti.

His & innumeris huiuscemodi testimonijs informati, principaliter ad Deum conuerti quantocitius festinemus. Dicit enim scriptura: Ne tardaueris conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem: ne subito veniat ira eius, & in tempore vindictæ disperdat te. Conuersi autem, de remissione peccatorũ nullatenus desperemus, tenentes domini fidele promissum, quo ait:

Esa. 30 d. secundũ 70. *Cum conuersus fueris & ingemueris: saluus eris. Pressuras tribulationesq; præsentis temporis longanimiter toleremus, & à timore Dei nullatenus discedamus. Præcipit enim nos apostolus esse in tribulatione patientes.*

1. Cor. 12 g *Qui etiã correptionẽ præsentis temporis, ad euitandam futuri iudicij pœnam, multum nobis prodesse testatur,*

1. Cor. 11. *dicens: Cùm iudicamur autem, à domino corripimur: vt non cum hoc mundo damnemur.*

CAPVT XVI.

In tribulationibus nostris gratias Deo agamus Dan. 3. c

Verum in ipsis tribulationibus gratias agamus domino, & hoc quod sanctus Azarias dixit in fornace: Nos in tribulatione dicamus, Benedictus es domine Deus patrum nostrorũ, & laudabilis, & glorioſum nomen tuũ in secula: quoniã iustus es in omnibm quæ fecisti nobis, & omnia opera tua vera, & rectæ viæ tuæ, & omnia iudicia tua veritas, & iudiciũ veritatis fecisti, secundũ omnia quæ induxisti nobis, & super ciuitatem sanctã patrum nostrorũ Hierusalẽ. Quoniã in veritate & iudicio induxisti hæc omnia, propter peccata nostra, Quoniam peccauimus, & iniquè egimus, discedentes à te, & multũ peccauimus in omnibus, & mandatis tuis non obediuimus, nec conseruauimus, neque fecimus, sicut præcepisti nobis, vt bene nobis esset. Et omnia quæ induxisti nobis, & omnia quæcũq; fecisti nobis, in vero iudicio fecisti. Et paulo post ait: Et nũc sequimur in toto corde, & timemus faciem tuam, ne confundas nos.

SER-

SERMO D. FVLGENTII, DE CONFESSORIBVS ET Dispensatoribus Domini.

SERM. I.

DOMINICVS *Sermo, quem debemus omnes nõ solum studioſe, verumetiam sapienter audire, cui nos oportet humiliter ac delectabiliter obedire, moderationis suæ tenens vbique temperiem, vt nec ouibus desint pabula, nec pastoribus alimenta: quædam specialiter solis præcipit nobis, quædam verò generaliter & nobis & vobis. Nobis namq; (id est, seruis, quos pater ille familias, rerum omnium dominus, ad hoc in sua magna domo constituit, vt populo eius verbum gratiæ ministremus) specialiter iniũgitur sanctæ prædicationis officium: generaliter vero & nobis & vobis salutaris indicitur obedientia mandatorum. In quibus denuo mandatis, tanquã ditissimis ferculis, sic cælestium delitiarum copia spiritalis exuberat: vt in verbo Dei abundet, quod perfectus comedat: abundet etiam, quod paruulus sugat. Ibi est enim simul & lacteus potus, quo tenera fidelium nutriatur infantia: & solidus cibus, quo robusta perfectorum iuuentus, spiritalia sanctæ virtutis accipiat incrementa. Ibi prorsus ad salutem consulitur vniuersis, quos Dominus saluare dignatur. Ibi est, quod omni ætati congruat: Ibi, quod omni professioni conueniat. Ibi audimus præcepta quæ faciamus: Ibi cognoscimus præmia quæ speremus. Ibi est iussio, quæ nos per literam doceat & instruat ad scientiam: Ibi promissio, quæ per gratiam trahat, & perducat ad gloriam. Seruorum igitur, quos populo suo præposuit Dominus, specialiter volens officium demonstrare, ait, quod ex euangelio modo audiui-*

In mãdatis Dei fructus copiosus.

Expositio parabolæ de dispẽsatore, quem Dominus constituit super familiam suam. Lucæ 12. e Matth. 24. e Ioan. 13.

mus: Quis putas est fidelis dispensator & prudẽs, quem constituit dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille seruus, quẽ, cùm venerit dominus, inuenerit ita facientem. Quis est iste dominus, fratres? Christus sine dubio, qui suis discipulis ait, Vos vocatis me magister & domine, & bene dicitis: sum etenim. Quæ est etiam huius domini familia? Nimirum illa est, quam ipse dominus de manu inimici redemit, & suo dominio mãcipauit. Hæc familia est sancta Catholica Ecclesia, quæ per orbem terræ copiosa fertilitate diffunditur, & redẽptam se pretioso sui domini

Matt. 20. d

sanguine gloriatur. Filius enim hominis, sicut ipse ait,

Ioan. 10.

non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. Ipse est etiam pastor bonus, qui animam suam posuit pro ouibus suis. Grex ergo boni pastoris, ipsa est familia redemptoris. Dispensator vero quis sit, quem oportet esse fidelem pariter & prudentem, Paulus nobis ostendit Apostolus,

1. Cor. 4. a

qui de se suisque socijs loquens ait, Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fi-

Non soli apostoli sed & episcopi dispẽsatores sunt Domini.

delis quis inueniatur. Ne quis autem vestrum solos Apostolos dispensatores factos existimet, neglectoq; militiæ spiritalis officio, seruus piger infideliter imprudentérque dormitet: Ipse Beatus Apostolus, Episcopos

Titum 1. b

quoque dispensatores esse ostendens, ait: Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem. Serui autẽ patris familias sumus, dispensatores domini sumus, mensuram tritici, quam vobis erogemus, accepimus. Quæ vero sit ista mensura tritici, si quæramus, ipsam quoque nobis Beatus Paulus Apostolus ostendit

Rom. 12.

dicẽs: Vnicuiq; sicut Deus diuisit mensurã fidei. Quam ergo mensuram tritici Christus nuncupat, ipsam mensuram fidei Paulus appellat: vt agnoscamus, non aliud esse

esse spiritale triticum, quàm Christianæ fidei venerabile sacramentum. Huius tritici mensuram vobis in nomine domini damus: quotiens illuminati dono gratiæ spiritalis, secundum regulam veræ fidei disputamus. Et eandem tritici mensuram per dominicos dispensatores accipitis, cùm quotidie per Dei famulos verbum veritatis auditis. De ipsa nunc ergo tritici mensura loquamur: Ex ipsa, sicut Deus diuidit, vniuersi pascamur, inde alimenta bonæ vitæ sumamus, vt ad æternæ vitæ præmia peruenire possimus: in illum credentes, in illum sperantes, illum præ omnibus & in omnibus diligentes, qui seipsum nobis & alimentum præstat, ne deficiamus in via: & præmium seruat, vt gaudeamus in patria. Christus est enim alimentum nostrum: Christus erit præmium nostrum. Christus est cibus & consolatio currentium viatorum: Ipse est satietas & exultatio quiescentium beatorum. Ad ipsam itaque tritici mensuram pertinet, quod Dominus ait, Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam, facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Magnum bonum est, fratres mei, valde congruum, valde commodum, & maxime Christianis appetendum: vt vnusquisque deficere non delectetur in peius, sed omnes proficere studeamus in melius. Arbores sumus, fratres, in agro dominico constitutæ: Deus autem noster est agricola. Ille nos compluit, ille colit. Ipse fœcunditatem donat, ipse fructificandi gratiam subministrat. Pluuia Dei est sermo sanctæ prædicationis, cultura Dei est infusio gratiæ spiritalis. Deus igitur præcepto nos cõpluit, adiutorio colit. Dum cõpluit, aufert à nobis ignorantiæ siccitatem: dum colit, bene viuendi condonat vbertatẽ. Dum pluit, terram nostri cordis irrigat: dum verò colit, de ipsa terra spinas & tribulos mũdanæ cupiditatis extir-

Christus alimentum nostrum.

Lucæ 12. d

Arbores sumus in agro dominico.

Universidad de Deusto
Biblioteca

extirpat. Debemus itaq; fœcundari cælestibus pluuijs, debemus cõgrua fructificatione manibus superni respondere cultoris. Et si non possunt omnes arbores æquales fructus afferre, nulla tamen debet in agro dominico sterilis permanere. Multum metuenda est nobis fratres illa sententia comminantis, qua dicitur: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Quod si sterilitas in ignem mittitur, rapacitas quid meretur? Aut quid recipiet, qui alienum tulerit, si semper ardebit, qui de suo non dederit? Et si iudicium sine misericordia erit illi, qui non facit misericordiam: quale iudiciũ erit illi, qui fecerit & rapinam? Timeamus ergo fratres, timeamus actus nostros. Obediens Christo vendat quæ possidet, & eleemosynam det: vt de terra cor ad cælum leuet, vt auaritiam calcet, vt ad perfectionis culmen tota mentis intentione festinet: vt non sit solicitus quæ sunt mundi, sed quæ sunt Dei, vt mundum sibi crucifixum habeat, seq; mundo crucifixum exhibeat, vt sit omnino pauper in seculo, & diues in Christo. Quis ignoret boni huius magnitudinem? Videmus autem, non omnibus vendẽdarum rerum suarum inesse vertutem. Vnusquisque enim proprium habet donum ex Deo: alius quidem sic, alius autem sic. Ecce hoc tam magnum bonum implere pauci possunt, multi non possunt. Nunquid quia paucis donatur ista perfectio, propterea debent esse pessimi, quicunq; in bono nõdum possunt esse perfecti? Nunquid propterea Christianus debet vitio rapacitatis insistere, quia fortè nondum potest omnes res suas pauperibus erogare? Aut ideo debet aliena cõcupiscere, quia propria necdum potest omnino contemnere? Absit hoc fratres ab omnibus Christianis, auertat hoc Deus à fidelibus suis. Apostolus enim veraciter dicit: Quia neque auari, neq; rapaces regnum Dei possidebunt. Manifestum est autem,

Matth. 3.c Omnis arbor quę nõ facit fructũ excidetur.

Iac. 2.c

1. Cor. 7.b

Ne simus rapaces.

1. Cor. 6.c

tem, quia omnes, qui à regno Dei alienabuntur, in æternum ignem cum diabolo eiusq; angelis damnabuntur. Proinde dilectissimi, si non omnes possunt implere quod dominus ait, Vendite quæ possidetis, illud tamen quod adiecit, dicens, Date eleemosynam, omnibus est possibile: si assit bona voluntas, omnibus facile: si non assit dira cupiditas, omnibus salubre: si ferueat charitas, cũctis debet esse commune, vt omnibus donetur æterna fœlicitas. Qui ergo tãtam virtutem accipit à domino, vt omnia quæ in mundo sunt, cælestis regni amore contemnat: quæ habet vendat, & egenis expendat. Qui verò tantæ virtutis nondum est, de his quæ habet, inquantum habet, eleemosynam faciat. Tantum operetur bona voluntas, quantum suppetit facultas. Perfectus possideat primum virtutis locum, imperfectus saltem perueniat ad secundum. Efficiatur ille gloriosè dignus, sit iste laudabiliter largus: Sit ille sanctæ paupertatis ardentissimus amator, sit iste sanctorum pauperum pijssimus consolator. Habeat iste apud Deum patronos pauperes, quos ille se gaudet virtutis habere consortes. Sit ille talis, qui cum domino iudicaturus sedeat: sit iste talis, qui ad dexteram iudicandus assistat. Sit ille talis, qui æterna tabernacula perpetuo iure possideat: sit iste talis, quem ille recipiat. Admonet enim nos dominus, dicẽs: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiãt in æterna tabernacula. Hoc ergo fratres necessarium est omnibus nobis, vt in bonis operibus nemo sit segnis, nemo sit sterilis, nemo præsentium* delectatione futura contemnat, nemo æterna despiciens, sola temporalia peruersus aspiciat, nemo spiritalibus corporalia præferat, nemo terram cælestibus anteponat. Thesaurũ nostrum, fratres, in cælis ponamus: vt etiam cor nostrum in cælis habere possimus. Necesse est enim vt quo præcesserit dilectionis thesaurus, illuc etiã cogitationis sequatur affectus.

Luc. 12.d Date eleemosynam.

Luc. 16.c

Præcepta omnibus necessaria ad salutem.

* dilectione

Matth. 6.c

fectus. Ideo veritas ait: Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. Vt ergo in cælis thesaurizemus, cælestia diligamus. Vis nosse vbi thesaurizas? Attende quid amas. Vis nosse quid amas? attende quid cogitas. Ita fiet, vt thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, & amorem tuum indicio tuæ cogitationis intelligas. Ostendēs autem dominus, quomodo in cælis thesaurizare possimus, ait: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes. Si istum domini sermonem secundum literam velimus accipere, nihil in eo commodi spiritalis possumus inuenire. Quid enim proficit ad animæ salutem, si aliquis corporaliter aut lumbos præcingat, aut lucernā accendat? Alia ergo in præcinctis lumbis & lucernis ardentibus quærenda est intelligentia spiritalis: quæ scilicet diuino sit præcepto condigna, quæ nostræ saluti congrua reperiatur & commoda. Neq; enim frustra quodam loco ipse dominus ait: Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt. In lumbis itaq; concupiscentia carnalis ostēditur, in lucernis vero fides & charitas Christiana monstratur. Iubens igitur dominus lumbos nostros præcingi, concupiscentias carnis sine dubio præcipit refrenari: Imperans autem vt lucernas ardentes habeamus, hoc vtiq; iubet, vt & lumine veræ fidei splendeamus, & sanctæ charitatis operibus ferueamus. Iubēs vt sint lumbi nostri præcincti, mādat vt mala desideria atq; opera fugiamus: Iubēs vt sint lucernæ nostræ ardētes, monet, vt bona diligamus atq; faciamus. Ista quæ de euangelio proposuimus, cumpropheticis sermonibus conferamus. Vtrumq; enim testamētum Deus instituit, vnus dominus dedit: & si sunt vtriusq; testamenti diuersa pro tēporibus sacramenta, cōcordat tamē in vtroq; salutis humanæ sententia, qua præcipitur, vt non peccemus: & iubetur, vt bonis operibus insistamus. Præcipit itaq; dominus per beatū Dauid dicens: Declina à malo & fac

Lucæ 12.c

Ioan. 6.g

Concordat euangeliū propheticis dictis.

Psalm. 33.

& fac bonum. Per Esaiam quoque omnes his admonet verbis, Auferte malum cogitationū vestrarum ab oculis meis, quiescite perversè agere, discite benefacere. Hoc ergo nunc dominus per seipsum præcipit, quod nobis per sanctos etiam patriarchas prophetasq; mādauit. Quid est enim, Sint lumbi vestri præcincti, nisi declinate à malo? Quid est, Sint lucernæ ardentes, nisi facite bonum? Quid est, Sint lumbi vestri præcincti, nisi quiescite agere perversè? Quid est, Sint lucernæ ardentes, nisi discite benefacere? Præcinguntur * enim fidelium lumbi: dum concupiscentia mala comprimitur, dum iniqua cogitatio cohibetur, dum libidini resistit animus, dum lasciuiæ denegatur effectus, dum calcatur luxuria, dum auaritia cōtemnitur & rapina, dum proximi læsio deuitatur, dum superbia vincitur, dum inuidia superatur. Ardent verò lucernæ fidelium: dum rectæ fidei regulam seruāt, dum in sinu matris ecclesiæ longanimiter perseuerant, dum terrena contēnunt, & cælestia concupiscunt, dum sōlliciti pacem custodiūt, dum se inuicem pure diligunt, dum mutuo se honore præueniunt, dum mansuetudine cordis & humilitate proficiūt, dum misericordiæ opera libenter atq; hilariter faciūt, dumq; in operibus bonis, non hominibus, sed Deo placere contendunt. Omnis ergo Christianus præcinctos habeat lumbos, vt fugiat libidinem: Ardentem habeat lucernam, vt custodiat castitatē. Præcinctos habeat lumbos, vt aliquid alienum nec rapiat, nec furetur: Ardentē habeat lucernā, vt de suo misericorditer operetur. Præcinctos habeat lumbos, vt minorē non opprimat: Ardentem habeat lucernā, vt oppresso velamine iustitiæ duntaxat defensionis auxiliū impendat. Præcinctos habeat lūbos, vt habenti non auferat cibum: Ardentem habeat lucernam, vt esurienti tribuat alimentum. Præcinctos habeat lumbos, vt non spoliet vestitum: Ardentem habeat lucer-

Esaiæ 1.

Præcingūtur lumbi. * igitur

Ardent lucernæ.

lucernam,vt vestiat nudum. Præcinctos habeat lumbos,vt domum nullius inuadat: Ardentem habeat lucernam, vt peregrinos Christi libenter excipiat. Præcinctos habeat lumbos,vt fugiat elationem: Ardentem habeat lucernam, vt seruet humilitatem. Præcinctos habeat lumbos, vt expellat à se inuidiam & liuorem: Ardẽtem habeat lucernam, vt puram cunctis exhibeat charitatem. Præcinctos habeat lumbos,vt nõ exhibeat membra sua arma iniquitatis peccato: Ardentem habeat lucernam, vt exhibeat membra sua arma iustitiæ Deo. Hæc est, Fratres, catholicæ fidei vera sanáque doctrina: Hæc est mensura tritici, de qua domini redemptoris est pascenda familia. Ex hac vobis,quantũ dominus tribuit,damus:ipsumq; dominum iugiter exoramus, vt & nos & vos in timore gratiæ suo pascere dignetur auxilio. Auferat à nobis dominationem prauæ cupiditatis,donet omnibus profectũ & perseuerantiam charitatis. Lumbos nostros ipse præcingat: Lucernas nostras ipse ardere faciat, ardentesq; custodiat: vt nec refrigescat nostra charitas, nec aliqua nobis dominetur iniquitas. Sed Dominus ac redemptor noster omnibus gratiam tribuat, vniuersis donum sanctæ illuminationis ac virtutis infundat. Nobis donet vt quod ab illo audimus rectè intelligamus, & sicut oportet faciamus: vobisq; faciendum sermone sufficienti & congruo prædicemus. Vobis quoque donet,vt quod ab illo per seruos eius auditis,& corde intelligatis,& opere faciatis. Hoc ergo diuina misericordia operetur in omnibus nobis, vt nos,quos voluit esse dispensatores,fideles faciat & prudentes: Vos quoq; faciat obedientes et humiles,vt mensuram tritici dominici, quam vobis damus,communem vobiscum salubriter atque vtiliter habeamus.

Exhortatio ad opera charitatis, cum inuocatione diuinæ gratiæ

SER-

SERMO D. FVLGENTII,

DE DVPLICI NATIVITATE Christi, vna æterna ex Patre, altera temporali ex Virgine.

SERM. 2

CVPIENTES *aliquid de huius diei solennitate narrare, simúlque considerantes illud vnum Verbum, de quo dicere volumus,nulla inuenimus verba,quibus sufficienter aliquid dicere valeamus. Est enim hoc Verbum, non quod desinit prolatum, sed quod permanet natum, non transitorium, sed æternum, non factum à Deo patre,sed genitum, nec solum genitum, sed etiam vnigenitum. Vnum quippe verbum, Deus pater genuit de seipso, per quod omnia creauit ex nihilo. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deũ: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. In hoc autem quod per illud verbum Deus pater omnia fecit, ostenditur, quia hoc verbum genuit ipse, non fecit. Illud igitur verbum de Deo Deus est,de creatore creator est. Vnde hoc in se naturaliter habet esse, quod pater est. Natus est itaque de patre Deo filius Deus:alter in persona,non alius in natura,semper apud patrem, semper cum patre, semper de patre, semper in patre. Semper apud patrem, cum quo illi est vna naturalis immensitas: Semper cum patre, cum quo illi vna est naturalis æternitas: Semper de patre, de quo illi est naturaliter æterna natiuitas: Semper in patre, cum quo illi est vna naturaliter æqualisque diuinitas. Et alter quidem ille qui pater est, alter ille qui filius est: Neuter tamen alter Deus, quia pater & filius vnus*

Verbũ Dei genitum à patre, non factum.

Vna natura diuina illius verbi cum patre.

T est

est Deus. Quapropter quando de patre Deo & filio Deo nascitur sermo, digne dicimus alterum esse patrem & alterum filium, & nihilominus digne dicimus vnum Deum esse patrem & filium. Cùm enim dicimus, alterum esse patrem, alterum filium, discretas personas genitoris genitiq; monstramus. Cùm vero dicimus, vnum Deum esse patrem & filium, ipsam vnam naturam indiscretæ diuinitatis ostendimus. Altera est enim persona genitoris & geniti, sed vna est natura genitoris & geniti. Quomodo vero sufficienter aut digne loqui poterit quis? de quo? Homo de Deo, mortalis de immortali, visibilis de inuisibili, mutabilis de incommutabili, opus de opifice, de creatore creatura, de factore factura, paruus de immenso, temporalis de æterno, humilis de altissimo, plasmatus è limo, de illo qui omnia creauit ex nihilo. Cuius est inenarrabilis omnipotentia, qua nos gratuita bonitate fecit: Nec minus tamen inenarrabilis gratia, qua nos omnipotentissima miseratione saluauit: qui & opus creatricis omnipotentiæ gratis fecit, & opus gratiæ saluatricis omnipotenter impleuit. Illic habens potestatem condendi & regendi creaturam suam, hic habens potestatem ponendi & sumendi pro nobis animam suam. Omnipotentiam vero nunc dicimus, qua verbum, quod in principio erat, & apud Deũ erat, & Deus erat, fecit omne quod nouerat. Gratiam vero, qua verbum caro factum, venit quærere & saluum facere quod perierat. Omnipotentiam, qua fecit omnem diem: Gratiam, qua certo die concipi, & certo die dignatus est nasci. Idem igitur minoratus paulo minus ab angelis, in die factus est hominum: qui coæternus & æqualis Deo patri, dies sanctorum semper est angelorum. De ipso quippe Propheta dicit: Psalm. 95. Bene nuntiate diem de die, salutare eius. Quid est, diem de die, nisi filium de patre? Est igitur de patre filius,

Non potest homo de Deo sufficienter loqui.

filius, de die dies, sed tamen pater & filius non duo dies, sed vnus est dies. Est de patre filius, de Deo Deus, Pater tamen & filius non duo Dij, sed vnus est Deus. Vnus igitur dies æternitatis simul pater & filius à nobis agnoscitur, in die autem temporis solus filius inuenitur. Dies etenim æternus, pater & filius, nostrum corpus & animam fecit: In die vero temporis, solus filius nostrum corpus animamq; suscepit. Christus dies æternus, vnigenitus, in forma Dei manens: Christus in die temporis vnigenitus, formam serui accipiens. Christus dies æternus, dies permanens, vt conderet nos: Christus in die temporis, pauper factus vt redimeret nos. Dies æternus Christus Deus de Deo patre: Christus in die temporis Deus homo, de virgine matre. Christus dies æternus, verbum eructuatum de corde patris: Christus in die temporis, verbum caro factum, de vtero virginis matris. Christus dies æternus, Deus verus de Deo vero: Christus in die temporis, sponsus procedens de thalamo suo. Dies æternitatis Christus, angelos sanctos creans: dies in tempore Christus homines saluans. Dies æternitatis Christus, in cælo sanctos angelos pascẽs: dies temporis Christus, homines in terra reficiens. Vt enim panem angelorũ manducaret homo, creator angelorum factus est homo, vtrosq; pascens, & integer permanens. Quàm bonus panis, qui & angelos pascit per speciem, vt de ipso satientur in patria: & nos pascit per fidem, ne deficiamus in via. Ille panis, qui seipsum dat angelis ad gaudiũ stabilitatis: seipsum dedit hominibus, ad remediũ sanitatis. Et qui est angelorum esca, nobis factus est medicina. Veruntamen hic dilectissimi fratres, attendite magnitudinẽ gratiæ, & agnoscite, quid Deus homini dignatus est prærogare. Christus enim Dei filius, de Deo vero Deus verus, & vnus cum patre naturaliter Deus, semper ex seipso sanctos

Duplex dies Christi, æternitatis & temporis.

Christus panis angelorum & hominum.

Prærogatiua hominũ ex incarnatione verbi.

angelos pascit, sed tamen angelicam naturam Dei filius nõ accepit. Vt autem suam charitatem Deus commendaret in nobis, filius eius naturam nostram suscepit ex nobis, & Deus vnigenitus, qui panis est angelorum, vt etiam hominum seipsum faceret panem, simul hominis & animam suscepit & carnem. Accepit vtramque veram, vtramq; sanctam, vtramque mundam. Accepit animam nostrã sine iniquitate: Accepit carnẽ nostram cum mortalitate. Accepit animam iustã, per quam nostris animabus iustitiã redderet: Carnẽ vero propterea dignatus est habere mortalem, vt secundum ipsam moriens, mortem vinceret, secundum ipsam etiam resurgeret, per quam nostra quoque corpora suscitaret. Magnum mysterium, dilectissimi fratres, magnum diuinæ dilectionis indicium. Homo Deum contemnens, à Deo discessit: Deus hominem diligens, ad homines venit. Dilexit impium, vt faceret iustum: Dilexit infirmum, vt faceret sanum: Dilexit peruersum, vt faceret rectũ: Dilexit mortuum, vt faceret viuum. Et quid amplius dicam? quandoquidem Deus vnigenitus humanam naturam tantum dilexit, vt eam non solum à potestate mali angeli liberaret, verumetiam in seipso super omnes bonos angelos, in patris dextera collocaret. Natura enim quæ in primo homine à malo angelo captiuata fuerat, ipsa nunc in secundo homine super omnes bonos angelos regnat: natura quæ in primo homine mundum peccato polluit, ipsa in secundo homine mundum à peccato mundauit. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Primum hominem mulier corrupta mente decepit, secundum hominem virgo incorrupta virginitate concepit. In primi hominis coniuge, nequitia diaboli seductam deprauauit mentem: in secundi autem hominis matre, gratia Dei & mentem integram seruauit & carnem. Menti contulit firmissi-

Dilectio Dei erga genus humanum.

firmissimam fidem, carni abstulit omnino libidinem. Quoniam igitur miserabiliter pro peccato damnatus est homo: Ideo sine peccato mirabiliter natus est Deus homo. Attendite, fratres, medicinalis gratiæ lineas, diuina nobis benignitate monstratas. Tunc ad Euam angelus malus accessit, vt per eam homo, quem Deus fecerat, à Deo separaretur: nunc autem ad Mariam bonus angelus venit, vt in ea, humanæ naturæ Deus vnigenitus vniretur. Venit ad Euam diabolus, vt vitam nobis malignus auferret: venit ad Mariã Gabriel, vt vitam reddendam hominibus nunciaret. Per primi hominis culpam, cœpit diabolus homini dominari: per secundi hominis gratiam, cœpit ab homine superari. Super primum superbus, sub secundo captiuus. Per illum nos captiuatos tenuit, per istum nos liberatos amisit. Primus Adam nobis auctor extitit culpæ, nouissimus Adam nobis auctor extitit gratiæ. Ille de limo plasmatus, terrenos protulit: iste de spiritu sancto natus, cælestes effecit. Per illum perdidimus gratiam priorem, per istum recepimus ampliorem. Ille quippe nobis intulit peccati maculam, cum qua nasceremur ad supplicium: iste nobis contulit iustificationis gratiam, vt renasceremur ad regnum. Per illum nos filios seculi generatio carnalis effecit: per istum nos filios Dei generatio spiritalis exhibuit. Ille nos vitijs subdidit, iste nos florere virtutibus fecit. Ille nos per vitia deiecit, quo primus cecidit: iste nos per virtutes eleuat, quo primus ascendit. Ille quippe primus cecidit in infernum, iste primus conscendit in cælum. Interea, fratres, dignum est, vt in die dominicæ natiuitatis, diem quoque dominicæ resurrectionis solenniter audiatis. Vnigenitus enim Deus sicut pro nobis dignatus est nasci, sic pro nobis secundum carnem dignatus est mori, dignatus est etiam suscitari. Iste quippe dies est visitationis, ille redemptionis. Opus enim gratiæ,

Cõparatio Euæ deceptę ad Mariam concipientem.

Quid Adã perdidit, quid Christus contulit.

Dies natiuitatis, dies resurrectionis.

qua nos Deus vnigenitus ſaluos fecit, conceptus in vtero cœpit, ipſumq; opus gratiæ de ſepulchro reſuſcitatus impleuit. Conceptus in vtero, factus eſt particeps mortis noſtræ: reſurgens de ſepulchro, fecit nos participes vitæ ſuæ. Nunc itaque omnes Dominum exoremus, vt ſicut in iſto die gaudium ſuo populo tribuit, ad illum quoque diem omnes cum gaudio & pace perducat, populumq; ſuum in fide & charitate cuſtodiat. Amen.

SERMO D. FVLGENTII, DE LAVDIBVS MARIÆ EX partu Saluatoris.

SER. 3. Dies natiuitatis Chriſti.

NATIVITAS *Domini noſtri Ieſu Chriſti, totum mundum noua aduentus ſui luce hodie perfudit. Hodie de cælo Deus deſcendit ad hominem, vt in cælo homini præpararet aſcenſum. Hodie accipimus natum Dei, virginis filium, omnium credentium ſaluatorem, Deus de patre, homo de matre, Deus occultus, homo manifeſtus. Et quoniam diabolus per ſerpentem Euæ loquutus, per Euæ aures mundo intulit mortem, Deus per Angelum ad Mariam pertulit verbum, & cunctis ſeculis vitam effudit. Angelus ſermonem eiecit, & Chriſtum virgo concepit. O coniunctio ſine ſordibus facta, vbi maritus ſermo eſt, & vxor auricula. Hoc ſplendore concipitur Dei filius, hac munditia generatur. Nulla fieri grauedo potuit concipienti, nulla triſtitia parturienti. Qui enim venerat triſte lætificare ſæculum, ventris non contriſtauit hoſpitium. De cælis medicus tranſiens per virginem, poſt tranſitum ſuum illæſam fecit virginem permanere.*

Mira conceptio Chriſti.

Virgo poſt partum inuiolata permanſit.

Qui

Qui enim diſrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quanto magis in ſua matre, quod inuenit integrum, potuit non violare naſcendo? Creuit enim eius partu integritas corporis potius quàm decreuit. Et virginitas ampliata eſt potius quàm fugata. In anguſto corporis membro ſuſtinuit, quicquid ſuſtinent cæli. Plena ſunt viſcera, & nullum nouit contagiũ virginis conſcientia. Cùm eſſet grauida, ſalubri leuitate plaudebat. Lumen enim quod intra ſe habebat, pondus habere non poterat. Facta eſt Maria feneſtra cæli, quia per ipſam Deus verũ fudit ſeculis lumẽ. Facta eſt Maria ſcala cæleſtis, quia per ipſam Deus deſcendit ad terras, vt per ipſam homines aſcendere mereãtur ad cælos. Ipſis enim licebit aſcẽdere illuc, qui Deum crediderint ad terras per virginem Mariam deſcendiſſe. Facta eſt Maria reſtauratio fœminarũ, quia per ipſam à ruina primæ maledictionis probantur eſſe ſubtractæ. Tria deniq; mala Euæ à tribus bonis Mariæ probantur excluſa. Nam Euæ dictũ eſt, In doloribus & in triſtitia paries, & ad virũ cõuerſatio tua, & ipſe dominabitur tui. Tribus ergo his malis ſe ſubiungãt fœminæ, quæ Mariã non ſequũtur, dolori, triſtitiæ, ſeruituti. Maria autẽ econtrario, quàm præclariſſimis tribus bonis ſublimetur auſculta, ſalutationis angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ. Sic enim eã legitur ſalutaſſe: Aue Maria, gratia plena, benedicta tu inter mulieres. Cùm dixit aue, ſalutationẽ illi cæleſtẽ exhibuit. Cùm dixit, gratia plena, oſtẽdit ex integro irã excluſam primæ ſententiæ, & plenã benedictionis gratiã reſtitutam. Cùm dixit, benedicta tu inter mulieres, virginitatis eius benedictũ fructũ expreſſit, vt ex eo benedicta dicatur inter mulieres, quæcunq; perſeuerauerit virgo. Maledicta enim Eua fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionem gloriæ remeaſſe. Venite virgines ad

Tria bona Marię contra tria mala Euæ.

Lucæ 1.c

Maria refugium & restauratio fœminarũ

virginem, & lætamini, ponite meledictionem prævaricationis, & benedictionem restaurationis assumite. Projcite dolores, quos Eua per serpentem accepit, & quos per angelum Maria susceptit honores, assumite. Pellite tristitiam, concipientes, gemitus parturientis abijcite, vt solus vobis iste virginis filius dominetur. Venite virgines ad virginem, venite concipientes ad concipientem, venite parturientes ad parturientem, venite matres ad matrem, venite lactantes ad lactantem, venite iuuenculæ ad iuuenculam. Ideo omnes istos cursus naturæ virgo Maria, in Domino nostro Iesu Christo susceptit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret, & sic restauraret omne genus fœminarum ad se venientium, noua Eua seruando virginitatem, sicut omne genus virorum Adam nouus recuperat Dominus Iesus Christus, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO D. FVLGENTII,

DE SANCTO STEPHANO PROtomartyre, & Conuersione B. Pauli.

SER. 4. Cõparatio varia inter natalẽ Christi & Stephani.

HERI celebrauimus temporalem sempiterni regis nostri Natalem, hodie celebramus triumphalem militis passionem. Heri enim rex noster, trabea carnis indutus, de aula vteri virginalis egrediens, visitare dignatus est mundum: hodie miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator migrauit ad cælum. Ille sempiternæ Deitatis maiestate seruata, seruile cinctorium carnis assumens, in huius seculi campum pugnaturus intrauit:

Iste

Iste depositis corruptibilibus corporis indumentis, ad cæli palatium perenniter regnaturus ascendit. Ille descendit, carne velatus, iste ascendit, sanguine laureatus. Ascendit iste, lapidantibus Iudæis, quia ille descendit, lætantibus angelis. Gloria in excelsis Deo, heri sancti angeli exultantes cantauerũt: hodie Stephanum lætantes, in suum consortium susceperunt. Heri dominus exiuit de vtero virginis: hodie miles egressus est de ergastulo carnis. Heri Christus pro nobis pannis est inuolutus: hodie Stephanus stola est ab eo immortalitatis indutus. Heri præsepis angustia Christum portauit infantem, hodie immẽsitas cæli suscepit Stephanũ triumphantem. Solus dominus descendit, vt multos eleuaret: humiliauit se rex noster, vt suos milites exaltaret. Qui enim corpori suo virginis præparauit vterum, ipse martyri suo aperire dignatus est cælum. Dominus Christus angustias intrare non dedignatus est vteri, vt animam Stephani latitudo susciperet cæli. Necessarium tamen nobis est, fratres, agnoscere, quibus armis præcinctus Stephanus, sæuitiam Iudæorum potuit superare, vt ita meruisset fœliciter triumphare. Neque enim paruipendenda sunt, talis virtus, talisq; triumphus. Haud vero vilibus armis potuit præmuniri, qui à multis non potuit superari. Inuictæ namque in eo enituit insigne virtutis: quæ nec frementium sæuitiam formidauit, nec lapidantium ictibus deuicta succubuit. Vsque adeo enim inter frementes permãsit interritus, & inter lapidũ fuit cruciamenta securus: vt incredulitatem Iudæorum fidenter argueret, & benignus pro lapidantibus exoraret. Quod est ergo tã magnum atq; insuperabile genus armorum, quo munitus sæuientes argueret, lapidantes non repercutiens, sed patiens superaret. Insuper & occisus, aulam cælestis regni, viuus & coronatus intraret? Proculdubio, munimine regio septus, nullatenus est ab ad-

Arma stephani cõtra sæuitiam Iudæorum.

Universidad de Deusto Biblioteca

uersarijs superatus. Quoniam rex noster, cùm sit altissimus, pro nobis humilis venit: sed inanis venire non potuit. Magnum quippe donatiuum suis militibus attulit, quo eos non solum copiosè ditauit, sed etiam ad certandum inuictissime confortauit. Attulit namque donũ charitatis, quæ perduceret homines ad consortium deitatis. Quod ergo attulit, erogauit: nec sibi aliquid minuit, sed mirabiliter & suorũ fidelium pauperiem ditauit, & indeficientibus thesauris plenus ipse permansit. Charitas ergo, quæ de cælo ad terras deposuit Christum, ipsa Stephanũ de terra eleuauit ad cælum. Charitas, quæ præcessit in rege, ipsa subsequenter refulsit in milite. O admiranda vbique potentia saluatoris. O prædicanda indesinenter gratia redemptoris. Ostendit in matre virginitatis æternæ miraculũ: demonstrauit in martyre inuictæ charitatis indicium. Integritas quippe intemerata permãsit in virgine, dilectionis virtus inuicta perseuerauit in martyre. Et sicut in matre domini nõ potuit virginitas violari, sic in martyris mẽte non potuit Christi charitas tanto sæuientiũ agmine superari. Stephanus ergo, vt nominis sui coronã meruisset accipere, charitatem pro armis habebat, & per ipsam vbiq; vincebat. Per charitatẽ Dei, sæuientibus Iudæis non cessit: per charitatem proximi, pro lapidantibus intercessit. Per charitatem arguebat errantes, vt corrigerentur: per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis virtute subnixus, vicit Saulum crudeliter sæuientem: & quem * habuit in terra persequutorem, in cælo meruit habere consortem. Ipsa sancta & indefessa charitas desiderauit orãdo acquirere, qxos nequiuit monendo conuertere. Neq; enim fratres, existimandus est Stephanus tunc inimicos dilexisse, cum pro eis oraret: & non dilexisse, cùm eorũ incredulitatem arguendo corriperet. Absit hoc ab anima martyris ad cæli

Donatiuũ, quod Christus militibus suis dedit, charitas est.

Charitas sancti Stephani pro armis fuit illi.

* habebat

cæli palatium festinantis. Ipsa enim sancta charitas firmam seruauit in oratione patientiam, quæ rigidam tenuit in correctione censurã. Et ideo in oratione audiri meruit lenitas, quia sine charitate nõ fuit in correctione seueritas. Ac per hoc, siue orando, siue corripiendo, charitatem beatus Stephanus reseruauit: quia vtrobiq; salutem errantium cogitauit: Et indicio sanctæ orationis ostendit, increpationem illam non fuisse odij, sed amoris. Hoc autem faciens, & præsentibus charitatem beatus martyr exhibuit, & vtile nimis exemplũ posteris reliquit. Demonstrauit enim geminam ecclesiastici dispensatoris industriam, vt ad corrigendum cuiuslibet peccantis errorẽ, & non desit in ore correptio, & ad Deum pro eò supplex effundatur oratio: vt qui malum fecit, per increpationem de malis operibus confundatur, & per orationẽ apud Deum adiuuetur. Ac sic ipsa charitas & in ore iustitiam sonet, vt errantem corrigat: & in corde patientiam seruet, vt pro errante orationem puro affectu dilectionis effundat. Qui enim errantem non corripuerit, de negligentia iudicatur: qui autem pro eo non orauerit, de pernicie condemnatur. Quo circa fratres, si quando aliquis pro animæ salute corripitur, non aspernanter accipiat monita charitatis: nec præsentem tristitiam suæ voluntatis attendat, sed consideret quæ lucra vtilitatis acquirat. Idcirco enim arguitur, vt à prauis operibus corrigatur. Nec cùm videt correptionẽ, aliqua verborum austeritate feruere: existimet charitatẽ in corde frigescere. Sic enim vigilet in ore correptio, vt in corde non dormitet oratio. Ac per hoc in vtroq; peccãti consultè prospicitur, vt dũ homo correptus de peccato cõfunditur, & à malis operibus separaretur, & per orationẽ (Deo miserante) saluetur. Nam & sancta scriptura dicit: Quoniam quẽ diligit dominus, corripit: flagellat autẽ omnẽ filiũ quẽ recipit. Christi ergo charitate compulsi,

Charitas & orando & arguendo seruabatur.

Summa industria charitatis in prælatis.

Charitas peccantem & ore corripit, & oratione iuuat.

Prouerb. 3.

compulsi, & bonos hortamur, vt in bono permaneant: & malos compellimus, vt à malo discedant. Præsertim, quoniam in istis duobus sanctis geminum nobis monstratur salutis indicium: vt si quis bonus est, imitetur perseuerantiam charitatis in Stephano: qui autem malus est, sectetur exemplum conuersionis in Paulo. Et qui bonus est, æquitatem vsque ad finem teneat: qui autem malus est, quantotius à sua peruersitate discedat. Nec bonum hominem præsumptio iustitiæ faciat negligentem: nec malum iniquitas faciat desperantem: sed ille bonum fortiter teneat, iste malum celeriter deserat. Bonus timeat, ne cadat: malus conetur, vt surgat. Quisquis ergo malus est, cum Paulo prosternatur in malo: vt cum eo erigatur in bono. Quoniam & ille cecidit malus, & surrexit bonus: Prostratus est iniquus, & erectus iustus. Cecidit sæuissimus persecutor, & surrexit veridicus prædicator. Cadens lumen corporis impius perdidit, surgens autem lumen cordis iustificatus accepit. Coniunctus est itaque Stephano, factus ouis ex lupo. Et ecce nunc Paulus cum Stephano lætatur, cum Stephano Christi claritate perfruitur: cum Stephano exultat, cum Stephano regnat. Quo enim præcessit Stephanus, trucidatus lapidibus Pauli: illuc sequutus est Paulus, adiutus orationibus Stephani. Quàm vera vita, fratres mei, vbi non Paulus de Stephani occisione confunditur: sed Stephanus de Pauli cõsortio gratulatur, quoniam charitas in vtroque lætatur. Charitas quippe in Stephano superauit sæuitiam Iudæorum, charitas in Paulo cooperuit multitudinem peccatorum: Charitas in vtrog, pariter regnum meruit possidere cælorum. Charitas igitur est omnium fons & origo bonorum, munimen egregium, via qua ducit ad cælum. In charitate qui ambulat, nec errare poterit, nec timere. Ipsa dirigit, ipsa protegit, ipsa perducit. Quocirca, fratres, quoniam scalam charitatis consti-

Vtile exẽplum de Stephano & Saulo.

Conuersio Pauli.

Bona charitatis.

stituit Christus, per quã ad cælum omnis possit conscendere Christianus, puram charitatẽ fortiter retinete: Ipsam vobis inuicem exhibete, & in ea proficiendo conscendite: insistite operibus bonis, vt ad præmia æterna peruenire possitis, adiuti gratia Saluatoris, Qui viuit & regnat in secula seculorum.

SERMO D. FVLGENTII,

DE EPIPHANIA, DEQVE Innocentum nece, & muneribus Magorum.

NOSTIS, fratres charissimi, quia dies iste, qui nobis in honorem Domini per annos singulos celebratur, ore cunctorum fidelium Epiphania venerabiliter nuncupatur. Et quia Græcum probatur esse vocabulum, multis Latinis est incognitum. Inde est quod nomen istud omnes quidem Latini dicunt: sed non omnes inueniũtur nosse quod dicunt. Proinde bonum est, vt cuncti, qui diem hodiernum Epiphaniam nuncupant, et cur hoc dicatur ignorant, sacramentum diei huius nominis interpretatione cognoscant. Debet enim diei huius solennitas à fidelibus celebrari, & ideo solennitatis causa non debet ignorari. Hunc ergo diem, sicut diximus, Epiphaniam vocat Christiana religio. Epiphania verò interpretatur manifestatio. Traditum autẽ tenemus à patribus, quòd Vnigenitus Deus, postquam est secũdum carnem temporaliter natus, in isto die est Magis venientibus manifestatus, à quibus oblatis muneribus, suppliciter est adoratus. Nam quia ipse est Deus, qui sibi in veteri testamento primitias offerri mãdauit: idem Deus homo natus,

SERM. 5

Cur Epiphania dicitur.

Exod. 22. 23. 34.

Magi, primitiæ gentium. Rom. 3.d

natus, gentium primitias suo cultui dedicauit. Apostolica verò testatur authoritas, quia Vnus est Deus qui iustificat circuncisionem ex fide, & præputium per fidē: Circuncisionis nomine Iudæos, præputij nomine Gentes indubitanter ostendens. Isti sunt duo parietes, qui ex diuerso venerunt, & in lapidem, qui factus est in caput anguli, in vnitatem fidei conuenerunt. Vnus paries venit ex Iudæis, alter ex Gentibus. Longè à se diuersi erant, quando diuersa credebant. Positus est in medio lapis angularis, qui ad se vtrunq; parietem duceret, & vtrunq; vno nomine nuncuparet: essentq; vnum cōmunione vocabuli, qui fierent in vna gratia sacramenti.

Ephes. 2 c

Per Christum enim qui est pax nostra, faciens vtraq; vnum, Iudæi & Gentiles facti sunt vnum, quibus fidei vnitas vnum indidit nominis Christiani vocabulum. Ad lapidem ergo angularem vterque paries venit, &

Duo parietes, Iudæi & Gētiles, in vnum lapidē Christum conuenerunt.

verum angulum fidei vnitas fecit. Horum duorum parietum vnus adductus est, quando pastoribus Iudæis Christum natum angelus nuntiauit: alter paries adductus est, quando Gentilibus Magis nouum sydus apparuit. Illi fuerunt primitiæ Iudæorum, isti facti sunt primitiæ Gentium. Illi de proximo adducti, isti de longinquo reducti. Prope enim erant Iudæi qui Deum colebant: longe erant gentes, quæ idolis seruiebant. Hoc vtique significabāt pastores, qui nascente Christo prope sunt inuenti, & Magi, qui sunt de longinquis Orientis partibus adducti. Qui tamen venientes, cùm ipsi Iudæi non essent, regem Iudæorum se quærere professi sunt: & ad ipsum adorandum se venisse dixerunt. Ait enim Euangelista, Quia Magi ab Oriente venerunt Hierosolymā dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Quid est dulcissimi fratres, vt isti Magi regē Iudæorum adorandum quærerent, cum ipsi Iudæi non

Magi non Iudæi regē Iudæorum quærebant.

essent?

essent? Et quem regem? Vtiq; non Herodem, sed Christum. Volunt adorare regem nuper natum, nec adorant regem ante annos aliquot ordinatum. Adorare cupiunt infantem lactentem, nec adorant regē populis imperantem. Nam & de Herode rege Iudæorum filij iam fuerant nati, qui erant patre mortuo regnaturi. Mortuo enim isto Herode, Archelaus in Iudæa regnauit, & Galileæ principatū iunior Herodes obtinuit. Archelaus natus est in palatio, Christus in diuersorio. Archelaus natus, est in lecto argenteo positus: Christus autē natus, in præsepio est breuissimo collocatus. Ille forsitan pretiosis inuolutus est sericis: iste vilissimis inuolutus est pannis. Et tamen ille natus in palatio, contēnitur: iste natus in diuersorio, quæritur. Ille à Magis nullatenus nominatur: iste inuētus suppliciter adoratur. Omnino spernitur primogenitus regis, & muneribus honoratur primogenitus paupercula mulieris. Quis est iste rex Iudæorū? Pauper & diues, humilis & sublimis. Quis est iste rex Iudæorū, qui portatur vt paruulus, adoratur vt Deus? Paruulus in præsepio, immensus in cælo, vilis in pannis, pretiosus in stellis, cuius natiuitate comperta, Herodes turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Quid est, quòd sic turbaris Herodes? Quoniā natum regem Iudæorum audisti, turbaris, suspicionibus agitaris, inuidiæ stimulis inflammaris: & ob hoc natum regem occidere conaris. Inanis est ista turbatio tua, & vana prorsus cogitatio tua. Rex iste qui natus est, non venit reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subiugare. Nec ideo natus est, vt tibi succedat: sed vt in eum mundus fideliter credat. Venit ergo, nō vt pugnet viuus: sed vt triumphet occisus. Nec vt sibi de alijs gentibus auro exercitum quærat, sed vt pro saluandis gentibus pretiosum sanguinē fundat. Inaniter inuidendo timuisti successorem, quem credendo debuisti quærere saluatorem.

Collatio Archelai & Christi quo ad Magos.

In Herodē turbatum. Apostrophe pro Christo.

Quia

Prouer. 8. b

Quia si in eum crederes, cum eo regnares: Et sicut ab illo accepisti temporale regnum, acciperes etiam sempiternum. Huius enim pueri regnum non est de hoc mundo, sed per ipsum regnatur in mundo. Ipse est enim sapientia Dei, quæ dicit in Prouerbijs: Per me reges regnant. Puer iste verbum Dei est, puer iste virtus & sapientia Dei est. Si potes contra Dei sapientiam, cogita. In tuam perniciem versaris, & nescis. Tu enim regnum nullatenus habuisses, nisi ab isto puero, qui tunc natus est, accepisses. Puer, qui nunc à Magis dicitur rex Iudæorum, idem creator est & dominus angelorum. Quapropter, cuius times infantiam nascentis, magis timere debes omnipotentiam iudicantis. Noli ergo eum timere regni tui successorem: sed time infidelitatis tuæ iustissimum damnatorem. Vtinam eum Magis adorantibus, etiam tu pariter adorares. & nõ ad eum Magos fraudulenta calliditate mandares. Ite, inquit, & interrogate diligenter de puero, & cùm inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum. O calliditas ficta: O incredulitas impia: O nequitia fraudulenta. Si adorare istum puerum certissime disponebas, quare pro illo multos pueros occidebas? Sanguis innocentum quem crudeliter effudisti, attestatur quid de hoc puero voluisti. Et tamen non solum istum puerum non inuenisti, sed nec illis pueris aliquid nocuisti, imò insçius, quod illis proderat, hoc egisti. Per sauitiam quippe tuam facti sunt martyres, qui per infantiam suam fuerant innocentes: Quando per gratiam huius pueri pro eo meruerunt mori, priusquam eum possent coram hominibus confiteri. Iste itaque puer, qui mundum creauit, qui mundum regit, qui omnia quæcunque vult facit, qui cuncta mirabili atq; insuperabili ordine disponit, hoc ordinauit, hoc egit, vt per tuam inuidiam furiosam, illi pueri mortem susciperent pretiosam. Et quod

Occisio innocẽtũ Herodi plus nocuit quã Christo aut pueris ipsis.

quod eis ad salutem suam præstare non posses amicus, hoc ad damnationem tuam faceres inimicus. Ad hoc ergo te permisit infantes occidere, vt illos de te faceret triumphare. Te ergo permisit ad nequitiam, illos perduxit ad palmam. Vnus enim idémque est dominus omnipotens, qui paruulus vagiens, vnus idémque est, qui tuam crudelitatem dignatus est fugere, cuius maiestatem non potes effugere. Fugit enim, non formidine humana, sed dispensatione diuina. Fugit non necessitate, sed potestate. Ideo autem dignatus est in Ægyptum fugere, vt postea crucem dignaretur ascendere. Et illa potestate puer latuit in Ægypto, qua potestate iuuenis pependit in ligno. Vnus enim idemq; est mortis susceptor, vitaq; largitor, vnus idemq; immortalis ex patre, mortalis ex matre, propria potestate moriens, propria potestate resurgens. Iste itaque puer, qui natus est, ideo non inuenitur in numero paruulorum morientium, quia ipse est expectatio gentium. Sanguis huius pueri propterea non cum istorum sanguine funditur puerorum, quia solus in remissionem fundendus est peccatorum. Et illi omnes pueri inaniter morerentur, nisi huius sanguine saluarentur. Et iste quidem puer certissime morietur, quia si mori nollet, nullatenus nasceretur. Morietur autem, non vt impleat sauitiam tuam: sed vt perficiat mansuetudinem suam. Faciet enim eum mori benignitas propria, non malignitas aliena. Morietur, non vt tu infidelis regnes in seculo: sed vt secum regnare faciat fideles in cælo. Morietur, non vt regnum amittat: sed vt regnaturos adquirat. Morietur, non vt perdat breuem vitam: sed vt conferat sempiternam. Morietur, non vt seruus iniquitatis: sed vt dominus maiestatis. Morietur, non vinculo necessitatis: sed proposito voluntatis. Morietur mirabiliter, morietur misericorditer,

Fuga Christi in Aegyptum.

Ad quid Christus mortuus est, nõ puer sed vir.

morietur singulariter, morietur per propriam potestatẽ, vt suam in omnibus adimpleat voluntatem. Ad hoc enim misericorditer morietur, vt resurgens cunctis gentibus dominetur. Morietur ergo sicut vnus, & quidem quem Deum hominem concepit fides virginis, & Deum hominem peperit fœcunditas virginalis. Si nescis verã huius pueri deitatem, attende stellam in cœlo fulgẽtem, Magos præcedentem, & iter ignorantibus ostendẽtem. Hæc stella nũquam ante apparuit, quia nunc eam puer iste creauit, & Magis ad se venientibus præuiam deputauit. Iste puer in præsepi quidem paruulus collocatur, sed magnus in cælo mirabiliter operatur. Permittit se manibus in terra portari, sed præcipit sibi cælestia famulari. Quid est ergo, quod infantilẽ attendis ætatem, & eius diuinam non intelligis potestatem? Sic fuit veraciter intimanda pueri huius naturalis diuinitas, & naturalis humanitas, vtraque naturaliter vera, vtraque vnita, nec in se inuicem confusa, nec à se inuicẽ separata. Ipsum enim habuit Maria filiũ de se natum, cui stellæ debitæ seruitutis exhibuit famulatũ. Ipsum eundemq; Maria in Bethlehem Dominũ hominem peperit, quem stella Magis in Oriente positis nuntiauit. Magi ergo venerũt, & filium virginis vnum eundemq; Dominum hominem cognouerunt. Deniq; attende, quid obtulerũt: & agnosce, quid crediderunt. Refert enim Euangelista, quia intrãtes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes, adorauerunt eum, & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurũ, thus, et myrrham. Per ista tria munerum genera, in vno eodémque Christo & diuina maiestas, & regia potestas, & humana mortalitas intimatur. Thus enim ad sacrificium, aurum pertinet ad tributum, myrrha ad sepulturam pertinet mortuorum. Omnia hæc sancta fides Christo veraciter offerre non desinit: dum vnum eundemq; verum Deum,

Stella signũ deitatis in Christo puero.

Deum, verum regem, verumq; hominem credit, vt verè pro nobis mortuum veraciter recognoscat. In oblatione thuris, confunditur Arrianus: qui soli patri sacrificium offerri debere contendit. In oblatione myrrhæ, confunditur Manichæus: qui Christum vere mortuum pro nostra salute non credit. In auro vero, simul vterque confunditur: quia & Manichæus de semine Dauid secundum carnem natum non credit regem, & Arrianus Deo vnigenito naturalem assignare nititur seruitutem. Proinde vterque non experietur regem, à quo per fidem regatur, sed à quo pro infidelitatis crimine puniatur: quia ab vno diuinitatis, ab altero carnis veritas denegatur. In issdem muneribus confunditur etiam Nestorius, qui nititur Christum in duas personas diuidere: cũm videat Magos, non alia Deo, & alia homini, sed vni Deo homini eadem munera obtulisse suppliciter. Non ergo diuidatur in personis, qui non inuenitur diuisus in donis. Propterea quippe vnus idémque istis muneribus honoratur, vt vnus idémque Deus & homo cognoscatur. Ista Magorum oblatio confundit etiam Eutychetis insaniam: qui non vult in Christo vtramque veram prædicare naturam. Veritatem quippe istorum munerum tollit, dum in Christo vnam naturam prædicare contendit. Nos itaque, dilectissimi fratres, offeramus Christo indubitanter in fide, quod Magi obtulisse cognoscuntur in munere: vt vere diuinitatis humanitatisque confessio, ipsa sit apud Christum nostra fidelis oblatio. Hæc munera cum Magis vnanimiter offeramus, & ad regionem sanctorum tota cordis deuotione tendamus. Nec teneamus viam veteris vitæ, sed diuinis mandatis humiliter obsequentes, viam mutemus, & in qua præcepit Dominus ambulemus, vt ad patriam peruenire valeamus, vbi sine fine cum ipso Domino gaudeamus. Via enim hominis est vita eius.

Errores hæreticorum conuicti ex muneribus Magorum.

Exhortatio ad exẽplum Magorum.

Via hominis vita eius.

Qui malè viuit, viam tenet erroris: qui bene viuit, per viam graditur veritatis. Quapropter qui ambulabat viam fornicationis, viam teneat castitatis: Qui viam tenebat auaritiæ, teneat viam misericordiæ: qui ambulabat per viam fictionis, viam teneat nunc puritatis. Ambulemus bene per fidem, vt perueniamus ad speciem, vbi plenum erit gaudium nostrum, quia implebitur in nobis desiderium nostrum. Per eum qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

SERMO D. FVLGENTII
EPISCOPI, DE CHARITATE DEI AC PROXIMI.

SER. 6.

QVANTVM *cupio Sanctitati vestræ debitum reddere de Charitate sermonem, tantū me charitatis magis fieri video debitorem: nec inuenio qualiter possim verbis explicare præconiū charitatis: in qua sic debemus, quamdiu in hoc seculo viuimus, crescere inuicem diligendo, sicut eam iubemur semper debere reddendo. Beatus namque Apostolus Paulus, dum nos omnibus debitis præcepisset absolui, solo nos mutuæ charitatis debito semper voluit detineri, dicens: Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Ista est Apostolicæ summa doctrinæ: hæc sunt consulta charitatis paternæ, vt nemini quicquam debeamus, nisi vt inuicem diligamus. Cùm ergo audimus, vt nemini quicquam debeamus, nō in hoc verbo remaneamus, sed audiamus & faciamus quod sequitur, vt nos inuicem diligamus: & inueniemus sanctam charitatem quam semper debendo reddamus, & reddendo salubriter debeamus. Magna res charitas est, dilectissimi fratres, quam docente Apostolo sic iubemur*

bemur semper reddere, vt eam nihilominus iubeamur sine intermissione debere. O charitatis debitum bonum, debitum sanctum, debitum cœlestibus refertum commodis, debitum sempiternis plenum omnino diuitijs. Magna, fratres, hoc debito lucra conquirimus, immensa commoda tali fœnore comparamus. Dum enim charitas à nobis redditur & debetur: omnis nostra iniquitas dimittitur & deletur. Ipsam denique charitatem sibi beatus Dauid ad delēdas iniquitates suas redonari poscebat, quādo pro peccato graui dominum lachrymabiliter exorabat. Nam cùm illecebroso quondam captiuatus aspectu, militis sui adulteraret vxorem, & scelere geminato, maritum quoque interficeret innocentem: post perpetrationem peccati per Prophetam correptus oraculo, & post confessionem recreatus medicinali responso, dum pœnitentiæ verba supplici prostratus obsecratione depromeret, quibus Deum iustum regem regum, & dominum dominorum quantotius placaret, inter cætera dixisse cognoscitur: Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele: & quoniam sine charitatis dono fieri non posse cernebat, illico subiunxit: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Cor autem mundum charitatis esse domicilium, his verbis commendat Apostolus dicens: Finis enim præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Proinde duo quædam in his prophetæ verbis diligentius consideranda sunt nobis: vnum, quod à se poposcit auferri: alterum, quod sibi postulauit attribui. Petijt enim deleri iniquitates suas: cor autem mundum in se creari, & spiritum rectum innouari in visceribus suis. Quid est autem iniquitas, nisi praua cupiditas? Et quid est cordis munditia, nisi sancta Dei & proximi charitas? dicens igitur Propheta, Auerte fa-

ciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele, statimque subiungens, Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis: quid aliud dixit, nisi, dele à me maculam praue cupiditatis, & dona mihi gratiam charitatis? Aufer à me cupiditatem, per quam possum damnari: & dona mihi charitatem, per quam merear coronari. Aufer à me cupiditatem, propter quam in tormento sine intermissione doletur & gemitur: & dona mihi charitatem, per quam in cælo sine fine regnatur. Si enim habuero charitatem, quam debendo reddendo debeam, non timebo iniquitatem, quam sine fine dolendo persoluam. Bene igitur præcipit Apostolus, vt nemini quicquam debeamus, nisi vt inuicem diligamus: hoc enim debito auferetur à nobis cumulus omnium delictorum, quia charitas cooperit multitudinem peccatorum. Nemo autem putet, fratres, sic à nobis oportere charitatem reddi, vt redditu desinat aliquãdo deberi: cùm enim redditur, plus debetur: & eo magis adquiritur, quo redditur cum debetur. Nam qui se charitatis non semper existimat debitorem, non se debito gaudeat absolutum: sed dono charitatis lugeat destitutum. Neq; enim habet charitatem quam habere destitit, quia prodigus debitor non reddendo perdidit, quam vt semper redderet, et semper haberet, accepit: quocirca tunc se nouerit perdidisse quod acceperat, dum non reddiderit quod debebat. Sed dicit aliquis, Cui hanc debeo? vel cui hanc me oportet reddere charitatẽ? Respondemus, Charitatem omnibus hominibus esse reddẽdam, id est, notis & ignotis: & bonis & malis: & amicis & inimicis. Nam cùm B. Apostolus dicat: Ergo cùm tempus habemus, operemur quod bonum est ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei: euidenter ostendit, quod in opere charitatis sit quidem alius alio præferendus, nemo tamen sit à cha-

à charitatis beneficijs excludendus. Charitas itaq; illa sancta, pura, &, vt propriè dicam, charitas Christiana, quæ patiens est, quæ benigna est, quæ nõ æmulatur, quæ non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, quæ non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitatem, cõgaudet autẽ veritati, quæ omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, charitas quæ nunquam cadit, si complectatur amicos, vt dilatetur vsq; ad inimicos: amicis se volentibus reddat, inimicis se nolentibus ingerat: istos teneat, illos adquirat: istos oblectet, vt ex amicis non efficiantur inimici: illos inuitet, vt fiant ex inimicis amici. Recordemur, fratres, verborum domini, dicẽtis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderũt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Ecce Dominus vsq; ad inimicos charitatem iubet extendi, & vsq; ad persecutores Christiani cordis beneuolentiam dilatari. Et quæ merces operum tãtorum dabitur? vel quod munus præcepto huic obeuntibus cõferetur? Ipse demonstret à se præparatam charitati mercedem, qui per spiritum sanctum gratis ipsam dignatur infundere charitatem: Ipse nobis dicat, quid pro charitate redditurus sit dignis, qui eandem charitatem donare dignetur indignis. Dicat igitur dominus, dicat, & proprio sermone magnitudinem nobis suæ promissionis ostendat: Vt sitis, inquit, filij patris vestri, qui in cælis est. Cùm enim diligendos præciperet inimicos, amarum forsitan erat, quod audienti iubebatur: sit quæso dulce, quod obedienti promittitur. Teneatur ergo dulcedinis huius in corde suauitas, & amaritudinis illius separabitur difficultas. Qui enim dilexerint inimicos suos, & benefecerint eis qui eos oderunt, filij Dei erunt. Quid verò accepturi sint isti filij Dei, Apostolus enũtiat dicẽs: Ipse spiritus testimoniũ reddit spiritui nostro, quia sumus filij

Dei: si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Audite igitur Christiani, audite filij Dei, audite hæredes Dei, & cohæredes Christi: vt paternam possideatis hæreditatem, nõ solum amicis, sed etiam inimicis impendite charitatem. Nulli charitas denegetur, quæ ab hominibus bonis communiter possidetur. Omnes eam simul habete, & vt eam magis habeatis, & bonis eam & malis impendite. Possessio enim est bonorum ista communis, non terrena vtique, sed cælestis, & ideo nullum in ea facit angustiari persona cõsortis. Tantum verò augetur charitas, quantum fuerit imminuta cupiditas: & illum facit charitas semper liberum, quem non tenuerit cupiditas mundana captiuum. Charitas donum Dei est, dicente Apostolo: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Cupiditas laqueus est diaboli, non solum laqueus, sed etiam gladius: per ipsam miseros capit, per ipsam captos interficit. Charitas est radix omnium bonorum, cupiditas radix est omnium malorum. Cupiditas semper cruciatur, dum rapiendo non sanatur. Charitas autem semper lætatur, quoniam quantum multiplicatur, tantum largius erogatur. Et ideo sicut adipiscendo pauperascit appetitor iniquitatis: ita reddendo ditescit redditor charitatis. Perturbatur cupiditas dum vlcisci quærit iniuriam: tranquilla est charitas dum donare delectatur.

SERMO

SERMO D. FVLGENTII
EPISCOPI SVPER EVANGELIVM sancti Matthæi, Audiuit Herodes Tetrarcha, &c.

SERM. 7.

EVANGELICÆ *lectionis, fratres, hodierna narratio, oportunam collationem sensibus nostris attribuit. Audiuimus vitijs obuiasse virtutes, cum Herodis nequitia, Herodiadis luxuria, sancti vero Ioannis venerãda iustitia demonstrata est: intantum vt libenter susciperet mortem, ne videretur contemnere veritatem. Vide quæ tria in vnam cõuenerint causam. Mirandæ res, si recte discutias grauitatem Prophetæ, luxuriam muliebrẽ, & Herodis sæuissimã feritatem. Dicite mihi quid habetis cum Ioanne Baptista Herodes & Herodias: quos ad cõsortium adduxit nominum impuritas criminum? An hoc timetis, ne qui vobis vocabulis coniungimini, in luxuria forsitan separemini? Estote certissimi, quia sicut vno consensu caditis in luxuriam, ita vno nomine susciepietis sententiã. Tenetis in carcerem iustum, quia vobis legaliter interdixit incestũ: quasi possit veritas alligari. Et si omnia membra vinculorũ nexibus astringat, sola lingua non potest custodiri: cui liberũ est veritatem ab impijs contaminari. At inquies: Quare impedit desiderium nostrum? Ille potest desiderũ impedire, cui licet in tempore flagitia remouere. Nunc vero cum hoc tibi denuntiat Propheta, quia Domini voluntati displiceat, nemo ferè sapiens erubescit audire, quod non piguerit sine verecundia perpetrare. O humana dementia, vt luxurietur Herodes, necatur Ioannes. Nũquid propheta suo te terruit merito, & non diuino iudicio? Res est extremæ dementiæ, odisse loquentẽ, nec metuere iudicãtem:*

quasi idcirco iam non timeas iudicem reticẽdum, si prædicatorem possis necare clamantem, de quo Esaias testatus est, dicens: Hic est vox clamãtis in eremo: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Iam veniendum est ad passionis fastigium. Paratum est conuiuale theatrũ: producitur lasciua carnifex fœmina, quæ prophetã non gladio, sed saltatione prosternat. Molli puella gressu procedit in medium, homicidium petitura, & adultero placitura: alienũ in pedibus portans sanguinem, & sceleris postulatura mercedẽ. Sic saltat vt placeat, sic placet vt occidat. Prô nefas, vt luxum corporis sui mulier periculum petat capitis alieni. Quid agimus Ioannes? Quem non terruit vasta eremi solitudo, terrebit muliebris ista saltatio? Caput tuum mulier petitura est. Sed melius est, inquit Dominus, vt vnum ex membris tuis abscidas: quàm totum corpus tuũ gehennæ ignibus tradas. Et iterum: Nolite timere eos qui occidunt corpus. Ecce iã diabolo procurante ludens cœpit delectari puella, ad hoc solum vt possit occidere prophetã. Nescio quid habet semper muliebre nomen cum sanctis. Et Helias, in cuius spiritu venisse Ioannem testatus est Dominus, Iezabel reginam grauem passus est inimicam, quã dum fugit, totam vitam suam in fuga contriuit. Cuius tãtum timuit gladium: vt viuus fugisset in cælum. Quocunque pacto persequitur mulier, si placeat iugulat, si displiceat peius excruciat: sed melius displicet cum corporis morte, ne animæ tollat quod maius est sanitatẽ. Quod iam dudum dicere perhorresco, placuit & saltatrix: sed quid mirum, si inter dapes largas, & poculorum frequentes procellas puella lasciuiens mulceat sensus, inclinet affectus? Vinum & saltatio, duplex incendium voluptatis. Insuper offertur luxuria quodcunque poposcerit præmium statim esse donandum, etiam si dimidium regni fœmina petisset, Salomone attestante, quia non est caput

put super caput serpentis, & non est malitia super malitiam mulieris. Et Iterum: Commorari leoni & draconi placebit in eremo: quàm habitare cum muliere nequam. Culmine igitur regni contempto, caput Ioannis petiuit in disco, plus odiens eum qui interdixit incestum, quàm diligens eum qui promiserat regnum. Execratur magistrũ disciplinæ, præsumit de mercatore luxuriæ. O nequitia fœminæ. Elegit contemnere honorem, vt lucrum faceret sanguinem. Verè quia non cogitat de imperio, cui charior est turpitudo. Recens exsecti capitis sanguis fluebat in disco, ad pietatem prouocans bonos, terrorem malis incutiens, hoc solum scilicet defuit regalibus mensis. Multorum credo iam capita piscium pecudúmque præcesserant, sed quantum est ad regiam voluptatem? Potuit hoc forsitan & priuata mensa conspicere. Nihil actum, nihil denique procuratum esset, si defuisset regio prandio caput humanum. Et hoc non passim aut forte vulgare, sed de carcere ad mensam caput allatum est prophetale. Solent reges solennitatibus suis magnas ac terrenas epulas quærere, Herodi cœpit & carcer delitias ministrare. Et ideo semper est Deo grata paupertas, cuius cibus non habet sanguinem, sed holusculum vile mansuetam supplet esuriem. Nam tribus pueris cibus, holus & legumina fuit. Alioquin nunquam vincerent flammas, si vellent amare delitias. Verè quia nescis quid agat impietas, cum eum quem odis plus honoras quàm damnas, vtique cum argenteo disco caput exhiberi iubes ad mensam, non est vt credis memoria crudelitatis, sed illius iam monstratur decus honoris. Ita enim portabitur & ad cælum, vt inde tibi infensum iudicem excitet Deum, cui est gloria in seculorum secula.

SERMO D. FVLGENTII EPISCOPI DE SANCTO CYPRIANO MARTYRE.

SERM. 8.



LARVM *tanti martyris natalis diẽ, beati scilicet Cypriani, quo terrenis ac moribundis membris exutus, ad æternæ præmia vitæ transmigrauit, & sacerdotij eius doctrinã & martyrij nobis victoriam commendauit, fecitque ex temporali quondam tristitia liberiorem. Dum enim inter periculum cruentæ mortis, & gloriam deuoti certaminis episcopus confitendo patitur, ecclesia orando compatitur. Quis nesciat, ac non potius prudenti consideratione cognoscit, hunc ipsum qui nunc annua circumstitutione festus nobis reuoluitur dies, Christianis ac religiosis mentibus illo tunc tempore fuisse solicitum, dum aduersus diabolum ab antistite suscepto culmine pia plebis expectatio trepidaret, atq; ita fides resisteret persequenti, ne caro succumberet blandienti, ita pastor præcederet ne ouile desereret, desertumq; (quod absit) lupus inuaderet? Dolebat ecclesia subtractum interim suo consortio tam clarissimum sacerdotem: sed tamen gaudebat prostrato aduersario Christi martyrem extitisse victorem. Erat in memoria doctrina laudabilis, versabatur ante oculos virtus mirabilis, quãdo tantus Deo seruabat quod docuerat, & quid cæteri facere deberent, non iam verbis, sed operibus demonstrabat, fidem sermonũ exemplis, rerum valida soliditate confirmans, credens & confidens pro omnium salute Christum mortuum, ac se pro eius nomine non subtrahere occidendũ. Cuius enim sanguine tunc indignus redemptus fuerat, dignũ suum sanguinem pro illo fundebat, & cuius*

& cuius sanguinem in hac vita fideliter biberat, ab ipso sibi æternam vitam reddi posse crediderat. Dedit enim eis benedictionem qui legem dederat, vt ambularent de virtute in virtutem. De virtute fidei sincerissimæ, in virtutem conflictionis constantissimæ, de virtute charitatis flagrantissimæ, in virtutem passionis glorioſissimæ. Credidit enim, loquutus est, dilexit & sequutus est. Audierat enim à Domino dictum, Qui me diligit, sequitur me. Et iterum: Qui credit in me, non morietur in æternum. Et pater fidelis sequutus est vestigia Saluatoris. Interritus contempsit principum iussa et iudicum edictum. Paratus excepit percussoris ictum, & animum soli Deo subditum, etiam ipsa mors seruauit inuictum. Denique nihil eum reuocauit à pastoris gregisque custodia, exilij locus, apparitor violentus, persequutionis tempus, iudicis metus, imminens gladius, proximus mortis occasus. Nam & in exilio constitutus, atque ab ecclesia sibi commissa corpore tantum non mente separatus, pauperum alimenta, & in occulto absconditus disciplinæ censuram, & à principe detentus virginum pudicitiam, & ad tribunal exhibitus clericorum tutelam, & minis actus robustam conscientiam, & subdolè consumptus spiritualem cautelam, & iniquè iudicatus Christianam patientiam custodiuit. Plebem frequentibus literis admonens, inopes largioribus eleemosynis fouit, martyres hortamentis pariter & exemplis ad subeundum prælium promouit, & donec ponat animam non deserit curam. Denique custoditur & custodiuit, proprij doloris securus contemptor, alieni pudoris solicitus conseruator, plus metuens luxuriæ quàm tristitiæ, magisq; cauens diaboli oblectamenta, quàm pertimescens multa tormenta. Pro fide aduersus leonem vigilat rugientem, pro castitate aduersus sibilantem dimicat. Vincit in suo corpore nequitiam sauientis,

in puellarum carne molliciem blandientis, calcans minas persecutoris vitat fallaciam deceptoris, nec in quoquam furenti cædit, nec quicquam furari violento concessit. Proinde considerantes eius luctam, perseuerantiam, victoriam pariter & coronam, & quid euaserit, quo peruenerit, dulci mentis speculo refouentes annua deuotione cantemus: Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venatione dentibus eorum, laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

SERMO D. FVLGENTII
EPISCOPI IN NATALI Apostolorum.

SER. 9.

DELECTAT *tantorum tractare margaritas sanctorum, delectat gemmas intueri dulcium piscatorum. Nec modus in colore, nec numerus in virtute, splendor varius, & diuersus ornatus. Hos lapides si cæcus aspexit, illuminatus effulsit. Si gestauit surdus, verbo Domini claros percepit auditus. Si aspexit hos lapides claudus in porta speciosa, cursum recepit, & templum fortiter intrauit. Testis est Petrus ad Thabitam, qualis sit splendor harum margaritarum, quando tantus exultauit numerus viduarum. Ergo & nos singuli singulos contemplemur. Quis eligens Petrum respuat Paulum? Quis quærens Andream contemnat Iacobum & Ioannem? nulla est diuersitas nominum, quia vna est corona gemmarum, vnus natalis Apostolorum, vna est latitia populorum. Remotum est omne naufragium, timor excluditur piratarum: quia barcæ subueniunt dulcium piscatorum. Tuta*

Tuta sunt litora per Apostolica retia. Petrus in capite scaphæ cælestis, triumphat in litore, si Andream contempleris, vnus est vterus, vnus vsus, vnus innocens captus. Per pisces piscatorum paupertas tollebatur, per animas in captura conclusas gratia demonstratur, & regni cælorum diuitiæ publicantur. In scapha Petri quis numerat pisces? quis in euangelio Pauli numerat gentes? diuersa nomina, & vna captura. Ecce Iacobus & Ioannes neglecto patre, contempta matre, dimisso reti, sequuti sunt pijssimum redemptorem. Fiat itaque in solennitate sanctorum tam grande conuiuium. Ecce Matthæus præparat prandium, & Christus pransor ingreditur cum multitudine peccatorum. Pransor innocens, & rei conuiuæ, vnde conuiuij sui societate peccatores faceret in suo sacramento gaudere. Iudæi dicebant: Quomodo cum Publicanis & peccatoribus manducat? Nemo peccator secernitur, nemo reus auellitur. Omnes hospites Christi sunt, commune conuiuium est omnibus. Præparat prandium gaudiorum solennitas Apostolorum, iustus pascitur de gratia, peccator reficitur de indulgentia. Et si murmurant Iudæi, sed ditantur rei facti securi. Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me. Simon ille Chananæus, qui mutauit nomen gentis, & inseruit florem suum coronæ virtutis, aptatus manibus Saluatoris, fulget de ista corona igneo vigore decoratus. Iudas Zelotes zelãs domino, non commercium quærens Christum vendendo, pro illo zelabatur, non de illo pacisebatur. Inuenimus etenim ibi denigrato colore separatũ lapillum, Iudam Domini traditorem speciem cum commercio defedantem. O nomen, & nomen ille dicebatur, zelans zelani Domino omnipotenti, & Iudas proditor pacta crudelia deducebat. Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Ille

zelatus

relatus est affectu Domini, iste excluditur dominici noua conuiuij: sed delectat magis primum cernere Petrum piscatorem, quia horrescit nouissimum respicere traditorem. Exclusus est de corona, complenda est ipsa corona. Qui elegit ascendit, qui tradidit male pependit. Quis suppleat numerum in ista corona gemmarum proponitur sortis diuinæ iudicium. Christus Mathiam diligit de cælo, qui duodecim ordinauit in campestri palatio. Aperiuntur sancta sanctorum, profertur vrna aurea, vt vere de cælesti auro decorata. O sors bona, quæ elegit discipulum, vt integra permansisset corona gemmarum, quia Iudas solus pependit in laqueo. Ecce duodecima vestris oculis fulget picta corona, de cuius aspectu vt visa flata scintillis fulget congregatio vestra. Vbi est ille vas electionis? Claudat coronam pietatis, & lapidem Euangelij toto mundo tonantis. Bonus vltimus, quem elegit, primus & nouissimus, Saulus durus, factus est Paulus mansuetus, quibus tornulis aurificis iste est lapis aptatus! Testantur fundamenta carceris nocte commota, reorum vincula soluta, optioni donata gratia, & Apostoli probata corona. Pedes eius erant in neruo, & gressus eius in cælo. Dicebat per carceris tenebras canticum nouum: vt vltimo neruo cordarum tredecim cytharæ lectorum cantet vobis lætitiam sempiternam Apostolica corona sanctorum.

SERMO

SERMO EIVSDEM FVLGENTII DE MARTYRIBVS.

DELECTAT videre campos segetum aureis maturatis calamis aristarum, delectabilius libet attendere campos ecclesiæ martyrum micantes plantos de vno cruore per agni sanguinem innocentem. Segetes etenim sunt passiones martyrum, iuxta cursus aquarum, rigati fontibus lachrymarū. Nam sic modo beatus Dauid martyrum purpurata germina & ante messores gaudiorum tanquam manceps secantia messoria cythara decantabat: Qui seminant, inquit, in lachrymis, in gaudio metent. Vbi seminant in lachrymis, nisi iuxta arborem crucis, vbi est fons proximus saluatoris? Inde de latere eius sanguinis guttæ stillarunt, & pluuia cruoris & aquæ seminata est tollerantiæ confessorum. De ipso ligno virentis crucis iuxta fontem sanguinis plantata virginitas floruit castitatis: inde plantata martyrum tolerantia cæpit seminis sui germina colligere purpurata. Nam vnde martyres tolerant, nisi per dominicam crucem? Vnde martyres, in quorum cordibus lex Dei est maledictiones nõ timẽt hominum, nisi quia Christus dominus pertulit patiẽter improperia Iudæorum? Vnde martyres carcerum custodias delectabat intrare, nisi quia dominus ductus est ad prætorium principis Cayphæ, & nocturnum crudelis prætory carcerem non dedignatus est sustinere? Sed dicebat, Traditus sum & non egrediebar. Vnde martyres de catenis & vinculis ferreis non curabant, nisi quia Christus Dominus teneri & alligari passus est à Iudæis, quia catenas mortis dirupit à mortuis iam sepultus: qui dixit eis, qui in vinculis sunt, exite,

SER. 10.

exite, & qui in tenebris sunt vt videant lumen, & qui dixit Lazaro post quatriduum iam sepulto, prodi foras? Traditus non egrediebatur foras, quia erat liber intus & foris. Inde martyres alapas non horruerunt, quia Christus maxillas suas ad alapas præbuit impiorum. Inde non nocuit matres infusa aceti vel sinâpis acerrima violentia, quia acetum & fel Christi degustauerunt labia, non tali digna potatione à pincernis impijs, quibus rupit petram & fluxerunt aquæ, & potauit eos sicut in abysso multa. Vnde martyres nudati sustinuerunt, flagellati non fleuerunt, nisi quia dominus nudatus est & flagellatus, atque præcinctus sub Pilato iudice, de quo ipse iudicium veniet iudicare? Vnde eculeis appositi cùm vngulis sulcarentur, apporiati dulcissimis decantationibus laborem faciebant cum pudore tortoribus, nisi quia crucem Christus dominus ascendit, inimicos non accusauit, pro sua iniuria non defleuit, sed inimicis veniam postulauit, pio cantico psallens in ligno: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt? Issa ergo seminatio sanguinis Christi fecit semina martyrũ pullulare in campo matris ecclesiæ, vt dicit Dauid: Qui seminant in lachrymis, in gaudio metent. Euntes ibant & flebant, & non stabant, sed flentes ibant, & ad æternam patriam tendebant. Ciuitas prolongabat, & illi flebant, vt peruenirent vbi desiderabant. Sic perrexerunt, quomodo reuertuntur? Non flentes, sed gaudentes: non adhuc seminantes, sed manipulos suos lætâ ceruice portantes. venient non opertis capitibus pallio velaminis propter cauma, sed lux super capita eorum & lætitia pretiosa. Venientes autem venient in exultatione portantes manipulos suos, quos iuxta crucem domini seminauerunt, & de eius resurrectione fœlicius messuerunt: & ei in nubibus occurrerunt offerentes ei germina sua accepturi præsempiterna.

terna. O germina, quæ non vrit flamma, quia iuxta flumen sunt vitreum in Hierusalem, & perpetuo virescunt flore immortalitatis vitæ æternæ. Nesciunt marcescere, quia non timuerunt pro iustitia flammis arderi, quia agnus deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & delebit omnem lachrymam ab oculis eorum, & florebunt sicut lilium in medio angelorum.

FINIS.

LOVANII
Typis ac impensis Christophori Plantini
excudebat Ioannes Masius
Typogr. Iurat.
1573.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Chile
Biblioteca